Digitized by Google

2 - 3 - 30

Digitized by Google

I
53

2.3 30 vol IV

A

Digitized by Google

I
53

2.3.30 vol IV B I

HISTORIA ZARINGO BADENSIS

AUCTOR

IO. DANIEL SCHOEPFLINUS

HISTORIOGRAPHUS FRANCIAE

TOMUS QUARTUS



CAROLSRUHAE
EX OFFICINA AULICA MACKLOTIANA

MDCCLXVI.

Digitized by Google

Digitized by Google

CONSPECTUS
TOMI IV.

I.

LIBER VI. BADENSIS.

LINEA ERNESTINA

SEU

BADA-DURLACENSIS.

ERNESTUS Chriſtophori I. Filius CAP. I. pag. 5

CAROLUS II. Erneſti Filius CAP. II. 35

ERNESTUS FRIDERICUS Caroli II. Fil. CAP. III. 67

JACOBUS III. Caroli II. Fil. CAP. IV. 119

GEORGIUS FRIDERICUS Caroli II. Fil. CAP. V. 137

FRIDERICUS V. Georgii Friderici Fil. CAP. VI. 229

Fridericus VI. Friderici V. Fil. Cap. VII. pag. 279
Carolus Magnus Friderici VI. Frater Cap. VIII. 307
Gustavus Adolphus Friderici VI. Frater Cap. IX. 315
Fridericus Magnus Friderici VI. Fil. Cap. X. 321
Carolus Gustavus Friderici Magni Frater Cap. XI. 349
Carolus Wilhelmus Friderici Magni Fil. Cap. XII. 355
Christophorus Caroli Wilhelmi Frater Cap. XIII. 391
Carolus Fridericus Caroli Wilhelmi Nepos Cap. XIV. 399

Digitized by Google

II.

Numismatum Bada - Durlacensium Expositio pag. 433

ORDO

TABULARUM GENEALOGICARUM.

Lineæ Ernestinæ Tab. I. 5

Ejusdem Lineæ Tab. II. 279

ORDO

TABULARUM INCISARUM.

Delineatio Palatii et Civitatis Carolsruh. 369

Digitized by Google

Numismatum Badensium Ernestinæ Lineæ Tabulæ XXV. cum Supplementis IV. pag. 433

HISTORIÆ

Digitized by Google

IV

HISTORIAE
ZARINGO-BADENSIS
LIBER SEXTUS

IN QUO

ERNESTINA LINEA

SIVE

BADA-DURLACENSIS.

Digitized by Google

Digitized by Google



Poſtremam Hiſtoriæ Badenſis partem deſcribere aggredior, quæ *Erneſtinam* ſive *Durlacenſem Lineam* omnem exponit, atque adeo opus noſtrum omne abſolvit. Marchionibus decem regentibus hæc Linea conſtat; ex quibus tres filii Caroli, diviſa inter ſe Durlacenſi Nexus hiſtor.

Digitized by Google

Marchia, uno eodemque tempore regnarunt. Tripartitam GEORGIUS FRIDERICUS in unum corpus redegit; a cujus temporibus utraque Marchia (nam & BERNHARDINA aliquando biceps fuit) terrarum ſuarum diviſionis ignara eſt. Sanctio eam prohibens (*a*) tranquillitatem, felicitatem & ſplendorem Domus Badenſis promovit. Tot ſeculis opus erat, ut inveterato Principatuum dividendorum errori tandem valediceret Germania; nec turbarum inteſtinarum, ex diviſione naſcentium, exemplis, nec provenientibus inde infortunis civium, nec evidendi dignitatis & potentiæ illuſtrium Familiarum decremento, a tam funeſto avertenda propoſito.

Erneſtus Fridericus, Jacobus, Georgius Fridericus, triga Caroli II. filiorum, qui a prima pueritia literis artibusque imbuti, ſed controverſiis inter Theologos magno cum ardore agitatis, ex ſeculi illius genio, nimis addicti, diverſa ſinguli

(*a*) Georgius Fridericus A. 1615. teſtamento ſuo diviſionem terrarum prohibuit. Fridericus V. & ſua diſpoſitione A. 1649. eandem conſtitutionem roboravit. Ferdinandus III. Imp. A. 1654. d. 25. Aprilis eam reddidit perpetuam.

Digitized by Google

2 . 3 . 30 Vol IV

amplexi ſunt ſacra. Ex Lutherano ſenior Calvinianus evaſit. Secundus reverſus eſt ad ſacra majorum. Tertius religionem patris ſecutus, Invariatæ Auguſtanæ Confeſſioni conſtanter adhæſit. Tam firmo propoſito omnes, ut ſobolem ſi reliquiſſent, in ſola Durlacenſi Marchia trium diverſarum religionum tres Lineæ regnaſſent. Fata voluerunt, ut quatuordecim annorum ſpatio duo rami exareſcerent ſeniores.

Georgio Friderico ſoli, fratribus ſuperſtiti, reſervata eſt Marchionum Durlacenſium propagatio. Hi ab oppido, Marchiæ Inferioris tum principe, & a conſtituta ibi ſede Marchionum, (*b*) *Pforzheimenſes* primum, dein ſede per Carolum Secundum translata Durlacum, *Durlacenſes* appellati ſunt.

Erneſtinam hanc poſteritatem ſi ſpectes, Marchiones, qui ex ea regnarunt, benignitatis & humanitatis laude celebrati ſunt

(*b*) Ludovici Bavari Imp. in literis A. 1335. ad Rudolphum Marchionem; qui & ipſe in literis, A. 1336. Pforzheimenſi Xenodochio datis, ita vocatur.

Digitized by Google

omnes. Bellicæ virtutis gloria claruerunt nonnulli; artium & ſcientiarum amore floruerunt plerique. Docebunt hoc vitæ eorum, quas ad noſtra usque tempora ex ipſis rerum documentis & ex idoneis Scriptoribus, ſine fuco, expoſiturus ſum, Scriptor ex Marchia Hachbergenſi prognatus.

Digitized by Google

2.3.30 Vol IV

INAE.

1\. ALBERTUS † 12. Dec. 1542.

2\. SALOME ux. Uladislai Comitis ab Haag A. 1540. † 1559.

2\. CAROLUS n. 24. Jul. 1529. Proteſtantium ſacra introducit, † 13. Mart. 1577. ux. 1) Cunigunda, Caſimiri Brand. filia, 10. Mart. 1551. † 1558. 24. Febr. 2) Anna, Ruperti Comitis Veldent. filia, 1. Aug. 1558. † 30. Mart. 1586.

1\. MARIA nata 1553. 3. Jan. † 11. Nov. 1561.

2\. ...ISA-...THA nata ... Sept. ...570. ...6. Oct. ...1611.

2\. GEORGIUS FRIDERICUS natus 30. Jan. 1573. Lutheri doctrinæ adhæret. A. 1622. filio regimen tradit; ad Wimpenam a Tillio fuſus. † 14. Sept. 1638. ux. 1) Juliana Urſula, Comes Sylveſtris & Rhenana, 2. Jul. 1592. † 30. Apr. 1614. 2) Agatha, Georgii Comitis Erpacenſis filia, 23. Oct. 1614. † 30. Apr. 1621. 3) Eliſabetha Stotzia, ad morganaticam deſponſata, 29. Jul. 1621. † 14. Maji 1652.

ANNA poſthumus ...Mart. 1591. ux. Volradi Wald...

1\. CATHARINA URSULA nata 19. Jun. 1593. ux. Ottonis Haſſiæ Landgr. 24. Aug. 1613. † 15. Febr. 1615.

1\. ...DOL-...US ... Januarii ...02. ...mo Maji ...603.

1\. CHRISTOPHORUS natus 16. Mart. 1603. † 20. Apr. 1632. ad Ingolſtad. cæſus.

1\. ANNA AUGUSTA nata 30. Mart. 1604. † 2. Apr. 1616.

1\. ERNESTINA SOPHIA nata 26. Dec. 1612. † 4. Jul. 1658.

2\. AGATHA nata 2. Sept. 1615. † 1616.

2\. ANNA nata 29. Maji 1617. † 15. Oct. 1672.

2\. ELISABETHA nata 5. Febr. 1620. † 13. Oct. 1692.

1\. FRIDERICUS vid. Tab. II.

2\. ANNA PHILIPPINA nata 9. Sept. † 27. Decembr. 1629.

2\. ELEONORA nata † 15. Novembr. 1630.

2\. BERNHARDUS GUSTAVUS natus 14. Dec. 1631. mutata religione Cardinalis Abbas Fuldenſis † 26. Dec. 1677.

CA... natus 11. J...

...ARBARA ...656. ...57.

FRIDERICA CHRISTINA poſthuma nata 1658. † menſe Mart. 1659.

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT I.

ERNESTUS.

A. 1527. ---- 1553.

§. I.

Erneſtus, filiorum Chriſtophori ſeptimus, Pforzhemii natus die VII. Octobris A. 1482. cum fratribus a tenera ætate bonis literis & artibus inſtitutus eſt puer. Inſita primis annis virtus ætatis progreſſu firmata fuit & aucta. Cum Ulrico, Wirtenbergæ Duce, amicitia junctus, una cum conjuge feſtivitati interfuit, (c) quæ A.1511. Stutgardiæ celebrata, quum Sabinam Bavaricam, Alberti IV. Bavariæ Ducis filiam, Ulricus duceret uxorem; ille, qui octennio Erneſti initia.

(c) In Comitatu Erneſti tum fuerant: Wolfius & Neuhauſen, Georgius de Herfenſtein, Johannes de Hertzſtein, Otto & Dietericus de Gemmingen, Chriſtophorus de Habſpurg, Georgius de Uffenloch, Johannes de Ehingen, Chriſtophorus Weiſchenfelder, Melchior & Johannes de Hirnheim.

Digitized by Google

poſt a Suevico fœdere expulſus Ducatu, nonniſi revolutis tribus luſtris (A. 1534.) in eundem reſtitutus eſt.

§. II.

Ditiones ejus.

Ernestus ex patris teſtamento Hachbergam, Sauſenbergam, Uſenbergam, Rœtelam, Badevillam, ut & oppida Schopfheim & Sulzberg, A. 1515. vivo parente accepit; (*d*) ita nimirum, ut terras illas eodem jure regeret, quo fratres duo ſeniores ſuas regendas acceperant. Sedem regiminis ſui tum fixit Sulzbergæ, quæ Hachbergicæ ditionis eſt. Marchiæ Hachbergenſis intuitu, in Comitiis Imperii ſedem ei atque ſuffragium Maximilianus I. Cæſar conceſſit. Carolus V. autem in Wormatienſibus Comitiis A. 1521. jura & privilegia omnia Domus Badenſis ei & Philippo fratri confirmavit; collata ei quoque præſenti inveſtitura; additaque conditione, ut poſt obitum patris, ambo fratres ex Cæſaris manibus eandem iterum reciperent. Wilhelmus IV. Bavariæ Dux, cum Domo Badenſi vinculum ambiens, Mariam Jacobeam, Philippi filiam, ex Eliſabetha Palatina genitam, Erneſti noſtri ex fratre neptem, A. 1522. in matrimonium petiit. Erneſtus, patris loco, eam comitatus eſt Monachium.

(*d*) Diſplicuerat Erneſto terrarum diviſio, quam A. 1510. ordinaverat pater; unde A. 1515. nova hæc diviſio inita. Vid. ſupra Tom. II. pag. 264.

Digitized by Google

Prima hæc ex ſanguine Marchionum Badenſium Princeps in Bavaricam Domum migravit. Mathildis filia ejus ex Bavarica viciſſim Domo in Badenſem prima tranſivit; (*e*) in Philiberti Marchionis thorum traducta. Reciprocum hoc ſanguinis vinculum Bavaris dedit occaſionem, ut Badenſibus rebus ſe ſubinde immiſcerent, magnisque in Marchia mutationibus darent occaſionem.

§. III.

Moniales Sulzberg expulſæ.

Benedictinum S. Cyriaci Parthenium, prope oppidum Sulzberg, a Birtilone Dynaſta, qui ibi ſepultus eſt, A. 996. conditum (*f*) ad annum usque 1521. ordine non interrupto ſuas aluit Moniales. Erneſtus ex patris Chriſtophori deſtinatione A. 1515. regiminis ſui ſedem quum fixiſſet Sulzbergæ, mores earum propius obſervavit.

Sub Magiſtra hæ ſua licenter cum viverent, nec aliud, quam expulſio earum, ſupereſſet remedium, ad Baſilienſem Epiſcopum, cui Monaſterium ſuberat, ſe convertit Erneſtus, eoque conſentiente, Moniales cum Magiſtra ejecit; (*g*) dilapidata ab illis bona recuperavit, reditusque Monaſterii A. 1521. adminiſtratori curandos commiſit. In medio Eccleſiæ Monaſterii ſupereſt lapis,

(*e*) Vid. Tom. III. *Hiſt. Bad.* pag. 35.

(*f*) Conf. Tom. I. pag. 21.

(*g*) Poſtrema fuit *Gunſia Spoerlin.*

Digitized by Google

ERNEST.

cui hæc inſcripta ſunt verba: „ Obiit Venerabilis Vir frater
„ Georgius Locher Adminiſtrator & Prior hujus loci - - -
„ Anno Dom. MDXX. „

Monaſt. Rheinthal.

In illis quoque partibus (h) aliud olim viguerat Parthenium, ſed Regulæ Ciſtercienſi adſcriptum, quod *Rheinthal* vocabatur; circa A. 1255. a Conrado, Friburgi Comite, inſtitutum; Abbatiæ Lucellenſi in Sundgovia Alſatica ſubordinatum.

Moniales fatis adverſis extinctæ ſunt, Abbatia in Prioratum, a Lucella pendentem, redacta. (i) Lucellenſis Abbas Erneſto A. 1533. Marchioni noſtro, promiſit, ſi ipſe vel ſucceſſores Rheinthalenſem Prioratum aliquando vendituri eſſent, ante omnes offerendum Marchioni. Lucellenſes eum hodieque poſſident.

Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Caroli V. frater, quum A. 1523. in Brisgoviam veniſſet, Erneſtus Marchio in honorem ejus venationes inſtituit. (k)

§. IV.

(h) Neoburgum inter Rhenenſe atque Mulhemium, ubi Badevillanæ Præfecturæ ſedes.

(i) BERNHARDINUS in *Faſtis Lucellenſibus* pag. 149.

(k) In diſtrictu, quem vocant Ried, qui per Beckingenſem, Scaphuſianum, Gottenheimenſem, Mördringenſem, Waſſenvilleranum & Ihringenſem agros ſe extendit.

Digitized by Google

§. IV.

Ruſticorum tumultuantium furor, qui A. 1525. magnam Germaniæ partem & inferiorem quoque aliquandiu turbaverat Marchiam, (*l*) velut contagio quodam Brisgovicas Rœtelæ & Sauſenbergæ Dynaſtias invaſit. Turbæ ruſticanæ.

Hœhingæ & Landeckii Caſtra Erneſti a tumultuantibus combuſta ſunt. Res tamen ſine ſanguinis effuſione fere fuit peracta. Rebellionis auctores mulctati ſunt capite. Reliquos Erneſtus mulctavit pecunia. (*m*) Securitati ſuæ conſulturus Argentinam ſe contulit Erneſtus, Caſtri Hachbergæ tutela Georgio ab Hohenheim, Ord. S. Joh. Equiti, & deinde Magiſtro ſupremo commiſſa. Biennio poſt (A. 1527.) die S. Galli ſuper damna, accepta & data, Neoburgi ad Rhenum transactum eſt inter Auſtriacos Briſgoviæ Status ex una parte, atque Erneſti ſubjectos ex altera; illos nempe, qui in Hachbergæ, Suſenbergæ, Rœtelæ & Badevillanis terris habitaverant, atque tumultibus ſuis infeſtaverant Auſtriacos. Conventum eſt, ut ruſtici pro damnis illatis 5600. florenos perſolverent; Auſtriacis incolis ablata fideliter reſtituerent; cenſus debitos novo laterculo conſignandos curarent; chartas enim & urbaria, quæ vocantur, ruſtici tumultuantes

(*l*) Vid. Tom. III. pag. 11.

(*m*) Forsterus in *Commentariis Mſs. de reb. Hachberg.*

comburere ſolebant. Contra Auſtriæ ruſticos, ſeditionis participes, actio viciſſim Erneſto ſervata. Comitum ac Dynaſtarum nomine Sigismundus de Falckenſtein, Baro; pro Eccleſiaſtico Ordine Conradus, Schutterenſis Abbas, & Wilhelmus de Wyger, Ord. Teut. Commendator Friburgenſis; pro Equeſtri Ordine Joh. de Reyſchach & Conradus Sturtzel de Bucheim, cum Civitate Friburgenſi, ſigillis ſuis Inſtrumentum transactionis firmarunt.

Conventionis hujus participes fuerunt Jo. de Hatſtein, Ordinis Melitenſis per Germaniam Prior; Johannes Abbas S. Blaſii; Laurentius Abbas Ettenheimenſis; Jo. Abbas Thennebacenſis; Leonhardus Abbas S. Mariæ; Joſ. Abbas S. Petri; Abbatia S. Trudperti; Præceptoria S. Antonii Friburgi; Capitulum Waldkirchenſe; Prioratus S. Ulrici; Carthuſia Friburgenſis; Abbatiæ Monialium in Guntersthal, Adelhauſen, S. Catharinæ & Wunnenthal. Inter Dynaſtas & Equites comparent Conradus, Comes Tubingenſis; Dominus in Lichteneck; Dynaſtæ in Stauffen. Ex Nobilium quoque ordine quamplures.

§. V.

Comitia Spirenſ.

Annus, qui transactionem præceſſit (A. 1526.) memorabilis eſt Comitiis Spirenſibus, quæ religionis & belli Turcici cauſa Carolus V. indixit. Interfuit illis Erneſtus noſter. Præfuit illis, poſt Ferdinandum, Cæſaris nomine, Philippus frater Er-

Digitized by Google

neſti; inter quatuor Vicarios primus; (*n*) cujus res ſupra expoſui. (*o*)

Poſt multas contentiones decretum eſt denique, in terris ſuis ita ſe gerant Imperii Ordines, ut nec Deo, nec Cæſari diſpliceant. (*p*)

Tranſivit A. 1527. ad plures Chriſtophorus Marchio. Erneſtus noſter & Philippus frater a Regimento Imperii, quod Maximilianus I. inſtituit, quodque Cæſare abſente res Germaniæ ordinavit, prorogationem inveſtituræ A. 1528. impetrarunt. Biennio poſt, in Comitiis Auguſtanis, Carolus V. Imp. præſens feuda Imperii Erneſto contulit, qui ea ſuo & Philippi fratris nomine accepit. Inveſtitura March.

§. VI.

Carolus V. in Auguſtanis Comitiis A. 1530. Pacem Religionis Proteſtantibus quum conſtanter recuſaſſet, Principibus Evangelicis diſcedentibus, perſtitit Erneſtus; novas de compoſitione religionis conditiones proponens. Inter alias hæc erat, ut in cauſa religionis in poſterum nihil typis vulgaretur, donec in Comitia Auguſt.

(*n*) *Receſſus Spirenſis* hujus anni in *Præfat. & Subſcriptione.*

(*o*) Tom. III. pag. 53.

(*p*) Sleidanus Lib. VI. pag. 150.

ERNEST.

Concilio, intra ſex menſes convocando, controverſiæ tollerentur. Lutherus & Wittenbergenſes reſtiterunt Theologi. Saxo legatis ſuis, qui Comitiis intererant, die 15. Octobris reſcripſit, ut hac ſuper re mandata ſe non accepiſſe reſponderent. (*q*) Auguſtanis his Comitiis, ut Wormatienſibus ante decennium, intererat Cancellarius Badenſis, Hieronymus ille Vehus, vir doctus, probus, moderatus; a Luthero adverſario his laudibus ornatus. Placida ille Principis ſui ſenſa Catholicis & Proteſtantibus Germaniæ Statibus, medius inter utrosque, expoſuit; ex gravaminibus religionis nonnulla admittens; nonnulla rejiciens; omnia ad concordiam & pacem reducens; (*r*) qui rem tanti momenti vel in Synodo, vel in Comitiis diſcuti & definiri, non ex privatorum arbitrio decidi debere contendit.

In iisdem Comitiis Erneſtus damna, bello ruſticano e Brisgovia Marchicis terris illata, ut reſarcirentur, a Cæſare petiit. Hic nonnullis ex conſiliariorum ordine cauſæ cognitionem commiſit.

Inſtitutus paulo poſt Conventus, quem Auſtriaci Brisgoviæ, privilegiorum prætextu, adire noluerunt. Erneſtus, qui

(*q*) SECKENDORFF. *Hiſt. Lutheraniſmi* Lib. II. Sect. XXXV. §. 80. pag. 209.

(*r*) COELESTINI *Hiſtoria Comitiorum Auguſtanor.* A. 1530. Tom. III. pag. 80. SECKENDORFF. *l. c.* Lib. I. pag. 155. & Lib. II. pag. 177. & 195.

ante triennium Auſtriacis damni reſtitutionem præſtiterat, (s) ſuam impetrare non potuit. Nec transeundum ſilentio eſt, quod Conſul & Senatus Friburgi Brisgoviæ litteras ad Erneſtum Marchionem Bad. A. 1523. die 30. Jan. ſcripſerint, quibus eum monent, tres homines in tractu Kayſerſtuhl Lutheri doctrinam inter ruſticos diſſeminare, petuntque, ut eos impediat atque cuſtodiæ tradat.

§. VII.

A. 1530. die 19. Febr. Ferdinandus, Hungariæ & Bohemiæ Rex, Erneſtum Marchionem, literis Pragæ datis, monuit, ut periculoſo hoc tempore, belli face in Helvetia ardente, communi Brisgoviæ ſecuritati proſpiceret; atque prohiberet, ne ex ferraria ejus officina Canderenſi ad Ulricum Wirtenbergæ Ducem, hoſtem ſuum, ferrei globi deportarentur. Varia.

Erneſtus Kalendis Maji, epiſtola Sulzbergæ data, reſpondit, globos inſcio ſe fuiſſe confectos atque exteris venditos ab homine, cui pater jam officinam locaverat. Ceterum de futuro ſe proſpecturum & communi Brisgoviæ paci invigilaturum promiſit. Plures aliæ metallifodinæ in terris, Erneſto ſubjectis, tum temporis ſe manifeſtaverant. Marchio, rei tam proficuæ intentus, Corpus juris Metallici juſſit conſcribi (t) & ad inquiren-

B 3

(s) Vid. ſupra §. 4.

(t) *Berg-Ordnung.*

Digitized by Google

ERNEST.

da, tractandaque metalla non modo cives ſuos, ſed & exteros liberaliter invitavit. (*u*) Continuatum interea apud Hungaros Turcicum bellum. Erneſtus A. 1532. Procerum quorundam exemplo ſuas quoque copias in Hungariam miſit.

Anno ſequente Chriſtophorus de Venningen, qui una cum Marchione vicum Kœnigsbach tenebat, ob lites de venatione exortas, Seboldum de Siglingen, præfectum Steinenſem, in via publica gravi injuria affecit, brevique poſt nonnullos Erneſti Conſiliarios atque Miniſtros, Pforzhemium inter atque Bretthemium aggreſſus, captivitati mandavit. Venningius, fractæ pacis publicæ reus, punitus eſt Imperii banno. Res non ſine turbis agitata, Philippi denique Spirenſis Epiſcopi interventu A. 1541. compoſita.

§. VIII.

Portio hæreditatis Philippi.

Philippus Erneſti frater A. 1533. quum deceſſiſſet, maſcula nulla prole relicta, Erneſtus cum fratre Bernhardo terras ejus ita diviſit, ut ſuperior Marchia, ubi Bada eſt, ad Bernhardum; inferior, vel Pforzheimenſis, ad Erneſtum pervenerit, uti ſupra docuimus. (*x*)

Inferiorem Marchiam tum compoſuerunt: Pforzhemium oppidum & Caſtrum, cum Præfectura; Stein Caſtrum, vicus

(*u*) Oſtendunt hoc literæ ejus impreſſæ d. 20. Mart. 1530. datæ Sulzbergæ.

(*x*) Vid. Tom. III. pag. 9.

Digitized by Google

Ernest.

& Præfectura, ut & Remchingen vicus. Durlacum oppidum, Caſtrum & Præfectura cum Monaſterii Godeſavienſis Advocatia. Mülberg Caſtrum, Burgus olim & Præfectura. Vici Knielingen, Neureuth, Eckenſtein, Schreck cum vectigalibus terræ & Rheni, Linckenheim, Hochſtetten cum Harda inferiore, quæ eſt infra Mülbergam; Graben Caſtrum, vicus & Præfectura. Staffort Caſtrum, Burgus & Præfectura. Speck, vicus. Altenſtaig, oppidum, Caſtrum & Præfectura; quam Philippus, quadriennio ante mortem, a Fœdere Suevico, in cujus poteſtate tum fuerat Wirtenbergæ Ducatus, redemit. Liebenzell, oppidum, Caſtrum & Præfectura. Omnia hæc Marchiam inferiorem tum compoſuerunt.

Duæ poſteriores Præfecturæ ſub Erneſto Friderico avulſæ ſunt, ut ſuo loco docebitur.

A. 1534. cum Civitate Baſilienſi de jurisdictione ſuperiore & inferiore in minorem Hüningam, ut & de aliis quibusdam controverſiis, transactionem inivit Erneſtus, cujus opera tum quoque Bremgarticum bellum, inter Helvetios, ob religionem diſcordes, compoſitum eſt.

§. IX.

Conventio de debitis.

Neque vero Philippi ditiones modo, ſed & onera, eis inhærentia, æquis partibus inter fratres diviſa ſunt, ita quidem, ut dimidiam eorum partem ferret uterque, nec alterius negligentia alteri eſſet damnoſa. Repetita hæc Conventio clariusque expo-

Digitized by Google

ERNEST.

ſita fuit poſt mortem Bernhardi, quæ A. 1536. evenit. Nova tum A. 1537. S. Michaëlis feſto inter Erneſtum Marchionem & tutores filiorum Bernhardi, Wilhelmum nempe, Bavariæ Ducem, & Johannem, Comitem Palatinum Simmerenſem, inita eſt pactio. (*y*) Adjecta conditio, ſi onerum ſibi incumbentium partem alter fratrum negligentius curet, atque creditoribus communibus, ſolutionem perſequentibus, alteri damnum afferatur, licitum ſit læſo alterius terras occupare, iisque tanquam propriis frui, donec de damno dato fuerit ſatisfactum. Sarcito autem damno, terræ occupatæ reſtituantur. Dubium ſi oriatur, an reſarcitum ſit damnum, cognitio cauſæ ad Electorem Palatinum, vel ad Spirenſem deferatur Epiſcopum, qui controverſiam intra ſex menſes componant; neque victo liberum ſit uti provocationis remedio. Conventionem hanc a parte Bada-Badenſium conſules, judicia & ſenatus Badæ, Etlingæ, Cuppenhemii, Stolhovii, Beinhemii, Steinbaci, Raſtadii atque Bielæ ſuis ſigillis ſignarunt.

Inter

(*y*) Pactionem hanc exhibet Diatriba cujus Rubrum: *Warhafter und beſtendiger Bericht, was ſich vor und nach unlengſt durch den durchlauchtigſten Furſten und herrn, herrn Ernſt Friederichen Marggraffen zu Baden, &c. rechtmæſig und beſugter weis fürgenommenen occupation des Obertheils des Furſtenthumbs der Marggrafſchafft Baden* - - - *verloffen* p. 10. LUNIG in *Reichs-Archiv* tit. Baden & SCHADAEUS in *Sleidano cont.* Lib. 19. part. 3. pag. 735.

Digitized by Google

Inter hæc, ut diximus, e vivis exceſſit Bernhardus, relictis filiis, ætate minoribus, Philiberto & Chriſtophoro. Tutelam eorum ad ſe pertinere contendit Erneſtus. Prælatus tamen ei Wilhelmus IV. Bavariæ Dux, gener Philippi Marchionis, ante quadriennium mortui, ut ſupra jam docui. (z) Tutela filiorum Bernh.

Erneſtus in tutela præteritus eſt, quod lites ob inæqualem, ut Bernhardus ajebat, terrarum diviſionem exortæ, nondum erant compoſitæ. Lites hæ ad Philibertum filium tranſierunt a patre.

A. 1537. Ferdinandus, Rex Romanorum, literis Pragæ die 10. Junii datis, Chriſtophoro Epiſcopo Auguſtano, Ulrico Wirtenbergæ Duci & Erneſto noſtro Marchioni, tanquam Circuli Suevici præfectis, (a) injunxit, ut ob ſuſtentationem Cameræ Imperialis imminensque a Turcis periculum, Ordinum Sueviæ conventum indicerent.

§. X.

Erneſtus noſter ad Chriſtophori patris ſui exemplum A. 1537. inter tres filios, Albertum, Bernhardum & Carolum, de terris ſuis diſpoſuit Pforzhemii die 27. Junii, qua nempe ratione poſt mortem dividerentur. Uſus eſt in hac re conſiliis Guillielmi ab Honſtein, Argentinenſis Epiſcopi, quem præ aliis ama- Diviſio Erneſti inter filios.

(z) Tom. III. pag. 19.

(a) *Obern des Schwæbiſchen Creyſes.*

vit, Guilielmi & Ludovici, Comitum Palatinorum Rheni, Georgii, Marchionis Brandenburgici. Partitio hæc eſt:

I. Marchionatus Badenſis & Dynaſtiæ Beſigheim, Mundelsheim, & Altenſteig Alberto primogenito aſſignantur.

II. Ad Bernhardum & Carolum perveniant reliqua; ita quidem, ut duæ conſtituantur partes, quarum una Hachbergam, Uſenbergam, Sulzbergam, Hœhingam & Landeckium; altera Sauſenbergam, Rœtelam, & Badevillam comprehendat. Optio ſit penes Bernhardum.

III. Cautum eſt, ne partes hæ ſubdividerentur in poſterum.

IV. Si Albertus moriatur ſine heredibus maſculis, portio ejus accedat ſeniori, & in ejus linea ſubſiſtat. Hac autem deficiente, natu minimus ſuccedat.

V. Quod ſi ex junioribus intereat unus, reliqui duo ſuccedant, ita tamen, ut tertiam illam partem non dividant, ſed indiviſam relinquant. Dos filiarum ſit 10. mille florenorum.

VI. Circa onera decernitur, ut Pforzheimenſis portio quinque partes, Hachbergenſis duas, Sauſenberga, Rœtela & Badevilera tres partes exſolvant.

VII. Singuli fratres feudorum ſuorum inveſtituram pro ſe & ſuis fratribus accipiant.

VIII. Debita, quæ Erneſtus pro ſuſtentatione ſua contrahet, tres filii ſolvant.

Digitized by Google

IX. Nova acquiſita dividantur æqualiter.

X. Si vivo patre unus ex filiis aliquid vel judicio vel vi amittit, reliqui fratres pro rata ei reſarciant damnum.

XI. Quamdiu mares ſuperſunt, nulla femina ſuccedat; unde filiæ ſingulæ renuncient, quoties annum tredecimum ineunt; & matrimonialibus pactis inferatur excluſio.

XII. Lineæ extinctæ filia octies vel decies mille florenos accipiat.

XIII. Alienatio terrarum prohibita.

XIV. Ubi vendendi & oppignerandi neceſſitas occurrit, non modo res offeratur agnatis, ſed & reluendi eisdem concedatur facultas.

XV. Singulis fratribus chartæ & documenta tradantur, quæ eorum terras reſpiciunt; communia autem ſenior conſervet.

XVI. Singuli communibus titulis inſignibusque fruantur.

XVII. Lites per Auſtregas, Conventiones vel per Judices ordinarios decidantur.

XVIII. Tutela proximo conferatur agnato, &, ubi ſimilis eſt gradus, ſeniori. Teſtamentaria tamen permittitur tutela.

XIX. In religione antiqua nihil immutetur, niſi ex decreto Concilii, vel Comitiorum Imperii, nihilque ex bonis eccleſiaſticis ad ſeculares uſus transferatur.

XX. Carolus, junior filiorum, decimum quartum annum adeptus, ſanctionem hanc quoque jurejurando confirmet.

Diſpoſitio hæc Erneſtina A. 1537. Pforzhemii facta, a Carolo V. Auguſtæ Vindel. A. 1550. die 20. Auguſti firmata eſt.

§. XI.

Johanna Sauſenberg.

Inter filios hæc dum ita ordinat Erneſtus, Johanna Sauſenbergica, Ludovici, Longuevillæ Ducis, uxor, Philippi, poſtremi Sauſenbergæ Marchionis, A. 1503. mortui, filia, tum ſenex, de Dynaſtiis Brisgoviæ Badenſibus, quas ad ſe pertinere credebat, apud Helvetios frequenter conqueſta, ad Baſilienſes ſe denique convertit, eisque jura ſua obtulit. Baſilienſes conditionibus propoſitis aures ab initio præbere viſi ſunt. Plures hac ſuper re A. 1538. inſtituti ſermones. Albertus de Annvil, Sauſenbergæ & Rœtelæ Præfectus, miſſus eſt ab Erneſto Baſileam, qui veterum Marchionum in Civitatem merita illis in memoriam revocavit, oſtenditque, Chriſtophorum patrem Dynaſtiarum Brisgovicarum poſſeſſionem, ex pacto cum Philippo, Cæſaris conſenſu, bona fide adiiſſe. Baſilienſes promiſerunt Marchioni, omnibus Johannæ oblationibus ſe renunciaturos, ſi difficultates Marchionem inter & Civitatem, jam diu durantes, rationabili mox transactione componantur. De jurisdictione criminali in Hüninga mi-

Digitized by Google

Ernest.

nore & in Nova Domo (*b*) de vico *Riehen*, aliisque ſimilibus pridem diſputatum & de illis tandem A. 1547. transactum.

A. 1538. Erneſtus & Chriſtophorus Landeccii, accepta pecuniæ ſumma, juri, quod in dimidiam partem vici Köndringen habuerant, renunciarunt.

A. 1541. Erneſtus Marchio dimidiam partem vici Kœnigſehaſhauſen ab Agnete de Ramſtein coëmit.

§. XII.

Hungaria hoc tempore in magno fuit conſtituta periculo. Solymannus, ille heros Turcarum, regiam urbem occupavit Budam, ultima regno minatus. Aeger animo Cæſar, ab infelici Algeriana expeditione redux, Comitia Imperii indixit Spiræ, quæ A. 1542. Februario menſe ceperunt initium. Ex Germaniæ Principibus nonniſi Brandeburgicus, Palatinus, Electores, & Mecklenburgi Dux fuerunt præſentes. Præſens quoque fuit Erneſtus noſter, Cæſari & Regi Romanorum, quorum cauſa præſertim agebatur, ut placeret. Ceterorum aderant legati. Cæſaris loco Ferdinandus præſedit. (*c*) In Comitiis his contra Turcas decernitur indictio belli. Decernitur indictio Concilii generalis. Comitia Spirenſia.

C 3

(*b*) In dem *Neuen Haus*.

(*c*) Sleidanus Lib. XIV. p. 396.

Auditæ Galliæ Regis, de violatis a Cæſare legatis ſuis in Inſubria, querelæ. De cauſſis religionis ſtatutum eſt nihil, quia ad Concilium deferendæ.

In iisdem Comitiis Erneſtus, ut ſenior gentis, ante fratris ſui natu majoris Bernhardi filios locum poſtulavit. Reluctantibus autem pupillorum tutoribus, Ferdinandus, Romanorum Rex, decrevit, ut nihil mutaretur, ſed & ſimul literis cavit, ne res ullo modo noceret Erneſto, nec poſteris.

Eodem anno inter Cameræ Imperialis Emendatores Marchio noſter comparet.

Circa id tempus Caſtrum Landeck & vicus Kœndringen in Marchia Hachbergæ, ut & vicus Brunſtatt in Sundgovia, occaſionem litis cum Auſtriaca domo dederunt Erneſto. Litem Eraſmus, Argentinenſis Epiſcopus, A. 1549. componere ſtuduit.

§. XIII.

Monaſt. Nymburg.

Nymburgi in eadem Marchia haud procul Emmedinga, Monaſterium fuit Eremitarum Ordinis D. Antonii, ſimile illis, quæ olim Friburgi Briſgoviæ, Villingæ in Nigra Sylva, Memmingæ apud Suevos floruerunt. (*d*) Carolus I. Marchio Eccleſiam parochialem Nymburgi, in quam jus patronatus habebat, Præceptori Ordinis D. Antonii, in Friburgenſi Civitate habitanti,

(*d*) MANLII *Chronicon Conſtantienſe*, & ex eo PETRUS in *Suevia Eccleſiaſtica.*

Digitized by Google

A. 1456. tradidit, ut Monaſterium ejusdem Ordinis ibi conſtitueret. Monachi ad paupertatem redacti, A. 1545. locum illum paulatim deſeruerunt. Erneſtus & ſucceſſor ejus Carolus Noſodochium ibi conſtituere.

Albertus, natu maximus filiorum Erneſti, quum A. 1542. præmatura morte obiiſſet, de portione terrarum ejus inter Bernhardum & Carolum fratres enata eſt controverſia, quam Erneſtus pater, A. 1547. ita compoſuit, ut inferiorem Marchionatum Bernhardus; Marchiam Hachbergæ cum reliquis Brisgoviæ Dynaſtiis acciperet Carolus.

In Comitiis Germaniæ A. 1548. decretum eſt, ut novum Imperii conficiatur Laterculum, quod vocant Matriculam, ad quod tributa publica, huc usque inæqualiter diſtributa, in poſterum exigerentur. Curam ejus rei in Circulo Suevico Elector Moguntinus Auguſtano Epiſcopo & Erneſto Marchioni, literis die 24. Jun. ſcriptis, commendavit. Ordines Imperii in Comitiis Auguſtæ habitis, eadem repetierunt. Literæ Ordinum ad memoratos Principes die ultimo Junii conſcriptæ ſunt; ex quibus apparet, jus convocandi Circuli Suevici Ordines ſoli Wirtenbergæ Duci illo tempore nondum competiiſſe; quod & aliis exemplis firmatur.

A. 1551. Erneſtus cum Friderico, Septemviro Palatino, Wolfgango Bipontino, Johanne Brandeburgico, Chriſtophoro

ERNEST.

Wirtenbergico aliisque Principibus pro liberando Landgravio Haſſiæ ad Cæſarem miſit legatos. (e)

§. XIV.

Regimen filiis tradit.

Poſt regimen 38. annorum Erneſtus, privatam acturus vitam, certa ſub lege duobus filiis (Albertus enim jam ante decennium obierat) regimen tradidit; ſuam cuique partem aſſignans; ut, qui ab eo vitam acceperant, artem quoque regnandi ab eo adhuc vivo, addiſcerent, atque adeo non tam ordini naturæ, quam patris voluntati, ſuum regimen deberent. Inſtrumenta hac ſuper re, Chriſtophori, Wirtenbergæ Ducis, interventu, A. 1552. condita ſunt.

Cum Bernhardo, filio natu ſeniore, in hunc modum convenit.

1. Pater die XI. Auguſti, Pforzheimenſem partem concedit Bernhardo.

2. Bernhardus, ut Vicarius patris, quotannis feſto D. Martini, in œconomicos parentis uſus Offenburgum 500. quartalia frumenti, 500. quartalia avenæ, 25. plauſtra vini ſumptibus ſuis curet transferri.

3. Bernhardus & Carolus fratres duas virgines ſorores, eodem modo dotent, quo maritatæ dotatæ ſunt; mortuoque patre

(e) THUANUS Lib. VIII. Cap. 6. pag. 281. SLEIDANUS Lib. XXIII. p. 370.

patre ſumtibus ſuſtententur communibus fratrum. Fine anni de acceptis & expenſis patri reddantur rationes, ut de Marchiæ adminiſtratione ſit omnino ſecurus.

4. Pecuniarios reditus ex ſortibus & bonis, ab ipſo acquiſitis, ſibi pater reſervat, ut & ex metallifodinis.

5. Liberum ſit patri, quandocunque voluerit, recipere regiminis faſces.

Simile Inſtrumentum in Caroli filii junioris favorem die 26. Septembris ejusdem anni', ratione Hachbergæ, Rœtelæ, Sauſenbergæ & Badevillæ condi juſſit Erneſtus.

§. XV.

In privato hoc-ſtatu non ultra quinque menſes Erneſtus transegit, ſexto Februarii anni ſequentis (1553.) ereptus e vivis, anno ætatis 71. Pforzhemii in Choro Collegiatæ Eccleſiæ, quæ olim Aulica fuit, atque adhuc, ſed absque Canonicis ſubſiſtit, ſepultus. Obitus & Character.

Monumentum in Eccleſiæ choro magnificum, duplex; altera pars Erneſtum, altera uxorem Urſulam repræſentat.

Sepulcralis inſcriptio nonniſi ſimplex eſt, nomen ejus & ætatem indigitans.

Ex omnibus Erneſti geſtis Princeps vere bonus, juſtus, lenis, æquus, & prudens elucet. Maximiliano & Carolo V. Cæſaribus, ut & Regi Romanorum Ferdinando, ſemper carus, con-

Digitized by Google

ſtanti quoque Principum Imperii amicitia floruit; cum quibus nunquam in gratiam redierat; quod nullum eorum offenderat unquam. Moderatio, quæ omnibus ejus præſedit actionibus, in negotio religionis, ubi rara eſſe ſolet, præſertim apparuit. Vetera ſacra nec aboluit; nec perſecutus eſt, quæ viſa ſunt nova. Comitiorum vel Concilii futuri decreta expectans, ſuoque diffiſus judicio, caute omnia tractavit; Friderici II. Electoris Palatini, amici ſui, imitatus exemplum, antequam hic arma contra Cæſarem corripuit. Unde nec Smalcaldico fœderi A. 1536. nec Smalcaldico contra Cæſarem religionis bello, A. 1546. ſubſcripſit.

Lenitas Erneſti ita fuit comparata, Principis dignitati ut nihil decederet. Auctoritate cum opus, ſeverum ſe oſtendit & gravem; quod exprimit lemma ejus nummo impreſſum: *Erneſto illudere noli.* (*f*)

§. XVI.

Religio.

Regimen ejus in illa incidit tempora quibus religionis negotia igne tractabantur & ferro. Lutheraniſmus & Zwinglianiſmus in Germania & in reliquo Europæo orbe magnas vires tum acquirere viſi ſunt. Cæſar, veteris religionis tenax, eam contra Proteſtantes defendere; hi ſermonibus & ſcriptis ſuam promovere quovis modo ſtuduerunt. Mediam Erneſtus ingreſſus

(*f*) *Nit Schimpf mit Ernſt.* Nummum, qui hoc ejus ſymbolum refert, vide infra inter Numiſmata.

eſt viam. In abolendo veteri cultu lentus, in admittendo novo non præceps, nec Cæſarem offendit, nec Proteſtantes a ſe alienavit; futuram religionis pacem, quam ſperaverat, expectans; cujus initium Paſſavienſi Transactione lætus vidit; complementum Pace Auguſtana videre non potuit.

Lutheranum tamen Concionatorem, quem Philippus frater vocaverat, Ungererum, Pforzhemii publice docere permiſit. Quin & ipſe Concionatorem Aulicum, Proteſtantium ſacris addictum, denique habuit, Jacobum Truckenbrotium, qui dein ad Eccleſiam S. Theodori Baſileæ Minoris vocatus eſt Paſtor. Hoc auctore non ſemel Auguſtanam Confeſſionem in terris ſuis introducere cogitavit Erneſtus, niſi Cæſarem timuiſſet. Filios tamen ſacris Lutheranis imbui curavit. In Clericos, diſſolutis moribus viventes, inclemens. Ferdinandus Romanorum Rex, ad Prælatorum Brisgoviæ, Sundgoviæ & Silvæ Nigræ preces A. 1536. a propoſito avocare ſtuduit Erneſtum; ſed ille jus ſuum in Clericos, ditioni ſuæ ſubjectos, eorumque bona, in Marchionatu ſita, literis, die 12. Martii A. 1537. ad Ferdinandum ſcriptis, defendit.

Erneſtus in Badenſium Marchionum ſerie primus eſt, qui *Landgravii* axioma in ſua Gente renovavit, illudque Sauſenbergico axiomati junxit, *Landgravium Sauſenbergæ* ſe vocans.

§. XVII.

Uxor I. Brandeburgica.

Tres Conjuges thoro ſuo induxit Erneſtus; cum quibus conſtanti vixit concordia.

Prima fuit ELISABETHA, Friderici Brandeburgici filia; Alberti, Boruſſiæ primi Ducis, ſoror, quæ A. 1494. die 26. Martii nata, nupta die 29. Sept. 1510.

Ceremoniam Maximilianus Cæſar legatione ornavit, Eliſabetha poſt octennale connubium obiit Stutgardiæ die 31. Maji A. 1518. in primaria illius Civitatis Eccleſia ſepulta; ubi inſcriptio ejus ſepulcralis hodieque ſupereſt, nihil præter nomen continens.

§. XVIII.

II. Roſenfeldia.

Secunda Erneſti uxor fuit URSULA DE ROSENFELD; (g) ex perantiqua Suevicæ Nobilitatis gente prognata; quæ nomen ſuum traxit ab oppido, quod Wirtenbergicæ Præfecturæ cognominis caput eſt. Urslingenſis Dynaſtiæ veteris pars fuit. Eberhardus, Wirtenbergæ Comes, Wernero de Roſenfeld immunitatem bonorum Roſenfeldæ A. 1389. confirmavit. (h)

In haſtiludio Wirzburgenſi A. 1479. decretum fuit, ut, quorum majores jam frequentaverant haſtiludia, & qui quartum No-

(g) Nonnulli male *Roſenfels.* Roſenfeldiorum Inſignia extant in *Libro Inſignium,* Norimbergæ impreſſo, Part. II. Tab. 98.

(h) BURGERMEISTER *Cod. Diplom. Equeſtr.* Tom. II. pag. 631.

bilitatis gradum probaverint, ad certamen admitterentur ſoli. Wolffius de Roſenfeld ſenior teſtimonia protulit. (*i*)

A. 1488. inter Nobiles Clypei S. Georgii, qui Fœderi Suevico nomen dederunt, Wernerus Georgius & Wolffius de Roſenfeld numerantur. (*k*)

A. 1518. Georgius de Roſenfeld Nobilis deceſſit cum conjuge Margaretha de Hoheneck, (*l*) in Byhelenſi Eccleſia prope Tubingam ſepultus. (*m*)

Eberhardus de Roſenfeld Eccleſiaſticam vitam eligens, A. 1525. cælebs deceſſit, in eadem Eccleſia ſepultus. Cum eo Roſenfeldia gens periit, ut CRUSIUS teſtatur. (*n*) Urſulæ de Roſenfeld, quæ Erneſto Marchioni nupſit, pater videtur fuiſſe Georgius ille, qui A. 1488. Fœderi Suevico acceſſit & A. 1518. extinctus eſt.

Urſula Roſenfeldia die 26. Febr. A. 1538. deceſſit, Pforzhemii prope maritum ſepulta. Sepulcrum ſimplici Inſcriptione ornatum; absque chronologicis & genealogicis notis.

(i) CRUSIUS *Paraleipom. Rer. Suev.* pag. 103.

(k) DATT. *de Pace Publica* Lib. II. Cap. 7. pag. 280.

(l) A. 1488. Rodulfus & Johannes de Hoheneck in Fœdere Suevico partis Hegovicæ; A. 1512. Endriſs de Hohneck in Fœdere Nobilitatis Suevicæ occurrit. DATT. *de pace publica* Lib. II. Cap. 7. pag. 279. Cap. 22. pag. 204.

(m) Epitaphium exhibet CRUSIUS *Annal. Suev.* Part. III. Lib. XII. pag. 810.

(n) Loco alleg.

§. XIX.

III. Bombaſtia de Hohenh.

Tertia Erneſti conjux erat ANNA BOMBASTIA DE HOHENHEIM, quam Genealogi Badenſes ignorant.

Hæc ex veteri quoque Suevorum Nobilitate prodiit. Hohenheim vicus, ſupra Plieningam, in Wirtenbergico Ducatu, Caſtro quondam conſpicuus, quod Nobiles, nomen inde ducentes, inhabitarunt. Seculi XIII. medio Hohenheimenſes Nobiles dimidiam Præfecturæ Eslinganæ partem tenuerunt. (o) Ejusdem ſeculi fine (A. 1292.) Fridericus & Hugo patrueles, dicti de Hohenheim vixerunt. Wilhelmus Bombaſt de Hohenhaim cum ſociis Clypei S. Georgii ad Neccarum Suevico Fœderi A. 1448. acceſſit. (p) Hic Annæ Marchioniſſæ vel pater fuit vel avus.

Obiit poſt maritum vidua XXI. annorum A. 1574. die 6. Junii. Epitaphium ejus duplex Sulzbergæ in Eccleſia Aulica in choro conſpicitur. Duo nempe lapides ſepulcrales: alter muro incluſus, cum quatuor gentilitiis inſignibus, alter in plano. Conjugium hoc ſterile. At numeroſam Erneſto ſobolem conjuges duæ priores dederunt.

§. XX.

Albertus filius Erneſti.

Ex Eliſabetha prodiit Albertus; cujus annus nativitatis ignotus. Turcico bello A. 1541. in Hungaria interfuit; ex qua

(o) CRUSIUS *Paralipom. Annal. Suev.* pag. 91.

(p) DATT. de *Pace Publ.* L. II. C. 7. pag. 280.

redux anno ſequenti, die XII. Decembris Waſſerburgi in Bavaria, in ipſo juventutis flore, deceſſit. Juvenis non ſatis obſequens patri, ad ſecundas pater quod progreſſus eſt nuptias.

JOHANNES SAPIDUS, Seleſtadienſis, inter bonarum literarum reſtauratores illuſtris, Argentorati docens, *Conſolationem* de morte Alberti hujus ad Guilielmum Bœcklinum, Epiſcopi Argentinenſis Præfectum Rubeaquenſem ſcripſit, quæ Argentorati A. 1544. impreſſa (*q*) oſtendit, Albertum bonis literis non mediocriter fuiſſe ornatum. Scriptum hoc Sapidi Albertum, Chriſtophori Marchionis fratrem, reſpicere ſupra (*r*) relatum eſt. Sed Albertum noſtrum Chriſtophori nepotem, Erneſti filium, a Sapido laudatum eſſe, monendus eſt Lector.

§. XXI.

Alberto naſcendi ordine ſucceſſit *Anna*, Carolo Hohenzollerano Comiti A. 1537. nupta; Johannis Georgii, Hohenzollerani Comitis avia; quem Ferdinandus II. A. 1623. Imperii Principem Ratisbonæ creavit. Filiæ Erneſti. I. Anna.

Secunda filiarum Erneſti, *Amalia*, Friderico Lœwenſteinii Comiti, Cameræ Imperialis Præſidi, A. 1561. nupta, A. 1594. absque liberis defuncta eſt. II. Amalia.

(*q*) GESNERUS in *Bibliotheca* pag. 494. HERTZOG in *Chron. Alſat.* Lib. VII. pag. 36.

(*r*) Tom. II. pag. 291.

ERNEST.

III. Maria Jacobæa. Tertia Erneſti filia fuit *Maria Jacobæa*, Wolfgango, Comiti Barbienſi, apud Saxones A. 1577. maritata, A. 1594. mortua.

IV. Maria Cleophe. Quarta fuit, *Maria Cleophe*, Wilhelmo, Sulzio Comiti, in matrimonium collocata A. 1584. deceſſit d. 28. Auguſti A. 1580.

V. Eliſabetha. Quinta fuit *Eliſabetha*, nata d. 20. Maji A. 1516. Primo hæc matrimonio A. 1533. nupſit Gabrieli, Salamancæ Comiti, Ferdinandi I. Cæſaris Aulico, qui eum Ortenburgæ apud Carentanos Comitem creavit.

Ephorus hic fuerat Ferdinandi I. Imp. quum ex Hiſpania in Germaniam proficiſceretur. Salamancano mortuo Eliſabetha ſecundis nuptiis A. 1554. Conrado Comiti de Caſtello, Wolfgangi filio, nupſit atque A. 1552. die 9. Maji diem obiit ſupremum.

§. XXII.

Bernhardus filius. Secundus filiorum Bernhardus A. 1517. natus, adoleſcens A. 1534. Lutetiam & Aurelianum profectus eſt. Redux indomitus juvenis, liberiorem cum ageret vitam, diviſione terrarum, a patre inter filios A. 1537. facta, non contentus, debitis immerſus, ad Baſilienſes ſe vertit & ab illis jus Civitatis ad 20. annos pro ſe & pro terris, quas ex paterna hæreditate aliquando in Hachbergæ, Sauſenbergæ & Rœtelæ ditionibus accepturus erat, A. 1540. die 2. Aug. obtinuit.

In conventione cum Baſilienſibus inita, promiſit illis jus aperturæ in Caſtris ſuis; promiſit, inſciis illis, ſe non ſuſceptu-

rum

rum eſſe bellum; nec contra religionem aut leges illius Civitatis aliquid ſe ſuſcepturum, ſi in ea fortaſſis commorari decreverit. Bernhardus enim, uti pater, Proteſtantium ſacris nondum publice acceſſerat. Evenerunt hæc, ſenior dum viveret frater Albertus.

Mortuo cælibe fratre A. 1542. ſororum & affinium interceſſione Bernhardus anno ſequenti die 15. Octob. a patre in gratiam his conditionibus receptus eſt:

I. Bernhardus per triennium militet ſub Cæſare, vel ſub Rege, Electore quodam aut Principe.

II. Juri Civitatis Baſilienſium renunciet. Pater ejus debita, ibi contracta, ſolvat.

III. Alberti, natu maximi filiorum, nuper mortui, Pforzheimenſem Marchiæ portionem pater aſſignavit Bernhardo. Carolo Hachberga, Sauſenberga, Rœtela & Badevilla conceſſæ.

Bernhardus, XXXVI. annorum juvenis, die 20. Jan. deceſſit cælebs, ante patrem, ſepultus Pforzhemii. (s) IMHOFIUS eum cum Beato Bernhardo confudit. (t)

(s) Epitaphium ejus eſt: *Anno a Chriſto nato M D L I I I. X I I I. Cal. Febr. illuſtriſſ. Princeps Bernhardus Marchio Badæ & Hochbergæ. &c. cum ex febre laboraret ſuam in Jeſum Chriſtum fidem pie teſtatus univerſæ carnis viam ingreſſus eſt.*

(t) *Tabular. Genealogicar.* Part. II. Tab. 78.

§. XXIII.

VI. Margaretha filia. Sexta Erneſti Marchionis filia, Margaretha, Wolfgango, Oetingæ Comiti, qui fuerat filius Ludovici ſenioris, nupſit die 12. Nov. A. 1538.

VII. Salome filia. Septima filia Salome, Uladislao, Comiti ab Haag, A. 1540. nupta; ſine liberis A. 1559. defuncta.

Carolus filiorum poſtremus. Carolus Erneſti filiorum fuit poſtremus, ex Roſenfeldia A. 1529. prognatus. Erneſtinæ hic Lineæ propagator in regimine ſucceſſit patri, quem omnino felicem diceres, ſi nonniſi hunc filium habuiſſet; cujus nativitatem ægre tuliſſe videntur fratres natu majores.

Nec transeundum ſilentio eſt, Tabularii Marchici illorum temporum cuſtodes, in annotanda matrimoniorum Erneſti Marchionis & nativitatis liberorum ejus chronologia non fuiſſe ſatis diligentes.

Digitized by Google

CAPUT II.

CAROLUS II.

A. 1553 - - 1577.

§. I.

Poſtremus filiorum Marchionis Erneſti Carolus, Erneſtiadum & Carolorum Badenſium fuit ordine ſecundus. Sub eo in juniore hac Linea, ejusque terris, evenit quoque religionis mutatio, quæ in Linea ſeniore & Marchia ſuperiore jam pridem fuerat introducta. (*a*) Carolus II. A. 1529. die 24. Jul. lucem aſpexit Sulzbergæ, ubi pater tum habitabat. Hic quidem A. 1537. ordinaverat, ut vel Hachbergicus Marchiona- Caroli II. initia.

(*a*) Sub Bernhardo & Philiberto. Vid. Tom. III. pag. 15. 20.

tus, vel Sauſenbergicæ, Rœtelanæ & Badevillanæ ditiones, inſtituta cum Bernhardo fratre ſortitione, ad Carolum tranſirent. Sed immutata eſt rerum facies, cum Albertus atque Bernhardus, fratres natu majores Caroli, ante patrem obiiſſent.

Omnem patris hereditatem A. 1553. vigeſimo quarto ætatis anno Carolus ſolus adivit.

Primaria ejus cura fuit, ut contentiones, cum Wirtenbergico Duce de territorio componeret, atque Baſilienſes vicinos arctiori fœdere, mutuæ defenſionis cauſſa, ſibi conjungeret.

Primo Regiminis anno hoc fœdus confectum, & res cum Wirtenbergico compoſita. Controverſia de ære alieno, quod Bernhardus, Caroli frater, quondam Baſileæ contraxerat, aliisque de rebus minoris momenti, pactione quoque ſublata eſt.

Circuli Suevici dux eodem anno a Chriſtophoro, Wirtenbergæ Duce ac reliquis Sueviæ Ordinibus creatus eſt Carolus. At dignitatem recuſavit; rerum bellicarum ſe non ſatis gnarum cauſatus.

§. II.

Mutatio ſacrorum.

Paulo poſt in Auguſtanis Comitiis A. 1555. Pax publica Religionis quum ſtabilita fuiſſet, Carolus animi ſui ſenſa, quæ huc usque occultaverat, anno ſequente publice explicuit, miſſoque legato Auguſtanæ Confeſſioni & Proteſtantium ſacris ſe acceſſurum eaque in Marchiam ſuam publice introducturum, declaravit. Quin & ipſe brevi poſt in Comitiis comparuit, ac ea, quæ

Digitized by Google

declaraverat legatus, ſuo præſens ore firmavit, Receſſui Imperii ſuâ manu ſubſcribens.

Anno ſequente ea, quæ in Comitiis promiſerat, executioni daturus, Jacobo Andreæ & Jacobo Heerbrando, Tubingenſium Theologis, ut & Simone Sulcero, Baſilienſium Antiſtite, (b) aliisque Proteſtantium Doctoribus, Pforzhemium invitatis, veterem cultum aboluit, illumque inſtituit, quem Confeſſio Auguſtana commendat; (c) & qui in ſuperiore pridem Marchia obtinuit. Idem quoque tunc facere cœperat Otto Henricus, Palatinus Elector, & Spirenſis Senatus.

Caraſa in Commentariis ſuis (d) ita ſcribit: „ Minus conſtantes fuerunt Otto Henricus, Elector Palatinus & Carolus
„ Marchio Badenſis, qui anno uno poſt Edictum Pacis, e ſuis
„ ditionibus veterem religionem profligarunt, & novam intro-
„ duxerunt. Unde paulo poſt contra Pacis Edictum Eccleſiaſticos
„ omnes reditibus, poſſeſſionibus ac beneficiis in ſuis ditionibus
„ ſpoliarunt, eaque in proprios uſus, aut in miniſterium ſuarum

(b) Baſilea Lutheranis ſacris per aliquod tempus tum fuerat addicta mortuoque Sulcero ad Reformata rediit.

(c) Sleidanus Lib. XXVI. pag. 871. Thuanus Lib. XVII. Cap. 22. p. 603. litteræ ejus hac ſuper re extant in Joh. Christian. Sachsii programmate de Carolo II.

(d) De Germania ſacra, pag. 35.

„ Eccleſiarum aut ſcholarum novæ doctrinæ applicarunt. „ Saxonica illius ævi cum Badenſibus comparare ſi lubeat, Erneſtum Badenſem cum Friderico Sapiente, Carolum noſtrum cum Johanne Conſtante haud immerito compares. Erneſtus, Caroli V. reverentia ductus, in religionis negotio, ut Fridericus Elector, lente & caute proceſſit. Carolus Badenſis, ut Johannes Saxo, Friderici ſucceſſor, nova ſacra amplexus, in ſuis illa terris promovit atque defendit; *Conſtantis* elogium apud Proteſtantes promeritus, quod Saxones ſuo tribuerunt Johanni.

§. III.

Monaſteria ſeculo addicta.

Pleraque monaſteria, præſertim Pforzhemii, præſcriptam religionis formulam ſubire tenebantur. (e) Wirtenbergæ Dux regulam, qua in reformandis Ducatus ſui monaſteriis uſus eſt, cum Marchione communicaverat. At Pforzheimenſes Moniales nonniſi A. 1564. Cœnobium relinquentes, apud Kirchbergenſes denique invenerunt refugium. (f)

Immutatio hæc rerum difficultatibus obnoxia fuit. De inſtitutione paſtorum & miniſtrorum Eccleſiæ cum Collatoribus

(e) Tria feminarum, ſex virorum monaſteria fuerunt Pforzhemii, in tam modica civitate, quæ nonniſi octingentos cives continebat. Monaſteria hæc recenſet PETRI *Suevia Eccleſiaſt.* p. 664. ſq. Godeſavienſes Monachi plures in Monaſterium Ochſenhuſanum tranſierunt.

(f) PETRI *Suevia Eccleſiaſt.* pag. 460.

Digitized by Google

Catholicis exortæ ſunt lites; quæ Auſtriacos inter & Carolum Stutgardiæ, Pforzhemii, Baſileæ & Neoburgi A. 1560. & ſequentibus amica compoſitione pedetentim ſopitæ; ita quidem, ut Catholici, quibus jus Patronatus competiit, Paſtores Auguſtanæ Confeſſioni addictos, Marchioni ſe oblaturos promiſerint. Circa vicum Stetten, Lœraco vicinum, A. 1559. difficultas nata eſt. Vicum hunc Schœnavii Nobiles ab Abbatia Seckingenſi tenent in feudum. Marchio, cui jus vitæ & necis aliaque ſuperioritatis jura in eo competunt, Evangelica quoque ſacra ibi introducere ſtuduit. Sed intercedentibus Schœnaviis & Auſtriaco Regimine, quod vici hujus ſuprematum ad Auſtriacam Domum ſpectare contendit; ipſoque Cæſare A. 1565. ad Marchionem ſcribente, in priſtino res ſtatu relicta.

A. 1556. Carolus Caſtrum Weyher, prope Emmedingam, Melchiori de Au vendidit, ſed poſt novendecim annos illud recepit.

§. IV.

Albertus, Brandeburgicus Marchio, ille Germanorum Achilles, qui nominis ſui terrore tum compleverat omnia, poſt varia bella, prœlio denique ad Sivershuſam Luneburgicam A. 1553. victus, ſuisque pulſus ditionibus, fuga ſe in Galliam receperat. Interventu Caroli Marchionis, affinis ſui, aliorumque Principum reditus ei in Germaniam conceſſus eſt. Arrepto igitur per Lotharingiam & Alſatiam itinere ad Carolum noſtrum venit Pforz- Alberti Brandeb. obitus.

CAR. II.

hemium; ubi morbo correptus A. 1557. die 8. Januarii ætatis anno XXXV. deceſſit, in Collegiatæ S. Michaëlis Eccleſiæ crypta Marchionum ſepultus. (*g*)

Statua ejus eleganter exſculpta inter Durlacenſes Marchiones in Eccleſiæ Choro incorrupta ſubſiſtit. (*h*)

§. V.

Comitia Francofurt.

Celebrata ſunt anno ſequenti (A. 1558.) Februario menſe Francofurti Electorum Comitia, ut Ferdinandus I. Carolo V. deponente Imperium, ex Rege Romanorum conſtitueretur Cæſar. (*i*) Comitiis his Carolus Badenſis interfuit.

In

(*g*) THUANUS Lib. XIX. Cap. 4. p. 642. CRUS. *Annal. Suevicor.* Lib. XII. Part. III. p. 698. HEERBRANDUS, qui interfuit morienti, in *Relatione peculiari* apud HORTLEDER. Cap. XXX. & ſq. HEUTERUS Lib. XV. Cap. I. THRASYBULUS LEPTA, vel, qui ſub nomine hoc latuit, CONRADUS DINNER, in *Hiſtoria de Rebus Geſtis Ludovici a Seinsheim*, Lib. II. pag. 136.

(*h*) Inſcriptionem monumenti dedit MAJUS in *vita Reuchlini* pag. 129. & ante eum ZEILERUS *in Itinerario German.* pag. 563. Item HENR. PETRI *Cont. Sleidani* pag. 127.

(*i*) CHYTRAEUS in *Chronico Saxoniæ* Lib. XIX. p. 557. GODELEVAEUS *de Abdicatione Caroli V.* apud SCHARD. Tom. II. pag. 1893.

In illis Cæſaris legati, depoſita ejus nomine Imperatoria dignitate, in Ferdinandum Romanorum Regem eam tranſtulerunt. (*k*) Occaſione hac Electores Proteſtantes, cum Veldentino & Wirtenbergico Ducibus, cum Landgravio Haſſiæ & Carolo noſtro, de diſſidio religionis inter ipſos Evangelicos ſuper Euchariſtiam exorto, ejusque componendi ratione, iniverunt conſilia; Auguſtanæ Confeſſioni, Carolo V. oblatæ, Invariatam quam vocant, conſtanter ſe adhæſuros profeſſi.

§. VI.

Comitia Auguſtana.

Succeſſerunt anno ſequente (A. 1559.) Auguſtana Comitia, quibus Carolus Marchio interfuit. Tum vero Wormatienſis Colloquii Acta coram Imperii Ordinibns recitata ſunt publice. Ex quibus concilianda religionis ſpes nulla cum affulgeret, Cæſar Tridentinæ Synodi, quæ ab A. 1552. interrupta fuit, inſtaurandæ conſilium Ordinibus aperuit, ſed Auguſtanæ Confeſſionis refragati ſunt Principes. Religioſa tamen Pax, denuo firmata. (*l*) In iisdem Comitiis Carolus noſter & fœderati Principes de Reſervati Eccleſiaſtici abolitione Cæſarem fortiter ſollicitarunt; nun-

(*k*) CHYTRAEUS *in Chron. Saxon.* Lib. XX. p. 579. THUANUS Lib. XXII. Cap. VII. pag. 748. Orta tamen ſunt brevi poſt Gravamina, quæ apud LEHMANNUM *de pace religioſa* Lib. II. Cap. I. & II. leguntur.

(*l*) SCHADAEI *Continuatio Sleidani* Part. I. Lib. IV. pag. 171.

quam illud ſe agnoviſſe, nec unquam agnituros eſſe, profeſſi. Cæſar rem omnem ad Conventum Deputatorum, qui vocantur, Imperii, Spiræ habendum, rejecit. (*m*)

A. 1559. Carolus noſter Wilæ & Altenſteigæ diſſidia varia ſuper jus foreſtale & alia hujus generis cum Wirtenbergæ Duce terminavit, quæ enarrare heic neceſſe non ducimus.

Eodem anno Salome, Caroli noſtri ſoror, Ladislao Comiti de Haag nupta, cum obiiſſet, maritus ſuperſtes dotem ejus & cetera bona, titulo donationis inter vivos, ſibi vindicavit. Camera Imperialis pro Carolo Marchione litem decidit.

A. 1560. Delubrum D. Mariæ Virginis ad Quercum, prope Wilferdingam, eximio opere & peregrinationibus religioſis celebre, aboluit Marchio.

§. VII.

Conventus Naumburg.

Anno ſequenti plerique Auguſtanæ Confeſſionis Principes apud Thuringos convenerunt Naumburgi. Septemviri aderant duo, Fridericus Palatinus & Auguſtus Saxo. Aderant Johannes Fridericus Saxoniæ, Erneſtus & Philippus Brunſvici, Ulricus Meclenburgi, Chriſtophorus Wirtenbergæ, Duces, Philippus Landgravius Haſſiæ, Wolfgangus Comes Palatinus Rheni, Erneſtus Hennebergæ Princeps, Principumque reliquorum legati. Aderat etiam Carolus Badenſis.

(*m*) SCHADAEI *Continuatio Sleidani* Part. I. Lib. IV. pag. 171.

Digitized by Google

Auguſtanam Confeſſionem, cui Pacis Religioſæ beneficium competit, Proteſtantes deſeruiſſe, Romanenſes urgebant; alios Zvinglii; alios aliorum Doctorum ſententias & opiniones amplexos cauſati. Doctrinam eorum vagam eſſe atque inſtabilem. Objectionibus his ut occurrerent Principes, Auguſtanam Confeſſionem Carolo V. exhibitam, quæ ab hoc tempore Invariata (*n*) appellatur, ſubſcriptione ſua denuo Naumburgi firmarunt; quod & Carolus noſter fecit Badenſis.

Ardua denique eodem in Conventu agitata eſt quæſtio; An Principum Proteſtantium legati ad Concilium mittendi ſint Tridentum. Sollicitandis Principibus Zachariam Delfinum & Franciſcum Commendonum (*nn*) Nuntios ad Conventum hunc miſit Pius IV.

(*n*) Philippus Melanchthon in Nova Editione Auguſtanæ Confeſſ. A. 1540. in articulo X. ubi de S. Cœna ſermo eſt, hæc verba poſuit: *Quod cum pane & vino vere exhibeantur Corpus & Sanguis Chriſti veſcentibus in Cœna Domini.* In Exemplari authentico Confeſſionis A. 1530. Auguſtæ Vindel. Carolo V. exhibitæ legitur: *Quod Corpus & Sanguis Chriſti vere adſint.* Ab hoc tempore inter Variatam & Invariatam Confeſſionem Auguſt. diſtinctio.

(*nn*) Flechier *Vie du Cardinal Commendon* Lib. II. Cap. 2. ſeq. ex Schedis Gratiani. Paulus Sarpius *Hiſt. Concil. Trident.* Lib. V. §. 63. Pallavicinus *Hiſtor. Concil. Trident.* Lib. XV. Cap. 2. Raynaldus ad A. 1561. num. 25.

Digitized by Google

Miſit & legatos ſuos Cæſar Ferdinandus. Re deliberata decrevit Conventus, Proteſtantibus abſtinendum Tridento, eaque de re mentem ſuam Cæſareis aperuerunt legatis. Conſilii rationes conſignatæ libello, qui Cæſari Francofurti oblatus. (o)

§. VIII.

Acta varia.

Argentinenſes, veteri amicitiæ vinculo cum Badenſibus juncti, Carolum noſtrum induxerunt, ut negotiis eorum cum Epiſcopo ſe immiſceret. Senatus Argentinenſis in Eccleſiis Collegiatis urbis ſuæ Sacrificium Miſſæ A. 1529. ſuſpendit. Vicennio poſt cum Eraſmo Epiſcopo transactionem inivit, virtute cujus in iisdem Eccleſiis priſtinus reſtitutus eſt cultus. Finito Naumburgenſi Conventu, cui Henricus de Mulnheim, legatus urbis intererat, Argentinenſes in Summo templo, quod Eccleſiaſtici A. 1559. menſe Nov. deſeruerant, (p) Lutherana ſacra eum in modum, qui ante Transactionem cum Eraſmo obtinuerat; die 18. Maji 1561. reſtituerunt.

In omni hoc negotio ſine Caroli Marchionis conſilio Argentinenſes nihil ſuſceperunt. (q)

(o) CHYTRAEUS, qui Conventui interfuit, Lib. XX. p. 586. ſeq. THUANUS Lib. XXVIII. Cap. XXI. Libri rubrum eſt: *Stattliche Ausführung der Urſachen* &c. Editus quoque latine Argentorati A. 1565. 4to.

(p) GUILLIMAN. *de Epiſcopis Argent.* p. 451.

(q) BERNH. HERZOG. *in Chron. Alſatiæ* Lib. VIII. pag. 100.

A. 1562. Caſtrum Remichingen & vicum Minoris Steinbach (r) aliaque Remichingorum Nobilium jura coëmit Carolus & ſuae Marchiae adjecit.

Eodem anno Conventui Circuli Suevici una cum Chriſtophoro, Wirtenbergae Duce, interfuit Ulmae.

A. 1563. idem cum Chriſtophoro Wirtenbergico ſuper reditus Eccleſiaſticos Conventionem inivit; utrique Principi utilem. Conventum eſt, ut redituum, quos alter in alterius ditione habuerat, permutatio fieret, adeoque minoribus impenſis reditus ſuos uterque perciperet. Tractatus concluſus fuit Wilae Suevorum.

Apud Fridericum Electorem Palatinum, qui Calviniana ſacra tum in terris ſuis introducebat, una cum Chriſtophoro Wirtenbergico & Wolfgango Bipontino pro Lutheranis eodem anno (1563.) interceſſit.

Anno ſequente Moniales D. Mariae Virginis & D. Mariae Magdalenae, Ordinis Praedicatorum, Pforzhemii, accepta undecim florenorum millium ſumma, Monaſterium ſuum, una cum vicis, hominibus, reditibus, juribusque Carolo Marchioni tradiderunt.

Idem cum Marquardo, Spirenſi Epiſcopo, pactionem inivit, qua homines proprii, quos alter in alterius ditione habue-

F 3

(r) Klein Steinbach.

rat, permutati ſunt. In alterius ditionem in poſterum migraturi ejusdem juri atque dominio addicti. Detractionis jure tamen prior Dominus libere utatur. Conventio hæc A. 1576. ad Capitulum Cathedrale apud Spirenſes extenſa.

§. IX.

Lites cum Sueviæ Nobilibus.

Nuperorum Imperii Comitiorum Decreta (s) libertati ſuæ periculoſa eſſe Sueviæ Nobiles ſuſpicati ſunt. Poſt varios Conventus denique Munderkingæ die VII. Aug. A. 1560. arctiori ſe fœderi junxerunt, quo libertatem avitam & jura ſua adverſus Principum conatus ſe defenſuros jurarunt. Fœdus hoc Cæſar A. 1561. firmavit.

Confirmatio Principes vicinos commovit. Fridericus III. Palatinus Elector, Albertus Dux Bavariæ, Wolfgangus Palatinus, Chriſtophorus Wirtenbergæ Dux, Philippus Landgravius Haſſiæ; Carolus & Philibertus, Marchiones Badenſes, de communi ſalute tuenda inter ſe iniverunt conſilia; publicoque ſibi proſpexerunt ſcripto A. 1562. ne ex confirmatione fœderis Nobilium, a Cæſare obtenta, ipſi detrimenti quid caperent. (t) A.

(s) *Receſſ. Auguſt.* Part. I. §. 46.

(t) Proteſtationes exhibet liber, cui rubrum: *Reichsſtändiſche Archival-Urkunden ad Cauſam Equeſtrem* Part. II. Cap. I. pag. 21. & 22. ubi & alia huc pertinentia occurrunt.

Digitized by Google

parte Principum celebratus quoque Maulbronnæ Conventus; ubi de jungendarum inter ſe virium modo deliberatum. (*u*)

§. X.

Iisdem temporibus Grumbachianæ in Franconia turbæ ſurrexerant; quibus pleraque Nobilitas credebatur implicita. Principum Conſilia.

Crevit ſuſpicio, ne Equeſter Ordo, ſociatis per Germaniam armis, bellum inferret Principibus. Unde in Wormatienſi Deputatorum Imperii ejusdem anni Conventu, ad quem gravamina Principum delata ſunt, res militaris Circulorum ſollicite ordinata; copiæ, ut in re ſubita, conſcribi juſſæ, nihilque prætermiſſum, quo publica Imperii firmaretur tranquillitas. (*x*) De univerſis quoque Principibus, in fœdus contra Nobilitatem cogendis, non ſemel deliberatum.

At Carolus noſter, Princeps providus, circumſpectus & prudens, ad Wirtenbergæ Ducem A. 1566. die 28. Januarii ſcripſit, ſibi & Philiberto agnato rem non tanti apparere periculi, quanti putatur. Singulis Principibus ad coërcendos ſuæ cujusque regionis Nobiles ſatis virium eſſe, neque confirmationes Cæſareas, a Nobilitate obtentas, Principibus eſſe poſſe periculo. (*y*)

(*u*) Acta hujus Conventus extant in Libro alleg. Part. II. Cap. I. pag. 66.

(*x*) Schadaei *Contin. Sleidani* Part. I. p. 375. & *Receſſuumm Imp.* Tom. III. pag. 201. ſeq.

(*y*) Literæ hæ extant in *Actis Wirtenberg.* loco alleg. p. 59.

Digitized by Google

§. XI.

Sedes Durlacum translata.

Hos inter rerum motus Regiam ſuam Pforzhemio Durlacum transtulit Carolus. Sexageſimus quintus ſeculi XVI. annus eſt, quo in Badenſium Annalibus translatio hæc ſigitur.

Ab eo tempore Bada-Pforzheimenſis Linea, mutato nomine, Bada-Durlacenſis appellatur.

Subitum fuit hoc Marchionis conſilium. Paulo ante enim Cancellariam, Themidis ſedem, prope Palatium ſuum a fundamentis exſtruxerat. (z) Traditio eſt, Pforzheimenſes petitum aliquod Caroli pertinaciter recuſaſſe, tabulamque, translationis cauſas continentem, in Palatio ibi ſuſpenſam, jam pridem interiiſſe. Quæcunque conſilii hujus fuerit cauſa, Carolus noſter ſpatioſum, & magnificum, pro illo ævo, Palatium Durlaci magnis ſumptibus exſtruere cœpit; opus feſtinavit, brevique tempore perduxit ad finem; indito Caro-

(z) Cancellariæ hi verſus inſcripti leguntur:

Carolus has Princeps Badenſis condidit ædes
Ut ſint conſiliis Curia ſancta bonis.
Hic populo par eſt æquas præſcribere leges
Omnibus ex merito reddere jura ſuo.
Hinc procul affectus animi ſeponere pravos
Et rem judicio noſcere quemque ſuo.

Digitized by Google

Caroloburgi nomine; conditoris memoria in eo ut perpetua perſtaret. Formam & ædificii reliqua ipſe invenit, direxit, urſit, perfecit. Succeſſores illud auxerunt, donec omne palatium cum oppido A. 1689. bellicis flammis conſumptum, poſtquam per 124. annos ſtetiſſet. Sed & ipſum Durlaci oppidum aliis operibus exornatum a Carolo. Oppidani in animi grati memoriam publico urbis ſuæ fonti ſtatuam ejus impoſuerunt, quæ perſtat hodieque. Hachbergæ Caſtrum A. 1554. jam reſtauraverat Carolus atque in formidabile munimentum erexerat. (*a*) Ad opus perficiendum Rœtelani, Sauſenbergici & Badevillani cives gratuitum quindecim crucigerorum, in ſingulos centum florenos, ſubſidium, ad quindecim annos Principi ſuo dederunt. (*b*)

§. XII.

Eodem anno (1565.) die Lunæ poſt Laurentii Marchio ab Antonio, Dynaſta Stauſenſi, jurisdictionem ſex Curtium in tractu Viſnach, & tres Curtes in Reichenbach, cum ſilva adhærente coëmit. (*c*) Geſta varia.

Inſequentis anni die tertio Octobris cum Friburgenſi Civitate de limitibus Friburgum inter, Haslacum & Bœzenhuſam

(*a*) Tom. I. pag. 333.

(*b*) Foersterus MS. de Rebus Hachberg.

(*c*) Die Vogteyen der 6. Höfe.

Digitized by Google

transegit. Georgius Bombaſtius ab Hohenheim, Prior Ordinis Melitenſis in Germania, transactionem promovit. Tum quoque inter Auſtriacam & Badenſes Domos de ſupremo Imperio in Dynaſtias Rœtelæ, Sauſenbergæ & Badevillæ diu agitata lis, Spirenſis Epiſcopi, Auſtregalis Judicis, Laudo contra Carolum deciſa eſt; qui a Laudo hoc ad Imperii Cameram provocavit. (*d*)

Circa idem tempus cum Georgio Friderico, Marchione Brandeburgico, de dote Cunigundæ, uxoris Caroli, haud ita pridem defunctæ, diſputatum, ut & de pecuniæ ſummis, quas Albertus Brandeburgicus, nuper in Aula Caroli mortuus, (*e*) a Sulzbergenſi Monaſterio & ab Eccleſia Collegiata Pforzheimenſi mutuo acceperat. Chriſtophorus, Wirtenbergæ Dux, arbiter electus, A. 1566. rem omnem compoſuit.

Abbatia St. Georgii in Nigra ſilva tum quoque motibus Auſtrios inter & Chriſtophorum Wirtenbergicum dedit occaſionem. Hic Ducis Circuli munus Carolo noſtro tradidit Marchioni, qui bellicum ejusdem Circuli Senatum Weilam evocavit, ut de conſervanda tranquillitate publica cum illis deliberaret. Res pedetentim ſopita. Auſtriacis jus ſupremum in Abbatiam ſervatum.

(*d*) Vid. Tom. II. pag. 270.

(*e*) Vide ſupra §. 4.

Digitized by Google

Lites, quæ ob diviſionem terrarum, a Philippo fratre relictarum, inter Bernhardum & Erneſtum inceperant, ſub Carolo noſtro in Camera Imperiali continuatæ fuerunt. Unde Cæſar, ne fraudi id eſſet Lineæ ſeniori, inveſtituram Marchioni noſtro negavit; indultis tamen, quæ A. 1553. 1554. & A. 1566. ei conceſſerat, juribus ejus proſpexit.

§. XIII.

A. 1567. Carolus cum Saxoniæ & Brandeburgi Electoribus, cum Duce Wirtenbergæ, Haſſiæque Landgravio in Belgium miſit legatos, qui apud Margaretham Parmenſem, Gubernatricem Belgarum, pro Proteſtantibus Inferioris Germaniæ, quæ decimum Germanici Regni Circulum componit, intercederent. Antverpiam, factionibus plenam, Gubernatrix nuper in deditionem receperat. Starembergius obviam miſſus eſt legatis, qui moneret, in civitate, vix pacata, adventum eorum minus opportunum videri. At Principum ſuorum dignitatem, ut admittantur, exigere cum regeſſiſſent legati, admiſſi ſunt, poſteroque die frequenti Senatu auditi; libellum protulerunt, cujus hæc fere ſententia fuit: Confeſſionem Auguſtanam virtute Pacis Religioſæ apud Germanos admiſſam, in Inferiore Germania quoque non poſſe prohiberi. Proinde a ſuperioris Germaniæ Principibus Margaretham orari,

Legati in Belg. miſſi.

Digitized by Google

ne populos, cetera innoxios, divexari hoc nomine ac pœnarum immanitate plecti patiatur. Gubernatrix, in Senatu deliberans, remittendos absque reſponſo legatos cenſebat. Mutata tamen deinceps ſententia, Starenbergium in hæc verba reſpondere juſſit: Legati quæ de religione monuerunt, indigna eſſe reſponſo. Ex illis autem, quæ pro excuſanda rebellium contumacia addiderunt, patere, Germanos Principes non tam habuiſſe rationem eorum, quæ Hiſpanorum Rex & Belgii Gubernatrix publice declararunt, quam quæ ſeditioſi homines diſſeminant, quorum impietatem everſa & ſpoliata templa, vis illata Magiſtratibus, excitati ad arma populi, abunde teſtentur. Admoneant ſuos Principes legati, ut Provinciarum Regiarum curam Regi permittant, neque turbulentorum hominum patrocinium porro ſuſcipiant. Quo reſponſo accepto legati quarto, ex quo venerant, die receſſerunt. (*f*)

§. XIV.

BellaGallica.

Proteſtantium cauſam in Belgio ſine ſucceſſu Carolus noſter dum ſuſcipit, de adducendis contra Proteſtantes in Gallia auxiliis cum Carolo IX. tractavit.

Exardeſcente ibi ſecundo religionis bello in Germaniam miſſus eſt a Rege A. 1567. Bernardus Bocatellus, Britanniæ Mi-

(*f*) FAMIANVS STRADA *de Bello Belgico* Decad. I. Lib. VI. p. 188.

noris Rhedonum Epiſcopus, qui Imperii Status doceret, non de religione jam agi, ſed falſo religionis obtentu Majeſtatem Regis offendi, atque adeo ab iisdem delectus pro Rege expeteret. (*g*) Wilhelmo, Landgravio Haſſiæ, & Auguſto Saxoni, Joachimo Brandeburgico Electoribus, id haud difficulter perſuaſum, qui Regi permiſerunt delectus; ita tamen, ut ſub Johannis Wilhelmi, Saxoniæ Ducis, & Caroli, Marchionis Durlacenſis ductu, & auctoritate fierent. Conſcripti Regis nomine ter mille quingenti equites, quos Claudius Aumalius in Lotharingia accepit. Expeditioni in Galliam num interfuerit Carolus, neque Thuanus, neque alius illius temporis Scriptor prodiderunt. At Philibertus, Caroli noſtri patruelis, in eodem bello contrarias ſecutus eſt partes; una cum Caſimiro Palatino Proteſtantibus adducens auxilia. (*h*)

§. XV.

Bello III. num interfuit Carolus?

In tertio autem religionis bello, quod anno ſequente exortum eſt, Philibertus contra Proteſtantes Regi adhæſit, in prælio Moncontoriano, uti ſupra docuimus, (*i*) A. 1569. occiſus. Inter heroës prœlii hujus Carolum quoque noſtrum refert Thua-

G 3

(*g*) Thuanus Lib. XLII. Cap. 10.

(*h*) Tom. III. p. 27.

(*i*) Ibid. p. 32.

nus, (k) additque, in ſecunda regiorum acie eum mille duxiſſe equites & dextrum Andini latus cinxiſſe; denique fortiſſime pugnantem in primo occidiſſe conflictu. At Carolum noſtrum cum Philiberto Bada-Badenſi, qui haud dubie tum periit, & inter occiſos a Thuano quoque relatus eſt, (l) manifeſte confundit Thuanus. Carolus noſter Bada-Durlacenſis nonniſi octennio poſt placida morte in palatio, a ſe condito, obiit Durlaci. Hæc de Gallico bello.

§. XVI.

Geſta cum Longuevill.

Juridiciale bellum cum Principe Gallo his ipſis temporibus Marchioni noſtro apud Germanos exortum eſt.

Helionorus ab Aurelia, Longuevillæ Dux, virtute juris, quod ab avia Johanna, Philippi Hachbergenſium Marchionum poſtremi filia, ſuper Dynaſtias Rœtelæ, Sauſenbergæ & Badevillæ, in ſe derivatum credebat, in Camera Imperiali Spirenſi A. 1568. Carolo Marchioni noſtro, litem intendit. (m) Hubertus Languetus, ab Auguſto Electore Saxoniæ A. 1569. in Galliam miſſus, in tranſitu per Marchiam Carolo promiſit, hac de controverſia ſe cum Longuevillano Duce acturum, &, ut eo

(k) Lib. XLVI. Cap. I. p. 738.

(l) *Loc. alleg.* p. 739.

(m) Foersterus in *Relatione Genealogica & Hiſtorica de Marchionibus Hachbergicis* Lib. II. Cap. 6.

promtius res fieret, ad eum ſuſcepturum eſſe iter. Iter, inſcio Electore, ſuſcepit Languetus, remque eo redegit, ut A. 1570. legati a Longuevillano & Carolo Marchione Argentinam mitterentur, qui transactione amica litem finirent. Languetus, Electoris juſſu Argentinæ tum hærens, ab utroque rogatus eſt, ut negotio intereſſet, ac utrique parti addictus, transactionem promoveret. (n) Res transacta tum non eſt, ſed brevi poſt Caroli mortem compoſita, ut ſuo loco videbimus.

§. XVII.

Pro Proteſtantibus Gall. intercedit.

Circa tempus hoc in Gallia quoque de tertio religionis bello, quod per biennium jam duraverat, finiendo laboratum. Johannis Caſimiri Palatini & Eliſabethæ, Principis Saxoniæ, nuptiarum feſtivitas die V. Junii A. 1570. Heidelbergæ celebrata eſt. Præter Palatinum & Saxonem, Electores, aderant Georgius Fridericus Brandeburgicus, Ludovicus Wirtenbergicus, Wilhelmus, Philippus & Georgius Haſſi, Adolfus Holſatiæ Dux, & Carolus noſter Marchio. Principes hi ad Galliæ Regem Heidelberga ſcripſerunt, ex Reginæ ad Haſſum literis ſe intellexiſſe, res in Galliæ regno ad pacem pedetentim diſponi; ad quam illi Regem prolixe hortantur, docentes, ad amicitiam Imperii retinen-

(n) Langueti *Epiſtolarum* Lib. I. Epiſt. 87.

CAR. II.

dam neceſſarium eſſe, ut abolitis inteſtinis bellis, libertas religionis per Galliam & æquale inter ſubditos jus conſtituatur. (o)

Menſe Auguſto 1570. ſubſecuta eſt Pax omnium ampliſſima, quæ Proteſtantes ad munera & dignitates Gallici Regni admiſit.

§. XVIII.

Comitia Spirenſ.

Heidelberga Carolus profectus eſt Spiram, ubi Maximilianus II. Imp. die 3. Idus Quinctiles Comitia celebravit, in quibus de Pace publica firmanda; de emendanda Cameralis Judicii in Imperio forma; de belli Gothani ſumtibus; de rei Monetariæ fraudibus corrigendis, aliisque tractatum. Cæſar cum Imperatrice duas quoque filias ſecum adduxerat, Annam & Eliſabetham. Illa Philippo Hiſpaniarum, hæc Carolo IX. Galliarum Regibus deſponſatæ fuerunt. Annam Johannes ab Hoya, Monaſterienſis Epiſcopus & Ordinis Boruſſiæ Præfectus, in Belgium, & inde claſſis in Hiſpaniam deduxit.

Caroli iter in Galliam.

Eliſabetham Cæſar, peractis Spiræ ſponſalibus, (p) Jacobo Trevirenſi Præſuli Septemviro, Johanni Argentinenſi Epiſcopo

(o) THUANUS Lib. XLVII. Cap. 3. pag. 778. CRUSIUS *Annal. Suevicor.* Part. III. Lib. XII. Cap. 16. pag. 738.

(p) Sponſalia hæc deſcribit HUBERT. LANGUETUS *Epiſtolar.* Lib. I. Epiſtol. 51. Carolus noſter menſæ tum Cæſaris cum aliis Principibus aſſedit.

Digitized by Google

po & Carolo noſtro Badenſi, Philippo Arscotano Duci, Hohenloënſi & Zollerenſi Comitibus ad Galliæ Regem ducendam tradidit. (*q*) Excipiendæ ſuæ ſponſæ Mazerias ad Moſam in Campania Carolus Rex venit in occurſum. Præmiſſi ſunt Andegavenſis & Alençonius, Regii fratres, cum Carolo Lotharingiæ Duce, Guiſio, Aumalio & Mommorantio, Ducibus, aliisque proceribus, qui Eliſabetham exceperunt Sedani & inde ad Regem duxerunt Mazerias, ubi a Trevirenſi Electore, Cæſaris nomine tradita eſt Regi. (*r*) Rex per Vicecancellarium ſuum Cæſari & Germaniæ Principibus atque inprimis Trevirenſi, Argentinenſi Epiſcopo, Marchioni Badenſi & Hohenloënſi Comiti, præſentibus, gratias egit atque Eliſabetham honore & amore conjugali ſe proſecuturum declaravit. Poſtridie, qui fuit XXVI. Novembris, regali pompa celebratæ ſunt nuptiæ. Conviviis & haſtiludiis more

(*q*) Thuanus Lib. XLVII. Cap. 5. pag. 780. Schadaeus *Contin. Sleidan.* Part. II. Lib. VI. pag. 196.

(*r*) In introitu urbis Mazeriarum Trevirenſis Elector Andegavenſem inter & Alençonium fratres Regis, Epiſcopus Argentinenſis inter Lotharingiæ & Montpenſierii Duces, Badenſis noſter inter Principem Delphinum (le Prince Dauphin) & Aumalium, Hohenloënſis & Zollerenſis Comites inter Guiſium & Mommorantium medii inceſſerunt. Wicquefort in libro: *L'Ambaſſadeur & ſes fonctions*, Part. I. Lib. I. pag. 200. qui p. 49. Germaniæ Principes legatione hac ſuæ derogaſſe dignitati contendit.

ſolenni peractis, legati cum muneribus (*s*) dimiſſi, in Germaniam redierunt. (*t*)

§. XIX.

Legati ejus ad Regem.

Redux Spiram ad Comitia Carolus noſter, Cæſaris Legatus, ipſe jam cum aliis Principibus auctor fuit legationis ad eundem Regem mittendæ. Palatinus, Saxo, Brandeburgicus, Electores, Richardus Palatinus, Friderici III. Electoris frater, Georgius Fridericus, Brandeburgicæ Domus, Julius Brunſvicenſis, Ludovicus Wirtenbergicus; Wilhelmus, Haſſiæ Landgravius, Johannes Albertus Mecklenburgi Dux, ut & Carolus Marchio Legatos communi nomine miſerunt in Galliam, qui Rege adierunt Villeriis ad Cotiam, (*u*) in Inſula Franciæ die 24. Decembris. Legati de matrimonio cum Cæſaris filia gratulati Regi, ad ſervandas pacis, nuper in Regno factæ, conditiones longa & prolixa oratione (*x*) eum hortati ſunt.

Ab Evangelicis Principibus legationem hanc petierant Joanna, Navarræ Regina, & Proteſtantes in Gallia Principes.

(*s*) In Inventario mobilium Caroli Marchionis leguntur dona, quæ a Galliæ Rege accepit. Adde Popelinière *Hiſt. de France* Tom. II. fol. 3.

(*t*) Thuanus *loco alleg.* Cap. 21. pag. 806.

(*u*) Villers-Cotterez.

(*x*) Exhibet eam Popelinière *Hiſt. de France* Tom. II. Lib. XXIV. p. 3. a.

Digitized by Google

Miſſus ab illis ad Comitia Johannes Hangeſtus, (y) qui & pro ſuppetiis, in bello nuper ſubmiſſis, literisque haud ita pridem Heidelberga ad Regem ſcriptis, gratias egit. (z) Carolus IX. Principum Legatis benigne reſpondit eosque muneribus donatos dimiſit. (a)

§. XX.

Gesta reliqua.

Philippus Badenſis, filius Philiberti, per tutores a religione patris ad Romanam traductus, Proteſtantium ſacra, ſub Philiberto patre in Marchia ſuperiore latius propagata, quum abolere decreviſſet, Carolus noſter a conſilio hoc eum avertere ſtuduit, rem periculi plenam oſtendens, quæ ſeditionibus materiam præbere poſſit. Sed & una cum Electoribus & Principibus Auguſtanæ Confeſſionis ea de re apud Cæſarem interceſſit. Philippus tamen, obtenta A. 1571. a Cæſare ætatis venia, Bavari atque Zollerani auxilio, priſtinum cultum reduxit atque Auguſtanæ Confeſſionis doctrinam in Bada-Badenſibus ſuis terris aboluit. (b)

A. 1572. die 22. Jan. Ordines Sueviæ, ex præſcripto Comitiorum Imperii, inter ſe convenerunt, ut per totum Sueviæ

(y) Jean d'Hangeſt Sieur d'Argenlieu.

(z) Thvanvs Lib. XLVII. Cap. 6. pag. 781.

(a) Idem *loco alleg.* Cap. 21. pag. 807.

(b) Vid. Tom. III. pag. 54.

Digitized by Google

Circulum nonniſi quatuor Officinæ Monetariæ conſtituerentur, Stutgardiæ nimirum, Tettnangæ & Auguſtæ Vindelicorum; quarta, deſtinata Badenſibus, in loco, quem utraque Linea deſignaverit. Carolus noſter cum Philippo Agnato, Lineæ ſenioris, die 19. Aprilis, ejusdem anni convenit, ut per ſingula ſexennia, nunc Durlaci, nunc Badæ, officina monetaria eſſet. A Durlaco autem initium fieri placuit, quod Carolus rem monetariam ibi jam ante ordinaverat. Oppidum hoc, officinæ monetariæ in Badenſium ditionibus ſedes, eodem anno a Circuli Deputatis Norimbergæ deſignatum eſt. Sed alternatio, quam memoravimus, non habuit locum. (*c*)

Caſtrum in Oberwœſingen, quod ad Steinios nobiles pertinuerat, Badenſi ſuperioritati jam ante ſubjectum, A. 1573. cum juribus, illi annexis, emtione ad Marchionem pervenit.

Jus Patronatus in Sellingen, & alia, quæ inde pendent & ad Marchionem hucusque ſpectaverant, cum jure patronatus in Sinzheim & parte decimarum in Mœrs Carolus noſter A. 1574. tradidit Collegiatæ Badenſi.

(*c*) Erneſtus Fridericus A. 1586. cum Bada - Badenſibus de communi tractavit moneta, ita ut damna quoque & lucra invicem compenſarentur; ſed res in tractatibus ſubſtitit.

Digitized by Google

Udenheimenſe vel Philippiburgenſe vectigal ad Rhenum inter Epiſcopum & Civitatem Spirenſem jam pridem excitavit diſſenſum, quod immunitatem ab eo ſibi arrogaverat Civitas. Erneſtus, Caroli pater, conſtitutus jam fuerat arbiter. Carolus mortuo patro, pro Civitate pronunciavit. Laudum ejus Camera Spirenſis A. 1575. firmavit. (*d*)

Anno ſequenti pro Parochia in Schupffart a Canoniſſis Collegiatæ S. Fridolini Eccleſiæ in Seckingen Marchio decimas vici Maulburg in Dynaſtia Rœtelenſi accepit.

§. XXI.

A. 1577. die XXIII. Martii Carolus, nondum quinquagenarius, Caroloburgi in arce, ab eo exſtructa, deceſſit, Pforzhemii in Eccleſiæ Aulicæ choro ſepultus. (*e*) Vita longiore, ſi quis Obitus & character.

H 3

(*d*) Lehmann. *Chron. Spir.* Lib. IV. Cap. 22. p. 323. & 326.

(*e*) Elogium ejus ſepulcrale his verbis conceptum: „Illuſtriſſimus atque magnanimus Princeps & Dominus, Dominus CAROLUS Marchio „Badenſis & Hochbergenſis, Dominus in Rœteln & Badenweiler, S. „Romani Imperii totiusque Marchiæ ſingulare Decus, qui mortuo Patre „domino Erneſto unicus ſucceſſor ditiones hereditarias inprimis divino cultu ab antiquis ſordibus repurgato, inſigni animi prudentia, „juſtitia & fortitudine tam belli, quam pacis tempore, XXIV. annos „placidiſſime gubernavit, ampliſſimis ædificiis ornavit & ſingulari in-

unquam Principum Domus Badenſis digniſſimus; Princeps moribus & vita integer; manſuetus, parſimoniæ deditus, qui civium tributis non ad voluptates & delicias inanes eſt uſus, ſed in utilia patriæ inſtituta convertit. Nævos in eo paucos invenias. Non tenax offenſionum, ſi Pforzheimenſes excipias, quos ut puniret, Durlacum migravit. In Comitiis & Conventibus publicis aſſiduus & frequens; ut Cæſari placeret; ſimul & ſollicitus, ne detrimenti quid religio, quam profeſſus eſt, caperet, publicæ nunquam indormiens cauſſæ. Natura liberalis, munificus; quin & ſplendidus, pro illo tempore, ædificator. Deceſſit poſtquam omnia, quæ ſibi propoſuerat, in Religione ordinaſſet; Bada - Durlacenſium Numa; omnium civium, quos ipſe amaverat, a quibus ipſe amatus eſt, compoſitus lacrimis. Filios non Aulico Comitatu corrumpi, ſed continuo ſtudiorum ordine inſtitui, virtutum & diſciplinarum cultu ornari,

„ duſtria indefeſſoque labore multo fertiliores reddidit dignus longiore vita, ſi Deo placuiſſet, nondum expleto XXXXVIII. ætatis ſuæ anno die 23. Martis Anno Domini 1577. in arce Caroliburgo immatura morte eripitur atque hic, ut vivus juſſerat, ſepelitur, glorioſam reſurrectionem exſpectans, quam ei largiri dignetur omnipotens Pater per Jeſum Chriſtum Filium ſuum unigenitum Amen. Marito ac parenti chariſſima conjux ſecunda Anna Palatina & tres filii Erneſtus Fridericus, Jacobus & Georgius Fridericus in perennem & bene meritam memoriam H. M. P. „

Digitized by Google

educarique curavit, niſi quod vicinarum more Aularum Theologicis diſputationibus nimis imbuti ſunt. Religionum initia plerumque fervida & plena fervoris. In omnibus hujus generis negotiis circumſpectus & prudens; felix, quod in illa incidit tempora, quibus Maximilianus II. præfuit Imperio; princeps ejusdem cum Carolo indolis; qui cognatum hunc ſuum, divi patris exemplo, præ ceteris amavit.

Chriſtophorus, Wirtenbergæ Dux, teſtamento A. 1568. Carolum noſtrum inter tutores Ludovici filii nominavit.

§. XXII.

Uxor I. & liberi.

Carolus bis matrimonium inivit. Uxor prima fuit Cunigunda, Caſimiri Marchionis Brandeburgici in Franconia & Suſannæ Bavaricæ filia; deſponſata die 10. Martii A. 1551. defuncta Gemundæ Suevorum, die 24. Febr. A. 1558. ætatis anno XXXIV. cum Onolsbaco rediret Pforzhemium; ubi condita in Marchionum ſepulcro. Ex ea prodierunt:

1. Maria, nata Hachbergæ A. 1553. die 3. Jan. quæ poſt octennium deceſſit Pforzhemii A. 1561. die 11. Nov. ibique ſepulta.

2. Albertus, natus Pforzhemii A. 1555. die 12. Jun. novendecim annorum juvenis, podagra, quam vita intemperanti contraxerat, A. 1574. die 4. Maji deceſſit, ſepultus Pforzhemii; ubi ejus Epitaphium extat.

Digitized by Google

§. XXIII.

Uxor 2. & liberi.

Secunda Caroli uxor fuit ANNA, Ruperti Comitis Palatino Veldentini, filia, A. 1540. die 12. Novembris nata, Marchioni nupta Heidelbergæ Calendis Aug. 1558.

Hæc marito ſuperſtes tutelam filiorum A. 1577. adiit; A. 1585. depoſuit; vixitque Grabæ; ubi Caſtrum olim; nunc omnino deſtructum: A. 1586. d. 30. Martii ibi deceſſit; ſepulta Pforzhemii; ſex liberorum feliciſſima mater; ex quibus tres filii terras Badenſes inter ſe diviſerunt.

1. ERNESTUS FRIDERICUS.
2. JACOBUS.
3. GEORGIUS FRIDERICUS; quorum ſingulorum expoſiturus ſum fata.

Tres filiæ fuerunt:

1. DOROTHEA URSULA, nata die 20. Junii 1559. dein uxor Ludovici Wirtenbergici; cujus tutelam geſſerat Carolus pater; nupta Stutgardiæ A. 1575. die 8. Novembris. Nuptias has, magna pompa celebratas, eleganti carmine illuſtravit illuſtris Wirtenbergenſium Poëta, NICODEMUS FRISCHLINUS. (*f*)

Hæc,

(*f*) In *Parte Epica Operum Poëticorum*, pag. 86.

Hæc, A. 1583. die 19. Maji ex Aula Vinarienſi domum reditura, Noribergæ improlis deceſſit; ſepulta Tubingæ.

2. Anna Maria, nata A. 1565. die 4. Aug. denata 1573. die 8. Octobris.

3. Elisabetha, nata A. 1570. die 27. Sept. Hæc apud Urſulam Palatinam, Ducis Wirtenbergici viduam, A. 1611. die 6. Oct. Nurtingæ Wirtenbergicæ obiit cælebs, Pforzhemii ſepulta.

§. XXIV.

Paulo ante mortem Carolus noſter conceperat teſtamentum, quo tres filios, omnium principatuum ac ditionum ſuarum conjunctarum inſtituit heredes; prohibita omni omnino alienatione atque diviſione; juſſitque adeo, communi ut regimine filii uterentur. Teſtam. Caroli.

Annam Palatinam, conjugem viduam, cum Ludovico Electore Palatino, Philippo Ludovico Neoburgi, & Ludovico Wirtenbergæ Ducibus, quorum hic gener ejus futurus, liberis tutores conſtituens.

Ludovico Electori, ante tutelam finitam ſi decederet, Johannem Caſimirum fratrem ejus, atque Philippo Ludovico Neoburgico, Johannem fratrem ſubſtituit.

CAR. II.

Teſtamentum tamen imperfectum reliquit. Filii, ad legitimam ætatem provecti, reprobata communione regiminis, redituum diviſionem iniverunt.

Teſtamentaria vero, quam memoravimus, tutela ex Caroli mente obſervata.

Digitized by Google

CAPUT III.

ERNESTUS FRIDERICUS.

A. 1577. ---- 1604.



§. I.

Regimen viginti ſeptem annorum nobis deſcribendum occurrit; nec felix, nec prudens. Erneſtus Fridericus, natu major Caroli filiorum, natus Mülbergæ A. 1560. die 17. Oct. patre amiſſo, ipſe cum fratribus ſuis, Annam Palatinam matrem; Ludovicum Electorem Palatinum, Philippum Ludovicum Neoburgicum & Ludovicum Wirtenbergæ Ducem, ex teſtamento patris accepit tutores. Hi a matre invitati, menſe Majo A. 1577. convenerunt Caroloburgi,* atque teſtamentum Caroli vel ipſi, vel per legatos ſubſcribendo, firmarunt. Si- Erneſti Frid. tutela.

ERNEST. FRIDER.

gillum tutorium commune confectum; omniaque ordinata, quæ præſens rerum uſus videbatur exigere. Regimen terrarum, ex legibus defuncti, Vicario & Conſiliariis delatum; illisque injunctum, ut de cauſis gravioribus ad tutores referrent. In alio ejusdem anni Conventu, menſe Novembri, Caroloburgi quoque habito, viſum eſt tutoribus, confirmationem teſtamenti neque a Cæſare, neque a Camera Imperiali petendam; reparandas eſſe Mülbergæ & Hachbergæ Caſtrorum munitiones; Judæos omnibus Marchicis terris expellendos; Principes juvenes, Erneſtum Fridericum atque Jacobum, qui paulo ante in Aulam Wirtenbergicam fuerant translati, a ſe invicem ſeparandos; hunc ob erectum ingenium, ſtudiorum cauſa, Tubingam mittendum; illum diutius domi retinendum. Elector Palatinus tutorum nomine homagium civium ſolus ſuſcepit.

In Aula Wirtenbergica cum verſaretur Erneſtus Fridericus, comite fratre, ſeculari Tubingenſis Academiæ feſto A. 1578. interfuit. (*a*)

Variis itineribus dein per Europæ regna inſtitutis A. 1580. in patriam redux, in ſenatum regiminis a tutore Wirtenbergico introductus eſt; Anna matre præſente. Adoleſcens viginti annorum, omnibus deliberationibus interfuit, ſed decidendi poteſtatem nonniſi quinquennio poſt, tutela cum exiviſſet, accepit.

(*a*) CRUSIUS *Annal. Suevicor.* Part. III. Lib. XII. Cap. 24. pag. 764.

§. II.

Longuevillanæam de Sauſenbergica ſucceſſione litem, per octoginta fere annos durantem, ut tandem componerent, omni ſtudio laboraverunt tutores. Compoſita eſt denique, poſt reditum Erneſti Friderici, Bernatium interventu, in Caroloburgenſi Palatio Durlaci A. 1581. Maria Borbonia, Helionori, Longuevillæ Ducis, vidua ejusque filii, Henricus & Franciſcus, acceptis ducentis viginti quinque millibus florenis, omni in Dynaſtias Sauſenbergæ, Rœtelæ & Badevillæ juri, quod habere ſe credebant, renuntiarunt. (*b*) Acta varia ſub tutela.

Eodem anno Friolshemii in Wirtenbergica ditione de finibus & de jure conducendi gravamina plura Wirtenbergicos inter atque Badenſes tandem transactione ſopitæ ſunt die 30. Septembris. Enimvero jam A. 1516. inter Ulricum Wirtenbergæ Ducem & Philippum Marchionem convenerat, ut ille a Neuenburgo oppido ad ſuburbium Pforzheimenſe; Marchio a Pforzhemio ad portam Neuenburgicam reciproca conducendi facultate uterentur. Porro ut a Neuenburgo Etlingam, Gernspacum & Ellmen-

(*b*) Inſtrumenta extant in Tabulario Bada-Durlacenſi. Add. Foersterus in *Hiſtor. geneal. March. Hachberg. MS.* Lib. II. Cap. 6. Conf. Tom. II. *Hiſt. Zaringo-Bad.* pag. 262.

dingam Wirtenbergicus, & verſa vice Badenſis, conduceret. Pforzhemio Gernspacum, omiſſo Neuenburgo, euntes, Badenſis Pforzhemio Schwanam, & Schwana Gernspacum comitaretur Wirtenbergicus. Ex adverſo Pforzhemium Gernspaco euntes, Badenſis Gernspaco Schwanam & Schwana Pforzhemium Wirtenbergicus conduceret. At Friolshemiana transactione cautum eſt, ut pons Mettlingam inter & Haugſtætten juris conducendi verſus Liebenzellam inter utramque Domum conſtitueret limitem. Equitibus conducentibus non licitum ſit pontem tranſire. Stutgardiam inter atque Pforzhemium limes extra vicum Friolshemium in editiore conſtituitur loco. Pactiones hæ juris conducendi in illis partibus normam inter utramque Domum hodieque conſtituunt.

Diuturna lis duas inter Lineas Badenſes de diviſione terrarum Marchionis Philippi, quadrageſimo octavo ſeculi XVI. anno ab Erneſto Marchione ad Cameram Imperii provocatione (*c*) delata, ejusdem Cameræ ſententia die 12. Maji A. 1582. deciſa eſt. Confirmatum Ludovici, Electoris Palatini Laudum. Caroli II. filii, Erneſti nepotes, condemnati in litis expenſas.

A. 1582. die 12. Sept. Feudorum Imperii inveſtituram in Comitiis, Auguſtæ Vindelicorum habitis, a Rudolpho II. Imperatore, trium fratrum nomine ſuſceperunt tutores; (*d*) qui jam ante

(*c*) Provocaverat Erneſtus a Laudo Electoris Palatini ad Cameram. v. Tom. III. pag. 13.

(*d*) Enumerantur in literis inveſtituræ: Marchionatus Badenſis & Hachber-

Digitized by Google

quadriennium a Jacobo Chriſtophoro, Baſilienſi Epiſcopo, Brisgovica feuda Brondruti acceperant.

In iisdem Comitiis inter quatuor Domos, Badenſem, Haſſiacam, Pomeranicam, Wirtenbergicam de alternatione in Comitiis per ſingulos dies promiſcue obſervanda, convenit.

§. III.

Divisio terrarum.

Enimvero poſt obitum Caroli II. communi trium ejus filiorum nomine a tutoribus adminiſtrata eſt omnis Marchia Badenſis, ex patris teſtamento, quod ille tamen non omnino perfecerat. Hinc communi quoque eorundem trium fratrum nomine Paulus Wonecker, Doctor, Comitiis Auguſtanis A. 1582. interfuit, atque comitiali receſſui ſubſcripſit legatus. (e) Communio hæc abrogata A. 1584. die IV. Decembris, quo iidem tres fratres, con-

genſis, dimidia pars Comitatus Eberſteinenſis, Dynaſtia Uſenbergenſis, feuda Windeckiana cum omnibus vaſallis, banno ferino, vicis majoribus & minoribus, hominibus, bonis in Rietha, in Kippenheim, Ichenheim, Kirchzelle, Tundenheim & Altenheim, ut & dimidia pars in Ottenheim, Friſenheim, Schopfheim, Obernweiler & Heiligenzelle, &c. In aliis literis die 11. Sept. Auguſtæ tum datis, in quibus jura Domus Badenſis confirmavit Imperator, memorabilis hæc adjecta eſt clauſula, ne privilegia, a Cæſare ejusque prædeceſſoribus ac ſucceſſoribus conceſſa, Marchionum juribus & privilegiis damnum inferrent.

(e) Vid. Corpus Receſſ. Imperii ex editione Senckenbergiana Tom. III. pag. 414.

Digitized by Google

Ernest. Frider.

ventione inter ſe inita, Philippi Ludovici, Palatino-Neoburgici (*f*) & Ludovici, Wirtenbergæ Ducis, interventu, communionem teſtamento Caroli II. præſcriptam aboluerunt.

Placuit diviſio, quam A. 1537. conditor Lineæ inter filios ſuos conſtituerat Erneſtus.

Erneſtus Fridericus, ſenior fratrum, Marchiam Inferiorem vel Pforzheimenſem partem, cum Beſighemii, Mundelsheimii & Altenſteigæ Præfecturis accepit.

Hachberga, Uſenberga, Sulzberga, Hœhinga, Landekium compoſuere partem Jacobi, filiorum ſecundi.

Sauſenberga, Rœtela & Badevilla, Georgio Friderico obvenerunt. Metallifodinæ Sulzbergenſis portiones inter fratres æqua lance diviſæ; jurisdictione Domino terræ ſervata. Mobilia bona, quæ a Carolo II. relicta, inter fratres quoque æqualiter diviſa. Eliſabethæ ſorori cælibi, eadem decreta eſt ſumma, quam Dorothea Urſula, Duci Wirtenberg. nupta, acceperat; X. mille florenorum pro dote, & V. mille flor. pro additamento.

Ad hos decem mille florenos Erneſtus Fridericus quinque partes, Hachberga duas, reliquæ Dynaſtiæ tres conferant partes. Eodem modo onera publica & æs alienum inter fratres diſtributa. Soror renuntiavit juribus, quæ potuerat habere.

Mortuæ

(*f*) Ludovicus VI. Elector Palatinus paullo ante diviſionem deceſſerat.

Digitized by Google

Ernest. Frider.

Mortuæ ſine liberis dos reditura ad fratres. Conventum porro, ut non modo pro ſe, ſed & pro reliquis ſinguli fratres ſua feuda acciperent; utque ſenior frater Regalia Imperii ſolus, ſed communi ſumptu, reciperet. Suæ quisque portionis conferat feuda. Ad pecuniam & uſuras, Longuevillanis ſolvendas, omnes fratres concurrant. Lis contra heredes Ladislai Comitis de Haag, de dote uxoris, communibus trium fratrum ſumtibus aſſumatur, & quæ inde obvenerint, æquis diſtribuantur portionibus. Eadem intuitu aliarum quoque litium ac creditorum (*g*) obſerventur.

Ita ceſſavit Regiminis communio, & ad Sanctionis hujus normam facta eſt inter fratres terrarum diviſio. Georgio Friderico Marchioni reſervatum, ut legitimam ætatem adeptus, contra diviſionem hanc poſſit proponere gravamina.

§. V.

Regimen adit.

Tutores eodem anno & die, quo pactum diviſionis coaluit, abdicata tutela, Erneſto Friderico & Jacobo, ſenioribus Caroli filiis, regimen tradiderunt; qui una cum matre, fratris ætate minoris, Georgii Friderici, in ſe ſuſceperunt tutelam. In Circuli Suevici Conventu A. 1585. Ulmæ celebrato, tres fratres ſingula obtinuerunt ſuffragia. (*h*)

(*g*) Inter alia Carolus Principi Condeo 10000 florenorum A. 1562. mutuo dederat.

(*h*) Biennio poſt tamen ad alium Circuli Conventum, Ulmæ menſe Nov. habi-

Ernest. Frider.

A. 1586. die 20. Martii, Erneſtus Fridericus inveſtituram terrarum & jurium Imperii, a Rudolpho II. Imp. ſuo & fratrum atque agnatorum nomine, tanquam ſenior gentis, Pragæ per Legatos accepit.

Legati hi cum Vice-Cancellario Imperii de Durlacenſium in Comitiis ſuffragio tractarunt. Petierunt nempe tres fratres, ut ſinguli non modo vocarentur ad Comitia, ſed & loco & ſuffragio peculiari uterentur. Vice-Cancellarius Cæſari pergratum eſſe teſtatus eſt, ſi Principes frequentes ad Comitia conveniant, quæſtiones autem de loco & ſuffragio decidendas eſſe in Imperii Senatu. Defuncto tamen Jacobo, ſuperſtites duo fratres ſinguli ad Comitia Ratisbonenſia A. 1594. vocati, duplex in illis tulerunt ſuffragium.

§. V.

Gymnaſ. Durlac.

Hoc tempore (A. 1586.) ceremonia ſolenni inauguratum eſt Durlacenſe Gymnaſium; quod jam triennio ante, Cancellario Martino Amelio ſeu *Achtſynit*, Durrio Superintendente Gene-

tum, Erneſtus Fridericus tantum vocatus & ad ſuffragium admiſſus eſt. Fratres ejus ſibi injuriam fieri arbitrati ſunt, quod diviſis ſemel ditionibus, cum Imperii Circulique onera ſpectent ad ſingulos, æquum ſit, ut ſingulis quoque permittantur ſuffragia. Quodſi neque vocati fuerint, neque conſenſerint, tributa denegaturos. Rationibus his num ceſſerint Ordines, non liquet. At A.1588. & 1590. Receſſibus Circuli ſingulorum fratrum nomine ſubſcriptum.

Digitized by Google

rali & Joanne Piſtorio ſuaſoribus, ſub communi trium fratrum regimine, durante adhuc tutela, inſtitutum eſt. (*i*) Durlacum, ubi Caroloburgi Palatium eſt, nupera diviſione cum obtigiſſet Erneſto, illius tantum nomine A. 1586. aperta eſt Schola; *Erneſtina* hinc dicta. (*k*) Præter ſex Præceptores, qui totidem Claſſibus præfecti, quatuor Profeſſores & Rector conſtituti ſunt, qui in publico Auditorio ſuas ſcholas haberent.

Stipendiarii Juvenes, qui Baſileæ & Tubingæ, Marchionum ſumtibus huc usque alebantur, literis jam incubuerunt Durlaci; duodecim ordinarii, cum famulo communi.

His ex liberalitate Principis victus, amictus, libri comparati. Ex illis, qui ad Theologiam applicuerant animum, ſele-

(*i*) Paulus Cherlerus, BinzheimenſisPaſtor, tum vivens, in *Præfat. ad opus Poëticum*, ex quo Fechtius in *Apparatu ad Ep. Marbach.* p.956. ſcribit; Martinum Blanckium hujus Gymnaſii primum extitiſſe Rectorem.

(*k*) Junglerus ita: „ Scholam Durlaci aperuit Erneſtus Fridericus „ A. 1586. excitato a fundamentis ædificio, in quo præter VI. Claſſes, „ quibus juventus diſtinctis gradibus eruditur, etiam auditorium con„ tinetur publicum, Philoſophiæ & Theologiæ docendæ, nec non ex„ ercendis declamando & diſputando auditoribus deſtinatum. Recto„ rem, Profeſſores & Præceptores idoneos magno ſumtu conquiſivit, „ & honeſtis ſtipendiis ornavit, alendis ex ſubditorum pueris, qui ce„ teris indole præcellerent, rei divinæ præficiendis perpetuos decrevit „ reditus. „

Digitized by Google

cti ſunt, ad exteras qui mitterentur Academias, ut ad ſummos in Theologia promoverentur honores, aut ad Profeſſoris munus, in Gymnaſio obtinendum, ſe idoneos redderent.

Abeuntes comitabatur beneficentia Principis. Georgius Fridericus annuos mille florenos pauperum ſtudioſorum alimentis A. 1614. adjecit.

§. VI.

Fata illius.

Gymnaſium haud procul diſtabat a Templo. Aedificium amplum, quod rudera ejus hodieque teſtantur. Reducta Pace aliud exſtructum eſt minus. Laterculum lectionum primus Eloquentiæ & Poëſeos Profeſſor, Johannes Schœpſius, in Programmate (l) Inaugurationis exhibuit. Leges ejus A. 1588. prodierunt in lucem.

Sub Friderico V. Chriſtianus Keckius JCtus, literas humaniores egregie doctus, Gymnaſii Ephorus fuit. Succeſſit ei Fechtius, axiomate Inſpectoris ornatus. Præter Fechtium, Arnoldus, Fœrtſchius, Majus, & alii, quos fama doctrinæ ad illuſtres Germaniæ Cathedras Academicas vocavit, (m) tum Durlaci docebant.

(l) Scriptum eſt verſibus latinis. Fechtii *Colloq. Emmeding.* p. 41.

(m) Fechtius Roſtochii, Arnoldus Francofurti ad Mœnum, Foertschius Jenæ, Majus Gieſſæ docuerunt, ex Durlacenſi Gymnaſio vocati.

Digitized by Google

Pace Riſvici conſtituta, Gymnaſium, bellica face A. 1689. cum oppido deſtructum, Fridericus Magnus, priſtino nitori reſtituere decreverat. Sed interveniens Hiſpanicam ob ſucceſſionem bellum intervertit conſilium.

Carolus Wilhelmus, Friderici Magni ſucceſſor & filius, novo Palatio Carolsruhæ exſtructo ſedeque Regiminis in illud translata, Gymnaſium quoque eodem transtulit A. 1724. Joan. Caſparus Malſchius, poëtica præſertim laude clarus, alterum quem Ovidium diceres, Gymnaſii Prorectoratum eo tempore geſſit. (*n*)

§. VII.

Geſta Marchionis varia.

A. 1587. Guiſius Dux cum Lotharingicis copiis in Comitatum Montisbeliardenſem irrumpens, quum late omnia vaſtaret, Erneſtus Fridericus, belli propinquitate permotus, vaſallis ſuis injunxit, ut ad defenſionem ſe pararent. Fridericus Wirtenbergæ Dux lineæ junioris, quæ Montisbeliardum tenebat, & agnatus ejus Ludovicus, regens Ducatum, a Marchione tum petierant auxilia. Hic non tranſitum modo Ludovici copiis conceſſit, ſed & delectus per ſuam ditionem haberi permiſit.

K 3

(*n*) Illuſtris Gymnaſii hujus Rectores enumerantur in *Programmate* erudito, quod Jo. Christianus Sachsius, hodiernus ejus Rector A. 1765. conſcripſit.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

A. 1588. decimas & jus patronatus in Hochſtetten Erneſtus Fridericus acquiſivit. Decimas illas & jura annexa, clientelari nexu, a Spirenſi Eccleſia Fridericus Lœwenſteinius tenuerat; quo extincto Eberhardus Spirenſis Epiſcopus, ad quem feudum redierat, illud vendidit Marchioni; qui eodem anno varias cum Wirtenbergico de finibus lites transactione compoſuit.

Kaufbeuræ, quæ Imperialis Sueviæ Civitas eſt, quum graviſſimi inter Catholicos atque Proteſtantes illo tempore motus fuiſſent exorti, Erneſtus Fridericus cum Wirtenbergico aliisque ſuarum partium Sueviæ Ordinibus civium Proteſtantium cauſam ſuſcepit & pro illis A. 1589. apud Cæſarem interceſſit.

§. VIII.

Tutela liberor. Jacobi.

A. 1590. Jacobi Marchionis, nuper defuncti, vidua, enixa eſt poſthumum, Erneſtum Jacobum, cujus tutelam & adminiſtrationem terrarum patruus Erneſtus Fridericus ſuſcepit, eaque de re Cameram Imperii literis certiorem reddidit.

Jacobus pater ultima voluntate ordinaverat, ut in terris, ab ipſo relictis, Catholica conſervaretur religio, in qua & educarentur pupilli, quibus præter Erneſtum Fridericum agnatum & Eliſabetham matrem, Wilhelmum quoque Bavariæ Ducem & Carolum, Zolleranum Comitem, tutores nominaverat. Sed Erneſtus Fridericus, nulla teſtamenti, quod variis modis impugnabat, habita ratione, Catholica ſacra ex fratris defuncti ditionibus proſcri-

Digitized by Google

ERNEST FRIDER.

pſit ſibique ſoli vindicavit tutelam. Quem in finem cum Eliſabetha, Jacobi vidua, die 5. Nov. A. 1590. inita pactione, Mulburgenſe Caſtrum, inſigni ſupellectile inſtruendum, viduitatis illi ſedem aſſignavit, addita conditione, ut liberum ipſi eſſet Emmedingam redire. Pupillorum educationem Marchioni, ut legitimo tutori, Eliſabetha reliquit, eidemque bonorum ſuorum, quæ in Luxenburgica ditione & in Ducatu Lotharingiæ habebat, adminiſtrationem conceſſit.

§. IX.

Indigne hæc tulit Zolleranus Comes, tutor, qui ſurreptas Emmedingæ teſtamenti tabulas ad Cæſarem perferens, die 14. Decembris Reſcriptum obtinuit, quo Marchioni, innovata ut corrigeret & ad aperiendum teſtamentnm ſe ſiſteret judicio, injunctum. Marchio, protrahendæ liti, jurisdictionem Conſilii Aulici declinavit atque ad Judicem ordinarium cauſam hanc remitti petiit; ſed irrito conatu. Poſt biennii moram Conſilium Aulicum A. 1592. teſtamentum Jacobi confirmavit, & Wilhelmum, Ducem Bavariæ, tutorem filiarum Jacobi & teſtamenti executorem agnovit. Erneſtus Fridericus ea de re per Bavarum certior factus, die 11. Decembris (A. 1592.) *a Cæſare male informato ad melius informandum* ſibi provocandum putavit. Deniqne Friderici Wirtenbergæ Ducis interventu die 9. Nov. A. 1594. Leonbergæ inter Erneſtum Fridericum & Wilhelmum Bavarum inita eſt transactio, Lis de ea & transactio.

ERNEST. FRIDER.

qua in communionem tutelæ quidem admiſſus eſt Marchio, ſed educatio pupillarum nonniſi ad certum tempus illi relicta. Natu major cnim illarum poſt ſex menſes, at natu junior poſt biennium, aliis locis, ubi Romana Religio viget, ex voluntate teſtatoris, donec elocentur, educari juſſæ ſunt. Legatorum vero piorum nomine Erneſtus Fridericus certam pecuniæ ſummam ſe ſoluturum promiſit. De cetero, compenſatis expenſis, renunciatum eſt liti.

Marchio heres Jacobi.

Inter hæc Erneſtus Jacobus poſthumus ſeptimo nativitatis menſe quum A. 1591. deceſſiſſet, Hachbergicæ ejus & Uſenbergicæ ditiones ad patruos pervenerunt. Ditionum inveſtituram Erneſto Friderico ejusque fratri, qui legitimam nondum attigerat ætatem, A. 1592. die 27. Junii Rudolphus II. Cæſar Pragæ conceſſit.

§. X.

Turbæ Argent.

Apud Argentinenſes Capitulum Cathedrale, ſub Johanne Manderſcheidio Epiſcopo, in duas ſeſe partes, Catholicos & Proteſtantes, diviſit. Sopiendis difficultatibus, inter eos exortis, omnem operam impendit Antiſtes.

Erneſtus Fridericus, cum Johanne Caſimiro, Electoratus Palatini Adminiſtratore, Richardo & Johanne, Palatinis, ut & cum Jacobo fratre, Hachbergenſi Marchione, ad Epiſcopum & Canonicos, Catholicæ Religioni addictos, A. 1584. miſit legatos,

qui

Digitized by Google

qui eos ad concordiam hortarentur, atque Marchiones officio ſuo ea in re non defuturos oſtenderent. (o) Compoſitio fruſtra tentata. Canonicorum Proteſtantium cauſam ergo Marchio ſibi defendendam ſuſcepit. Miſſa A. 1589. plerorumque Principum Aug. Confeſſ. & inter eos Erneſti Friderici ad Rudolphum II. Imp. legatio, quæ pro Canonicis Proteſtantibus apud Cæſarem interceſſit, remque eo perducere laboravit, ut omnis controverſia Ordinum Imperii permitteretur cognitioni. At Cæſar ad ſuum rem omnem evocavit tribunal. (p)

Mortuus inter hæc A. 1592. Epiſcopus. Suffragia in electione novi diviſa. Canonici Proteſtantes Joh. Georgium, Joh. Georgii Electoris Brandeburgici nepotem, Argentinæ; Catholici Carolum, Caroli II. Ducis Lotharingiæ filium, Tabernis Alſaticis elegerunt ſucceſſorem. Belli, in Alſatia mox orituri, præludium. Lotharingiæ Dux, filii partes ſuſcepit. Pro Brandeburgico Argentinenſes, Tigurini, Bernates, Baſilienſes & Erneſtus Fridericus noſter ſteterunt.

(o) Mandata, legatis data, una cum reſponſo Argentinenſis Epiſcopi, extant in ſcripto: *Ausſchreiben und gründlicher Bericht unſer Georgen von Seyn, Grafen von Witgenſtein* &c. num. 34. 35.

(p) Bernh. Herzog, *Chron. Alſat.* Lib. IV. pag. 128.

§. XI.

Marchio Proteſt. ſuccurrit.

Hic menſe Novembri mille equitum, bis mille peditum auxilia in Alſatiam duxit, inſtitutoque per Argentinam itinere, in agro Argentinenſi prope Husbergam, una leuca ab urbe, conſedit. Brocomagus (*Brumpt*) juris Hanoici burgus; oppidum olim, ab Erneſti copiis die 29. Nov. direptus eſt, arce illæſa, quam fortiter defenderant ruſtici. Eadem paulo poſt fata habuit Hochfelda, Advocatiæ Provincialis Alſatiæ vicus, qui ad Auſtriacos illo tempore ſpectabat. Chriſtianus Anhaltinus Princeps, copiarum Argentinenſium Præfectus, cum centum equitibus, die 7. Decembris, circa Molshemium quum ageret prædas; irruentibus in eum e Dachſteinio Lotharingis, cum omni manu ſua in hoſtium poteſtatem veniſſet, niſi equites Marchici advolantes, Lotharingis eripuiſſent victoriam. Mansfeldius Comes & fortiſſimus quisque in eo conflictu ceciderunt.

Eodem menſe Marchicæ copiæ vicos Ebersheim, Kogenheim, Keſtenholz, Bliensweiler, Scherweiler, partim ad Epiſcopum & Capitulum Argent. partim ad Auſtriacos ſpectantes, ut & alia in illis partibus loca, diripuerunt. Dambacum, oppidum, acceptis Argentorato tormentis, ab iisdem expugnatum.

Componendis his turbis Legati Cæſaris Argentinam venerunt. Chriſtianus Anhaltinus, atque Erneſtus Fridericus Marchio

Digitized by Google

noſter ab illis interpellati ſunt. (q) Legatis ultro citroque commeantibus, die 15. Febr. A. 1593. in has conditiones tranſactum: ut, depoſitis utrimque armis, arbitrio Principum Imperii omnis cauſa committeretur. Reditus Epiſcopatus interea duos inter dividerentur Epiſcopos. (r) Pace facta, Erneſtus Fridericus rediit domum. Ferox ejus miles, amicis hoſtibusque infeſtus, late omnia vaſtaverat. Crudelitatis Erneſtus accuſatus a multis. Philippus, Hanoviæ Comes, ad Cameram Imperii detulit contra eum querelas. (s)

§. XII.

Durantibus his turbis, Lotharingiæ Dux Erneſtum Fridericum, qui A. 1591. Jacobo Erneſto, fratris ſui Jacobi filio, poſthumo, ſucceſſerat, Dynaſtia Bitenſi, quam pignoris jure Jacobus tenuerat, forte non reddita, ejecit. Damni hujus reparationem a Civitate Argentinenſi & Canonicis Proteſtantibus, ſociis ſuis, Marchio flagitavit; ad Lotharingiæ Ducis partes ſe tranſiturum minatus; niſi ſatisfieret petitis. Senatus & Canonici

Dynaſtia Bitenſi ejicitur.

(q) Exponit hæc *Chron. MS. Argentinenſe Germanicum* Sebaldi Buheleri quod in Bibliotheca mea ſervatur. Bühelerus filius, Chronici paterni Continuator, Armamentarii Argentinenſis tum fuerat Præfectus.

(r) Thuanus Lib. CV. Cap. 2. pag. 205.

(s) Idem Lib. CIV. Cap. 10. pag. 185.

menſe Septembri A. 1592. Electorem Palatinum, Fridericum IV. & Johannem Comitem Palatinum literis rogarunt, ad æquiores conditiones ut Erneſtum inducerent. Res anno ſequenti ita compoſita, ut Capitulum quinquagies mille florenorum ſortem, variis Germaniæ Principibus mutuo datam, traderet Marchioni; qui, Dynaſtiam Bitenſem, ope ſociorum, ſi quando recuperaverit, ſortem ſe reſtituturum promiſit.

A. 1595. die 12. Januarii literas oppignerationis Dynaſtiæ Bitenſis Marchio tradidit Capitulo. (t) At Lotharingiæ Dux, Leiningæ & Hanoviæ Comitum interventu, in tranquilla Dynaſtiæ poſſeſſione permanſit. (u)

§. XIII.

Fœdus Heilbronn.

Turbæ hæ aliique in Imperio motus, ob religionem exorti, induxerunt Marchionem, ut cum Friderico IV. Electore Palatino, cum Joanne Georgio, Electore Brandeburgico, cum Joanne Bipontino & Friderico, Wirtenbergæ Duce, A. 1594. menſe Martio conveniret Heilbronnæ. Prolata ibi in medium longa ſeries Gravaminum, quibus Transactioni Paſſavienſi & Paci Religioſæ vim illatam eſſe Proteſtantes querebantur. Decretum, ut ea Cæſari in proximis exhiberentur Comitiis; nec de

(t) Acta Tabularii Argent.

(u) CALMET. *Hiſt. de Lorraine*, Tom. V. pag. 764.

Digitized by Google

tributis, ad Turcicum bellum conferendis, inirentur ſuffragia, niſi remedium his malis allatum. Quin & de ferendo inter ſe celeri deliberatum auxilio, ubi tranquillitatis publicæ id exegerint rationes.

Incunabula hæc inclyti fœderis, quod *Unionem Evangelicam* vocant, A. 1610. Halæ Suevorum initam; cujus conſilium jam ante XV. annos dederat Eliſabetha, Anglorum Regina; (*x*) cujus promotor Henricus IV. Galliæ Rex, conjunctis Proteſtantium Germanorum viribus, ad res ſuas promovendas uſurus.

§. XIV.

Miſſus ab eo jam A. 1591. in Germaniam Jacobus Bongarſius, Aurelianenſis, vir prudens & doctus, Reformatorum Galliæ ſacris addictus, (*y*) qui Principum Proteſtantium Aulas obambulans, in fœdus eos colligere ſtuduit, atque ad ferendam Regi ſuo opem invitavit. Reditus Regis ad ſacra majorum Aulas has aliquandiu retinuit. Bongarſius eas tamen paulatim reduxit in viam, (*z*) & Argentina, ubi diu verſatus eſt, ad Heilbronnenſem Proteſtantium Conventum literas dedit, quibus Henrici IV. fœ- R. Galliæ fœderi accedit.

L 3

(*x*) Hubertus Languetus in *Epiſt. politicis & hiſtoricis ad Philippum Sydnæum.* Epiſt. 64.

(*y*) Thuanus Lib. CI. Cap. 2. pag. 46.

(*z*) *Lettres du Cardinal D'Oſſat.* num. 249. 251.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

dus & amicitiam obtulit Principibus; qui quadringenties mille florenorum ſubſidia, intra biennium ſolvenda, Regi promiſerunt; ita quidem, ut Brandeburgica Domus centies mille, Elector Palatinus & Wirtenbergæ Dux quinquagies mille, totidemque Johannes Veldentinus, una cum Erneſto Friderico Marchione, ut & cum Adminiſtratore Argentinenſis Epiſcopatus, ipſaque Civitate Argentinenſi perſolverent.

In eodem Conventu de afflicto Marchiæ ſuperioris ſtatu, ſub Eduardo Fortunato, & de fatis ejus futuris multa conqueſtus eſt Erneſtus Fridericus; ſociorum ea ſuper re mentem exquirens. Deliberatum; & ulterius deliberandum eſſe Proceres cenſuerunt. (a)

§. XV.

Occupatio Marchiæ ſuperior.

Enimvero infelix & turbidum Eduardi Fortunati regimen Marchiam ſuperiorem fere omnem everterat; ut ſuo loco oſtendi. (b) Debita, quæ a tempore diviſionis terrarum, Bernhardum inter atque Erneſtum, Marchionatui ſuperiori inhæſerant, a Philippo, Bernhardi nepote, adaucta; ab Eduardo, ſucceſſore ejus, adeo cumulata fuerunt, ut ſpes emergendi fere nulla ſupereſſet.

(a) Receſſus Heilbronnenſis, die 16. Mart. 1594. ſcriptus, extat in LONDORP. Tom. III. pag. 509.

(b) Tom. III. *Hiſt. Badenſ.* pag. 71.

Erneſtus Fridericus illam æris alieni partem, quæ Marchiæ ejus attributa, jam pridem exſolverat. Sed creditoribus utraque Marchia fuit in ſolidum oppignerata. Erneſtum illi, ut correum, urſerunt, variisque obſtagiis, decretis, litibus, in Camera Imperiali proſecuti ſunt. Eduardus, literis ab Erneſto Friderico identidem monitus, (c) vitæ ſuæ non mutabat rationes, atque omnia rei componendæ media, a Durlacenſibus, conciliante Wilhelmo Bavariæ Duce, ei propoſita, ſpernebat.

Cæſar denique Marchiæ Eduardinæ ſequeſtros Bavarum & Lotharingum ordinavit, (d) qui rem omnem commiſerunt Fuggero. Periculum fuerat, ne Marchia ſuperior e Domo Badenſi exiret. Erneſtus Fridericus ergo, acceptis ab Electore Palatino & Wirtenbergæ Duce auxiliis, virtute pacti, quod cum tutoribus Philiberti & Chriſtophori, Marchionum, Erneſtus avus A. 1537. iniverat, (e) abſente Eduardo Fortunato, die 21. Novembris, noctu Badam, Etlingam, Cuppenhemium, Stolhovam, Raſtadium, aliaque loca, Proteſtantibus incolis, non reſiſtentibus, plena occupavit, (f) & ab illis ſub titulo Adminiſtratoris recepit homagium. (g)

(c) Literas has vide in *Gründlichem und wahrhafftem Bericht* &c. pag. 17. ſeq.

(d) Vid. Tom. III. *loco alleg.*

(e) Vid. ſupra in Erneſto I. pag. 17.

(f) Occupatio hæc peracta eſt ductu Wolfii Dieterici de Gemmingen in Tiefenbronn.

(g) Barrius in *Hiſtoria Germaniæ* Tom. IX. pag. 520. Georgium Frideri-

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

§. XVI.

Cauſæ occup.

Rationes facti ſui literis, ad Cæſarem datis, (h) expoſuit; ſumma ſe neceſſitate ad extrema compulſum eſſe remedia, ut ſuo nempe jure uteretur, quod Domus Badenſis pacta vetera & juniores transactiones ipſi permittunt. Verum „ excuſatio-„ nes hæ, inquit THUANUS, (i) minime bonam in par-„ tem a Cæſare acceptæ ſunt, quippe qui ſciret, odio Eduardi, „ qui ſacra majorum colebat, & ſecreta Proteſtantium, ditio-„ ni Badenſi ſubditorum, coitione factum, ut tot oppida nullo „ negotio in poteſtatem Erneſti veniſſent & peſſimi exempli eſſe, „ ut quis in Imperio violenta alieni occupatione in propria cauſa „ ſibi jus dicat. BONGARSIUS (*) ad Camerarium, amicum ſuum, Argentina ſcripſit: „ Quid moverit Durlachienſis jam, „ arbitror, cognoviſti. Omnino grave erat hiſce Principibus & „ Civitati huic (Argentinæ) Fuckarum in ſinum ſuum recipe-„ re. Sed Imperator quid ad iſta? „

§. XVII.

cum, Fratrem Erneſti, Marchionatum ſuperiorem Eduardi Fortunati filio, matris ejus Eickiæ conditionis prætextu, demum abſtuliſſe falſo perſcribit.

(h) Literas vide ab initio Libri alleg.

(i) *Hiſtoriar.* Lib. CIX. Cap. 15. pag. 379.

(*) Epiſt. 84.

§. XVII.

Supplicia de noxiis ſumta.

In tam periculoſo rerum ſtatu Erneſtus Fridericus repetitis die 26. Nov. ad Cæſarem (*k*) literis & Apologetico, typis vulgato, cauſam ſuam quovis modo defendere ſategit. (*l*) Præter ea, quæ ſuo loco expoſui, (*m*) cædes & rapinas, in Marchia patratas, inſidias Marchionibus Agnatis necromantica arte, veneficio, aliisve modis, ſtructas ab Eduardo expoſuit.

Ex Conſiliariis ejus incarcerati ſunt plures. Chriſtiano, Anhaltino Principe, Philippo, Comite Eberſteinenſi, magnaque Procerum & Nobilium multitudine adſtante, publicæ ſuper eos quæſtiones Durlaci ſunt habitæ. (*n*)

(*k*) Cæſar Reſcripto d. 3. Apr. 1595. Marchionem hortatus eſt, ut portionem primam menſis decimi ſubſidiorum Turcicorum, quæ in proximis Ratisbonæ Comitiis Cæſari fuerant decreta, intuitu *utriusque Marchiæ* quamprimum perſolveret.

(*l*) Edidit A. 1595. ſcriptum ſub titulo: *Gründlicher, wahrhafftiger und beſtendiger Bericht, was ſich vor und nach unlengſt durch den durchleuchtigen hochgebornen Fürſten und herrn, herrn Ernſt Friderichen &c. rechtmæſsig und befugter weiſs fürgenommenen occupation des Obertheils des Fürſtenthums der Marggraffeſchafft Baden* &c. *verloſſen* &c. 4to.

(*m*) Tom. III. pag. 71.

(*n*) Præfatio ſcripti allegati.

Digitized by Google

Ernest. Frider.

Paulus Peſtalotius, Clavenna ortus, & Franciſcus Muſcatellus, Vicetinus, falſæ monetæ, veneficiorum & magicarum artium, quas ad Erneſtum Fridericum e medio tollendum, Francofurti, Etlingæ alibique paraverant, convicti, criminaque profeſſi, A. 1594. die 10. Dec. capite plexi ſunt. (*o*) Franciſcus Kœcherus, Rodemacheranus, Caſtri Rohrburgenſis (*p*) præfectus, ad Marchionem interficiendum ab Eduardo ſe conductum profeſſus, Majo menſe anni ſequentis a carnifice vivus in quatuor diſſectus eſt partes. (*q*)

§. XVIII.

Marchio copias conſcribit.

In tam fervido rerum ſtatu evertenda fuerunt Eduardi Fortunati conſilia, omniaque ad defenſionem paranda. Conſcribendus numeroſior miles.

Bongarsius in literis (*r*) A. 1595. die 21. Maji ad Camerarium ita ſcribit: „ Marchio noſter Durlachienſis egregias „ copias habet, quales vix vidit Germania, & equites noſtrates „ ducentos ei conduxit Rheingravius Philippus. Quid cogitet „ obſcurum eſt: nam motus Eduardi omnes obſervare, non eſt „ tanti. Et aperto Marte Eduardus non certabit. „

(*o*) Scriptum alleg. pag. 35.

(*p*) Burgvogt zu Rohrburg.

(*q*) Scriptum alleg. pag. 37.

(*r*) Epiſt. 91.

Digitized by Google

Enimvero tria militum millia Eduardus ex Luxenburgicis & Spanheimenſibus terris conſcripſerat, cum quibus ille verſus Rhenum profectus eſt. Quin & nonnullis Lotharingiæ Nobilibus cogendo militi numeravit pecuniam. (s) Interceſſerant quidem Moguntinus & Colonienſis Electores, qui conſenſu Eduardi Fortunati amicam rei compoſitionem tentarunt, quam & Palatinus Elector Fridericus & Johannes Bipontinus Erneſto Friderico ſuaſerunt. Sed ille tenax propoſiti, omnem conciliandi modum rejecit, ductisque in Alſatiam copiis, reliqua Eduardi occupavit. (t)

ERNEST. FRIDER.

§. XIX.

Johannes Piſtorius, a Bavaro miſſus, cum Erneſto Friderico Scheibenhardi menſe Junio 1595. has in leges convenit: in

Acta cum Bavaro.

(s) BONGARSIUS in *Epiſtola* 93. die 3. Junii A. 1595. Argentinæ ſcripta, ita loquitur: „ Rheingravius Philippus, cujus ſororem Durlacenſis frater „ uxorem habet, cum nudius tertius huc adveniſſet, cum equitibus „ circiter 200. heri ſub veſperam pernoctatum abiit in Beinem, quod „ eſt oppidum Badenſe cis Rhenum, hinc ſex milliaribus diſtans: juſ- „ ſus ibi Durlacenſis Marchionis opperiri mandata. Adventant & co- „ piæ Eduardi, quas ajunt eſſe trium millium. Conſtat Vannes & „ Chaſteaubrehan Lotharingos pecuniam ab Eduardo, cogendo militi „ accepiſſe. Apparatus hi quo tandem evadant, expecto: ipſa conſilia „ inveſtigare cogitando non poſſum. Sed fallor, aut nihil ſubeſt ſo- „ lidi. „

(t) BONGARSIUS *Epiſt.* 94.

Digitized by Google

Ernest. Frider.

antiqua religione nihil immutetur in Marchia ſuperiore: Conſiliarii & Officiales conſtituantur eidem religioni addicti, vel, ſi haberi nequeant, Evangelicis deſignatis conſervatio religionis Catholicæ injungatur: jurisdictio eccleſiaſtica & jura diœceſana Argentinenſi & Spirenſi Epiſcopis certa ratione relinquantur: Eduardus Fortunatus, vitæ Durlacenſis nunquam non ſtruens inſidias, mancipetur cuſtodiæ: Marchia ſuperior & reliquæ Eduardi ditiones ad certum tempus Erneſto Friderico permittantur: Bavarus actorum confirmationem a Cæſare obtineat. Conventio hæc irrita fuit.

Reſcript. Cæſar.

Cæſar enim de bellicis Badenſium motibus certior redditus, cum periculum eſſe videretur, ne latius incendium ſerperet, Reſcripto, die 3. Junii dato, Erneſtum Fridericum ab armis confeſtim diſcedere & ſuperiorem Marchiam, donec lis deciſa, tradi juſſit ſibi ſequeſtro. Cæſar, Eduardo quoque Fortunato injunxit, ut ſine mora dimitteret copias. Eodem tempore (3. Jun.) quatuor Electores Rhenenſes literis hortatus eſt Cæſar, ne alterutri parti præberent auxilium, ſed mandata ſi ſpreverint Marchiones, ſui quid conſilii ſit, Cæſarem docerent.

§. XX.

Defenſio Marchionis.

At Erneſtus Fridericus literis d. 7. Julii ad Cæſarem graviter ſuam cauſam defendit. Eduardum Fortunatum, ait, non pacta modo majorum multis modis violaſſe, ſed & Lotharingiæ Ducem ad pecuniam & copias, ipſi ſubminiſtrandas, ſolicitaſſe non-

Ernest. Frider.

nullosque Lotharingiæ Chiliarchas ad conducenda aliquot peditum equitumque millia conſtituiſſe; unde ſibi vitio verti non poſſe, quod rebus tam dubiis de tuenda ſalute ſua & de propellenda injuria cogitarit; naturæ & gentium jura, conſtitutiones Imperii cuivis id permittere Principi. Perfectam ſe pacem cum finitimis colere; neque metuendum eſſe, ne ea, quæ ſui defendendi cauſa egerit, bello inteſtino præbeant occaſionem; daturum ſe operam, ne, quas conſcripſerit, copiæ vicinis inferant damnum. De cetero Marchiam ſuperiorem juſtis ex cauſis ſe occupaſſe, eamque poſſeſſionem aliquoties jam a Cæſare agnitam, adeoque integrum illi non eſſe, ut ſequeſtri in ſe munus derivet, ſeu quod idem eſt, ab executione inchoet litem. Rogat denique Cæſarem Marchio, ut hanc excuſationem ſuam æqui bonique conſulat, nec mandatis eum porro gravare pergat.

§. XXI.

Eduardus Fortunatus, accepto Cæſaris Reſcripto, copias ſe dimiſſurum & propediem ſuſcepturum eſſe ad Cæſarem iter, profeſſus eſt. Enimvero Artigotius, Fresnius & Caſtellobrehanus, Lotharingi, qui militem pro Eduardo collegerant, in Burgundiam abierunt, militaturi Hiſpano. Vannius & Sercius itidem Lotharingi, Eduardo quas promiſerant, copias, Galliæ Regi adduxerunt. Ipſius Eduardi pars militum maxima ad Hiſpani- Eduard. copias dimittit.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

ca tranſierunt ſtipendia. Rerum gerendarum nervus Eduardo defuerat; qui cum reliquo milite in Spanheimenſi ſe continuit Comitatu; & una cum Lotharingo Galliæ Regis colloquium, ſed fruſtra, expetiit.

BONGARSIUS (u): „ Mihi, inquit, perſuaſum eſt „ omnino, igniculum hunc ab Hiſpanis & aliis, quibus Germaniæ quies ingrata eſt, materia ſubminiſtrata, altum iri. Interim ſumptus graves facere Durlacenſis cogitur & neſcio an „ diu ferendos. „

§. XXII.

Erneſtus Frider. reſiſtit.

Poſt hæc Cæſar alio Reſcripto die 12. Jul. Erneſtum Fridericum commonuit, ut Eduardi Fortunati exemplum ſecutus, imperata faceret. Sed reſtitit ille, quod Eduardum contra fidem, Cæſari datam, militem alere & vim minari intellexiſſet. Unde tertio Reſcripto die 6. Aug. denuo Marchioni injunctum, ut exauctorato milite, Cæſarem agnoſceret ſequeſtrum & Wilhelmo Bavariæ Duci, cui Cæſar rem commiſerat, de ſequeſtratione & de modo eam admittendi ſententiam ſuam patefaceret. Eodem die Cæſar literis ad quatuor Rhenenſes Electores de pertinacia Marchionis multum conqueſtus eſt. Legati trium Electorum Eccleſtaſticorum in Conventu Deputatorum Spirenſi cenſuerunt; Erneſtus Fridericus

(u) Epiſt. 96. & 97. utraque ſcripta eſt menſe Julio A. 1595.

Digitized by Google

ſi neque copias dimittat, neque Cæſaris ſequeſtro locum concedat, ſua auctoritate Cæſar ut agat. At Palatinus regeſſit, Erneſtum Fridericum vicinis Principibus non inferre moleſtiam; eum ſuo jure uti, quod Eduardus, retento milite, Cæſaris mandatis morem non gerat.

§. XXIII.

Denique Erneſtus Fridericus cum legato Gallico inita pactione, (*x*) militem ſuum Henrico IV. Regi tradidit, literisque die 7. Sept. ad Cæſarem datis, quibus dimiſſas a ſe copias ſignificat, enixe Cæſarem rogavit, ne in malam acciperet partem, quod evitandis Eduardi inſidiis, ea, qua poſſit, ſibi ratione proſpiciat. Addidit, libenter ſe auditurum, quæ Cæſaris nomine Wilhelmus Bavariæ Dux ipſi propoſiturus ſit, facturumque omnia, quæ ſalvis domus ſuæ juribus pactisque majorum admittere queat. R. Galliæ copias tradit.

Res dein aliquot annis quievit, niſi quod Cæſar A. 1596. die 1. Julii novo Reſcripto Marchionem hortatus eſt, ut ab omni vi in Eduardum Fortunatum ejusque cognatos, miniſtros & ſubditos abſtineret, ac tranquille litis finem expectans, nihil in religione innovaret, ſed Catholica ſacra in eo, quo fuerint ſtatu, relinqueret. Erneſtus Fridericus nihil in religione ſe immutaſſe, neque immutaturum eſſe in poſterum, & quæ contra Eduar-

(*x*) Rex Galliæ d. 22. Nov. 1595. hanc pactionem firmavit.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

dum (y) ejusque aſſeclas egerit, ad depellendas tantum inſidias, quas ille ſtruere pergat, ſpectaſſe reſpondit.

§. XXIV.

Beſig-heim; Mundels-heim alienata.

Occupatam ergo ſuperiorem Marchiam ut retineret, atque contra Eduardum Fortunatum defenderet, Erneſtus Fridericus diu fuit armatus. At defendendæ ſuperiori non ſuffecerat inferior. Diminuenda hæc fuerat, ſervaretur ut altera, vel ne utraque amitteretur.

Fridericus Wirtenbergæ Dux, Monbeliardenſis, quæ nunc floret, Lineæ primus, qui Ludovico, Stutgardianæ poſtremo, nuper ſucceſſerat, Beſigheimenſem & Mundelsheimenſem Præfecturas, ad Nicrum & ad Enziam ſitas, ab Erneſto Friderico repetebat; Ulrico, Wirtenbergico Duci, eas injuſte ereptas cauſſatus. Utramque tamen inter vetera ſuæ Domus domania reputarunt Badenſes. Eberhardum Illuſtrem, Wirtenbergæ Comitem, ab Henrico VII. Imp. proſcriptum, Marchio Badenſis Heſſo A.1310. ſuſcepit eique Beſighemium, turribus, muris ac foſſis munitum,

(y) Eduardus, quum A. 1598. verſaretur in Suecia, Carolum, Sudermanniæ Ducem, induxit, ut æquis conditionibus, ab Erneſto Friderico impetrandis, apud Electores quosdam & Principes Imperii pro eo intercederet. Interceſſio caruit effectu.

tum., habitandum conceſſit. Præfecturam hanc cum Mundelshemio Carolus Marchio, a Friderico I. Palatino captus, pro lytro A. 1463. conceſſit; reluendi jure ſibi ſervato. (z) Philippus Ingenuus, Friderici ſucceſſor, a Maximiliano I. A. 1504. proſcriptus, Beſighemium & Mundelshemium amiſit. Ulricus enim Wirtenbergæ Dux, utrumque juſſu Cæſaris occupavit, & cum aliis Palatinis terris pro ſumptibus belli, ſub pignoris quoque onere retinuit, uti Palatinus illa ante poſſederat. Ulrico a Cæſare A. 1519. proſcripto, eaſdem Præfecturas Fœdus Suevicum ei eripuit. Decennio poſt (A. 1529.) redditæ ſunt Philippo, Marchioni Badenſi, qui pretium oppignerationis 25. mille florenorum Archiduci Ferdinando, Wirtenbergici Ducatus poſſeſſori, perſolvit; antequam inveſtituram ejus in Comitiis Imperii ſolennibus A. 1530. acciperet. (a)

Ita ad Domum Badenſem Beſighemium (b) & Mundelshemium (c) optimo jure redierunt, atque penes eam manſerunt usque ad A. 1594. quo Fridericus, Wirtenbergæ Dux, ab Erneſto Friderico utramque Præfecturam repetiit; quamvis pater & avus

Tom. IV. N

(z) Lege Tom. II. pag. 177.

(a) Eisenbach *Geſchichte Herzog Ulrichs* pag. 88.

(b) Beſigheimenſis Præfectura præter oppidum hujus nominis vicos Walheim, Heſſigheim & dimidiam vici Loechgau partem compoſuit.

(c) Mundelshemium Caſtrum & oppidum cum duabus villis complectitur.

ERNEST. FRIDER.

per 65. annos poſt redemptionem ſine interruptione eas conſtanter poſſederint. Ulricus nonniſi per XV. annos eas jure belli occupaverat; jure belli amiſerat. Iniquam poſtulationem Wirtenbergicus comitatus eſt minis; Princeps potens, propoſiti tenax, non lentus, ſed ardens & armis exequi poſtulata paratus. Marchio, in ambiguo poſitus, qui, occupata ſuperiore Marchia, offenderat Cæſarem, non offenſurus quoque vicinum potentem, Ducis petito eo minus reſtitit, quod hic Marchioni, multos milites alenti, magnam pecuniæ paratæ ſummam obtulerat, quæ verum utriusque Præfecturæ illius ævi valorem fere tranſcendit. Trecenties & octogies quater mille ac quadringentos octoginta ſex florenos, pro dominiis his Fridericus Wirtenbergicus Erneſto Friderico A. 1595. exſolvit. *(d)*

§. XXV.

Hach-berg. & Uſenb. fratri tradit.

Alienationi huic ſe opponere viſus eſt frater Georgius Fridericus, vigeſimum ſecundum ætatis annum tum agens. *(e)* Inhibitorias ille literas a Cæſare obtinuerat; ſed in gratiam fratris & Wirtenbergæ Ducis, tandem & ipſe in venditionem conſenſit. Fratris hujus ſui tutelam die 30. Januarii ejusdem anni (1595.)

(d) SATTLER *Beſchreibung des Herzogthums Wirtenberg.* Part II. Cap. 47. pag. 218. ſeq.

(e) Literæ, quibus Georgius Fridericus huic permutationi interceſſit, die 17. Julii 1602. perſcriptæ ſunt.

Digitized by Google

Erneſtus Fridericus dimiſerat; tradens ei quoque dimidiam terrarum partem, quas frater utriusque Jacobus, Marchionatus Hachbergæ & Uſenbergicæ Dynaſtiæ poſſeſſor, ſua & filii poſthumi morte, reliquit. Georgius Fridericus viciſſim centum ſeptuaginta quinque millium florenorum ſummam fratri ſeniori ſolvit; atque duarum, quas Jacobus reliquit, filiarum dotationem in ſe ſuſcepit. (*f*). Conventio Calendis Octobris A. 1596. hac ſuper re facta eſt.

Eodem anno Marchioni noſtro cum Civitate Argentinenſi de jure conducendi exorta ſunt diſſidia. Conventus inſtitutus Stolhovæ, ubi transactum, Stolhova ut terminus eſſet, ad quem & a quo cives Argentinenſes in itu & reditu conducerentur a ſuis; ſalvo tamen jure conducendi Marchionis. (*g*) Argentinenſia.

Riepurgenſis vici pars dimidia, quam Nobiles Rieburgenſes hucusque poſſederant, eodem tempore adjecta eſt Marchiæ, conſentiente Rudolpho II. Imp. qui emtionem A. 1596. ſuis literis firmavit. (*h*) Reliquam hujus vici partem A. 1603. Beati Riepurgenſis liberi pro 51000. florenorum ſumma Marchioni vendiderunt.

Tom. IV. N 2

(*f*) Erneſtus Fridericus tamen poſtea unam ex Jacobi filiabus ſe dotaturum promiſit.

(*g*) Acta extant in Tabulario Argent.

(*h*) Gylmann. *Supplic. Camer.* Tom. IV. Part. II. num. 105. pag. 124.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

§. XXVI.

Monaſt. Frauen-alb. abolet.

A. 1597. Erneſtus Fridericus, jure ſuo reformandi uſurus, Monaſterium Albæ Dominarum, a ſuperiore Marchione pendens, ob corruptos Monialium mores, aboluit; quarum aliæ ad nuptias; aliæ in Lucidæ Vallis Monaſterium tranſierunt. Spirenſis Epiſcopus, ad cujus diœceſin ſpectant Moniales, improbavit hoc factum. Lis ad Cameram Imperii delata; (i) ubi Marchio cauſam vel plane non tractandam, vel utriusque religionis judices pari numero conſtituendos contendit. Denique rebus ſuis tutiſſimum eſſe ratus eſt, ex Camera ad Comitia Imperii litem evocari; in quorum poteſtate eſſet, leges publicas interpretari, quibus Auguſtanæ Conf. Principum & Statuum jura nituntur. Scripſit eum in finem ad Electorem Palatinum menſe Auguſto A. 1600. Scripſit ad alios Germaniæ Electores ac Principes, Proteſtantium religioni addictos; cauſſam cum omnibus Proteſtantibus communem eſſe contendens, niſi Catholicorum Aſſeſſorum Cameræ, quorum major longe numerus erat, judicio velint ſubmitti. (k) Nec alienus ab hoc Marchionis conſilio fuerat Palatinus Elector, qui ſtatim reſpondit, ſeſe communicaſſe rem cum Mauritio, Landgra-

---

(i) Vid. ſupra Tom. III. pag. 118. ſeqq. Add. KLOCK. *Relationum Cameral.* pag. 637.

(k) LONDORP. *Acta Publica* Tom. III. pag. 536.

Digitized by Google

vio Haſſiæ, cum quo tum verſabatur Caſſellis, eumque Adminiſtratoris Electoratus Saxoniæ exploraſſe ſententiam; ſed utrumque arbitrari, non deferendum eſſe Cameræ forum, ſi utriusque religionis judices pari numero adhibeantur. (*l*)

Conventus unitor.

Heilbronnenſe illud Principum fœdus, A. 1594. percuſſum, plurium acceſſione ſociorum majus indies robur accepit. A. 1598. & ſequentibus frequentes celebrati Conventus, (*m*) in quibus fœdere firmato, de abolendis gravaminibus conſultationes inſtitutæ. Inter gravamina hæc Frauenalbenſis controverſia quoque fuit relata. Subſidia ad Turcicum bellum Cæſari a fœderatis negata, niſi querelis medicinam afferret.

§. XXVII.

Motus poſt mortem Eduardi.

Multiplici iſta rerum agitatione Cæſaris animus ab Erneſto Friderico cœpit alienari. Aucta paulo poſt odia, cum Eduar-

N 3

(*l*) *Ibid.* pag. 538. ſeq.

(*m*) Francofurti menſe Decembri A. 1598. Fridbergæ 30. Julii A. 1599. iterum Francofurti d. 4. Febr. 1600. Spiræ die 27. Octobris anno eodem; Fridbergæ die 2. Febr. A. 1601. iterum Fridbergæ d. 12. Febr. 1603. & eodem anno Heidelbergæ inter Principes conjunctos habiti conventus. Receſſus, in ſingulis conventibus factos, exhibet LONDORP. *Actor. publicor.* Tom. III. p. 511. 520. 522. 552. 560. 580. & liber, cui titulus: *Der Unierten Proteſtirenden Archiv*, in appendice pag. 2. ſeqq.

ERNEST. FRIDER.

dus Fortunatus A. 1600. diem obiiſſet. Erneſtus Fridericus enim non Lahræ modo & Malbergæ Dynaſtias occupavit, vaſallosque ac ſubditos Marchiæ ſuperioris ad ſuſcipienda feuda præſtandumque homagium adegit, ſed & Spanheimenſium ditionum poſſeſſionem adire voluit, legitimum ſe Eduardi ſucceſſorem profeſſus, quod filios ille non reliquerit, juſto matrimonio prognatos, & fratres Eduardi ſuperſtites animi corporisque defectibus laborent. (n)

Verum enimvero Palatinus Elector & Birckenfeldenſis Dux Carolus, ejusque filii atque heredes in poſſeſſionem citerioris & ulterioris Spanheimenſis Comitatus admittere Marchionem noluerunt; cui & inveſtitura a Palatino & Trevirenſi denegata. At Eduardi conſiliarii, Caſtellauno, ubi degebant, Carolum Orſcelarium, provincialem præfectum, (Landhoffmeiſter) miſerunt ad Cæſarem, ut de obitu Eduardi, & de motibus Erneſti Friderici eum redderet certiorem, utque viduam, pupillos, ac omnia Eduardi, eidem Imperatori, tanquam domino feudali, ejusque patrocinio & fidei commendaret.

§. XXVIII.

Cæſaris ſequeſt.

Cæſar Maximilianum Bavarum denuo adminiſtratorem nominavit atque Erneſto Friderico die 16. Nov. 1600. injunxit,

(n) Chriſtophorus Guſtavus, Eduardi frater, ſurdus & mutus erat. Philippum quoque non compotem fuiſſe mentis perſcribunt.

Ernest. Frider.

ut ſuperiorem Marchiam, una cum Eberſteinenſi Comitatu & Lahræ, Malbergæ ac Grævenſteinii Dynaſtiis, Maximiliano ſequeſtri traderet, donec de ſucceſſione lis fuerit deciſa. Aliis quoque literis Cæſar ſubditos & officiales Marchiæ ſuperioris ſoli Cæſari & delegato ejus Bavaro parere & homagium præſtare juſſit. Maximiliano dein Bavaro collega junctus eſt Trevirenſis Elector Spanheimenſes ditiones ante omnia Cæſari & pupillis aſſertæ.

Conatus Marchionis.

Erneſtus Fridericus tantæ tempeſtati avertendæ fortiſſima quæque ſibi ineunda duxit consilia. Rem ille cum fœderatis communicavit, quorum plerique, Cæſari ut obediret, ſuaſerunt. (o). At ille repetitis mandatis officiales & ſubditos in officio continuit, omnique ſtudio laboravit, ut, perducto ad aliam ſententiam Cæſare, inveſtituram Marchiæ Superioris impetraret.

§. XXIX.

Acta cum Bavaro.

Facti ſui rationem Maximiliano Bavaro expoſuit literis d. 23. Dec. petiitque, ne delatum a Cæſare ſuſciperet munus, ſed benevolo in eum & familiam animo eſſe pergeret.

(o) Georg. Michael Lingelsheim, Conſiliarius Palatinus, in *literis ad Jacobum Bongarſium* Epiſt. 23. hac de re ita ſcribit: „ Cum propendeant plerique, ſuadendum Durlachico, ut pareat mandatis, ad „ quam cognitionem horreo, & moriendum ſatius judico, quam tot „ indigna, quæ ſecutura ſunt, perferenda.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

Maximilianus die 27. Jan. A. 1601. reſpondit, ſe, ut Cæſari obſequeretur, demandatum ſibi ſuſcepiſſe munus, eaque in re haud magis neceſſitudinem, qua Domui Badenſi devinctus ſit, quam ipſius Marchionis commodum ſpectaſſe, nulloque ſe modo dubitare, quin Cæſaris voluntati morem geſturus ſit Marchio. Hic tamen Maximiliani monitis non acquievit, ſed aliis literis, die 11. Februar. ſcriptis, a propoſito novis eum rationibus avertere ſtuduit, ſequeſtrationem, a Cæſare, precibus adverſariorum, decretam, & pactis familiæ & conſtitutionibus Imperii & communi Electorum, Principum Statuumque libertati adverſari contenderet.

Mandatum Cæſaris.

At Cæſar novo Mandato die 27. Aug. ſuperiorem Marchiam cum omnibus ejus partibus Electori Trevirenſi & Bavariæ Duci, ſequeſtribus, ſub pœna ducentarum marcarum auri puri, Marchionem tradere juſſit.

§. XXX.

Provocatio Marchionis.

Hic Georgium Fridericum, fratrem ſuum, Pragam ad Aulam Cæſaris miſit; qui eum die 16. Apr. 1602. hortatus eſt decreto, ut ad admittendos ſequeſtres induceret fratrem; pollicitus, ſumtuum & damni illius ſe initurum rationem, neque impediturum, quo minus unum e conſiliariis Durlacenſibus ſuis adjungat ſequeſtribus. Quin & Cæſar promiſit, acturum ſe ſedulo, ut pars

pars adverſa compoſitioni amicabili, Cæſareanorum legatorum interventu, det locum. At Erneſtus Fridericus cauſas, ob quas conſentire nequeat, longo Cæſari ſcripto die 3. Oct. expoſuit ac provocatione ab Imperatore male informato ad melius informandum coram tabellione & teſtibus interpoſita, ſibi conſuluit.

Res per reliquum fere Erneſti Friderici regimen in ſuſpenſo relicta. Sed tutores (*p*) filiorum Eduardi Catholicos Principes, religionis prætextu, (*q*) ad ſuas pertrahere partes ſtuduerunt; miſſo quoque in Poloniam legato, qui Regi cognato commendavit pupillos petiitque, ut literis apud Cæſarem & legatione ſolenni ad proxima Imperii Comitia eorum cauſæ patrocinaretur. Rex ea ſe facturum ſpopondit.

§. XXXI.

Nec prætereundum ſilentio, quod Erneſto Friderico, Marchiæ ſuperioris occaſione cum Circulo Suevico difficultates obor- Lis de ſuffragio Circulari.

(*p*) A. 1603. ad preces Eickiæ matris & conſiliariorum, Alberto Archiduci & Maximiliano, Bavariæ Duci, tutoribus teſtamentariis, Carolus Comes Hohenzolleranus; & viduæ matri, donec ad ſecunda tranſierit vota, Salentinus, Iſenburgicus Comes & Cuno Winnenburgicus Dynaſta Cæſareo decreto adjuncti ſunt tutores, qui eodem anno Spanheimenſium ditionum inveſtituram a Lothario Trevirenſi Electore impetrarunt.

(*q*) Allegatum inprimis, quod Catholicis decreſcat, Proteſtantibus accreſcat ſuffragium.

ERNEST. FRIDER.

tæ. Circuli Rectores Eduardum Fortunatum, poſſeſſione licet dejectum, ad Conventus tamen Circulares vocaverant. Indigne id ferens Erneſtus Fridericus, locum & ſuffragium in illis Conventibus ad ſe ſpectare contendit, quod Imperii Circuliqne tributa ipſe perſolvat. Negarunt id Sueviæ Ordines remque Cæſaris cognitioni permittendam cenſuerunt. Wirtenbergicus Catholicos numero ſuffragiorum viciſſe cauſatus eſt. Marchio recuſavit tributa, Cæſari ab Ordinibus Sueviæ decreta quæ fuerant. Origo hæc novæ litis in Camera Imperii. Marchio tributa Circulorum neminem, præter eos, qui conſenſerunt, obſtringere contendit. Cum Præfecto rei nummariæ Imperii denique de certa pecuniæ ſumma, reſiduorum nomine ſolvenda, A. 1603. Marchio convenit.

§. XXXII.

JacobiFiliæ tradi juſſæ.

Difficilem hanc cauſſam alia mox difficilior excepit de filiabus Jacobi. Leonbergenſem pactionem (*r*) de tradendis illis Marchio noſter haudquaquam implevit; ſed communicato cum Principibus fœderatis conſilio, rem in dies protraxit. Cæſar denique A. 1599. die 19. Febr. dedit mandatum, quo Erneſtus Fridericus aut Wilhelmo Bavaro, aut Georgio Ludovico Leuchtenbergæ Landgravio, aut Eliſabethæ matri, quæ Corolo Zollerano

(*r*) Vid. ſupra. p. 79.

nupſerat, ſub pœna L. marcarum auri puri tradere juſſus eſt Principes puellas. Cæſaris & Conſilii Aulici ſententia Erneſtum Fridericum permovit, ut Proaviæ educandas eas ſe traditurum promitteret. Oblata rejecit Cæſar, & Marchioni injunxit, ut intra ſex ſeptimanas Conſilium Aulicum doceret, ſe ſatisfeciſſe decreto, quod die 3. Julii A. 1599. emanavit. Poſt hæc Marchio Principes filias ex Aula ſua die 25. Aug. transtulit Badam, (s) atque ephoram & ephorum, Catholicæ utrumque religioni addictum, ut & ſacerdotem, qui ſacra doceret Catholica, iisdem adjunxit. Aulicum Conſilium hæc omnia rejecit, atque priora ut obſervarentur decreta die 7. Martii 1600. præcepit. Marchio ad Cæſarem & Imperium provocavit, & Moguntinum atque Palatinum Electores ea de re literis fecit certiores. Repetitis tamen mandatis die 4. Dec. eodem anno ſub pœna proſcriptionis illi injunctum eſt, ut præſcripto tempore uni ex memoratis Principibus traderet puellas, & neque matrimoniis conciliandis, neqne alia quacunque ratione Cæſaris mandata eluderet.

(s) Scriptum fuerat in transactione Leonbergenſi, ut *aliis locis*, ubi Romana religio viget, educarentur puellæ. Marchio his verbis Caroloburgum quidem ſedem ſuam, at non Badam, Catholicum ditionis ſuæ oppidum, excludi contendit.

§. XXXIII.

Marchio rem ad ſocios defert.

Marchio, quam paulo ante tentaverat, provocationem repetiit, quæ ab Electore Palatino Cæſari miſſa, ab eodem rejecta atque Electori Palatino cum minis remiſſa. (*t*) Cauſa hæc dein ad Conventus ſociorumUnionis, Fridbergæ anno 1601. ineunte celebratos, delata. Hi rem ad omnes Principes ex æquo pertinere, ac cum Legibus Imperii, cum obſervantia & libertate Germanica pugnare cenſuerunt. Diſſuaſum Marchioni, ne inſolitis pareret mandatis, quæ a Conſiliariis Aulicis, novum judicandi ordinem ſibi fingentibus, Cæſare ignaro, emiſſa. Placuit Marchionis cauſam apud Cæſarem agere eumque rogare, ne talibus mandatis porro locum concedat. Singula hæc ad Cæſarem menſe Martio (A. 1601.) perſcripſit Erneſtus Fridericus petiitque, ut omnis actio intermitteretur, & ne ægre ferret Cæſar, ſi non paruerit mandatis; quod provocatione lis ſit ſuſpenſa. Conſultum tamen ſibi eſſe credidit Marchio, ſi certo modo pupillarum renunciaret tutelæ; id quod die 10. Septembr. coram tabellione & teſtibus factum. Periculum enim fuerat, ne ſententia proſcriptionis Pragæ publicaretur a Cæſare. Quem in finem accerſitus quoque a Marchione Bongarſius, ut ab eo ſciſcitaretur, num quid opis

(*t*) LINGELSHEMIUS in *Epiſtolis Anecdotis ad Joſephum Juntam Archigrammateum Argentoratenſem in Sylloge Anecdotorum* Ayrmanni p. 555.

eſſet ab Henrico IV. Galliarum Rege ſperandum, vim illaturus ſi fuerit Cæſar. (u) Marchioni quid reſponderit Rex, non liquet.

§. XXXIV.

Georgius Fridericus, Marchionis noſtri frater, anno ſequente, in Aula cum verſaretur Cæſarea, Cæſar omni ſtudio apud fratrem id eum agere juſſit, ut teſtamenti Jacobi & Leonbergenſis pactionis tandem habeat rationem, neque mandatis de tradendis puellis, diutius moram injiciat. Erneſtus Fridericus vero, die 3. Oct. (A. 1602.) Cæſari ſcripſit, ſe renuntiaſſe tutelæ, liberumque jam eſſe pupillis, ut in eam, quam velint, partem ſe vertant. Finis hujus litis.

Hic finis fuit diuturnæ contentionis, quam Marchio breviorem reddere debuiſſet. At in omnibus ille nimis conſilii tenax; præſertim malam cum ingreſſus eſt viam. Tanta eſt efficacia erroris.

Annus ſequens vidit Comitia, Ratisbonæ celebrata, in quibus de ſubſidiis ad bellum Turcicum, de bello Belgico & de lega- Comitia Ratisbon.

(u) LINGELSHEMIUS *loco alleg.* pag. 565. hæc habet: „ Dominus Bongarſius bis per hos dies hác (Heidelberga) tranſiit, accerſitus a Marchione Durlacenſi, qui Praga nuntium accepit, fore, ut ſententia proſcriptionis brevi publicetur adverſus ipſum; ob negatam educationem fratris Jacobi filiarum apud Pontificios. Scire cupit, numquid opis in Rege, ſi vis inferatur. „ Scripta eſt epiſtola die 6. Sept. 1601.

ERNEST. FRIDER.

tis, in Belgium mittendis, deliberatum. In ſubſcriptione Receſſus Badenſibus Haſſi fuerunt præpoſiti, quod indigne tulit Erneſtus Fridericus, alternationem, nuper decretam, ad ſubſcribendi quoque ordinem pertinere cauſatus. Denique Haſſis quidem hac vice conceſſit, ſed addita cautione, ut in poſterum religioſe obſervaretur de alternatione transactio.

§. XXXV.

Tranſit. ad ſacra Calvin.

Hæc dum aguntur, Erneſtus Fridericus Calviniana, pridem quæ foverat, publice tandem profeſſus eſt ſacra. Educatus ille fuit cum fratribus in religione Lutherana. At Jo. Piſtorius, in Aulam hujus Principis circa A. 1577. receptus, Calviniano tum dogmati addictus, prima ejus ſemina Marchioni communicaſſe videtur, (x) licet ejus & fratris Jacobi nomina in Formula

(x) Idem poſtea PISTORIVS ad Catholica ſacra Erneſtum Fridericum perducturus videbatur. Jo. WESENBECCIUS, Tubingenſis Theologus, Doctor & Profeſſor, dein Ulmenſis Eccleſiarum Superintendens, in *literis ad Philippum Marbachium*, Ulma die 23. Jul. 1596. ſcriptis *Argentoratum, in Marbachianis Epiſtolis, a Fechtio editis*, pag. 762. ita ſcribit: „ Periculum eſt, ne Piſtorius ſerpentinis gyris animum Erneſti Friderici, Marchionis Badenſis, vel tandem expugnet, idque tanto magis, „ quia Pontificii nihil prætermittunt, quo in ſuas partes eum pertrahere poſſint, maxime dum ſpem ei faciunt, quieta in poſſeſſione retinendi Marchionatum Badenſem, quem nuper Eduardo Fortunato,

Ernest. Frider.

Concordiæ, A. 1580. Calvinianis oppoſita, in Catalogo ſubſcribentium compareant. In Gymnaſio Durlacenſi, quod A. 1586. ab eo apertum, plerique Profeſſores ex Calvinianorum deſumti ſunt ſchola. (y) Religionem hanc tamen nonniſi A. 1599. profeſſus eſt publice, quo librum ſuum, dogmatis Calviniani defenſorem, conſcripſit, atque Stafforti, ubi ſubinde habitabat, ſumtibus ſuis imprimi curavit; (z) amico Electori ut placeret, Friderico Palatino. Extat Epiſtola Erneſti Friderici ad Wirtenbergæ Ducem, Fridericum, tutorem olim ſuum, in qua ingenue fatetur, eo ipſo tempore Calviniano dogmati ſe jam firmiter adhæſiſſe, quo nomine ejus ſubſcripta fuit Concordiæ Formula. (a) Liber. Staffort.

„ vi & armis ademit, ſi in caſtra Pontificia ſit tranſiturus. „ Idem timuiſſe cives Marchicos oſtendit Epiſtola Pauli Cherleri Synodici Secretarii & Paſtoris Rœtelæ A. 1595. Dominica poſt Natalem Domini ſcripta Rœtela ad Philippum Marbachium Argentinam in Fechtii *Epiſtolis Marbachianis* pag. 760.

(y) Fechtii *Hiſtoria Colloquii Emmeding.* Cap. 3. §. 8. p. 45.

(z) De libro hoc vid. Majum in *Annotationibus ad Vitam Reuchlini*, p. 130. ſqq.

(a) Fechtii *Hiſt. Colloquii Emmending.* pag. 43. Epiſtolæ Marchionis deficit annus.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

§. XXXVI.

Rebellio Pforzh.

Dogmata hæc ſua Durlacenſibus A. 1600. obtruſit. (*b*) Pforzheimenſibus eadem obtruſurus quum eſſet, cives trecenti undecimo menſis Septembris coiverunt in fœdus, & denuntiarunt Marchioni, nil novi ſe admiſſuros in religionis negotio. Quin & Georgii Friderici fratris ejus implorarunt auxilium; qui religioſum eorum zelum reſcribens laudavit; ſuaſitque ut agerent modeſte; opem pollicitus, ſi neceſſitas exigat. Petrus Eberzius, Advocatus cauſſarum, vir mobilis ingenii, concitaverat cives. In reliquis omnem Marchioni obedientiam Pforzheimenſes præſtiterunt. (*c*)

Traditio eſt, eum in itinere mortuum, quod Pforzhemium ſuſceperat, Calviniana ibi ſacra militari manu ut obtruderet civibus; atque adeo in hac quoque urbe perficeret, quod ante quadriennium Durlaci perfecit.

§. XXXVII.

(*b*) Dehortati eum ſunt ab hoc inſtituto Philippus Comes Palatinus Neoburgenſis, Fridericus Marchio Anſpacenſis, Fridericus Dux Wirtenbergæ.

(*c*) LINGELSHEMIUS in *Epiſt. ad Jacobum Bongarſ.* num. 29. & in *Epiſtolis Anecdotis apud* AYRMANNUM pag. 567. Sigillo uſi ſunt cum Inſcriptione: *Sigillum Concordiæ Pforzheimenſis.*

Digitized by Google

§. XXXVII.

Quodſi Erneſtus Fridericus uno anno minus, quam vixerat, vixiſſet, ſucceſſores ejus Marchia fruerentur lautiore. Illo enim, qui mortem ejus præceſſit, (1603.) nova terrarum Badenſium alienatio occurrit; longe major priore; qua irreparabilem jacturam paſſa eſt Marchica Domus. Idem ſane Erneſtus Fridericus, qui Beſighemii & Mundelshemii dominia ante novennium Wirtenbergæ Duci vendidit, eidem Altenſteigæ & Liebenzellæ, vetera quoque gentis ſuæ patrimonia, longe ditiora, permutatione & venditione hoc anno conceſſit & tradidit. Præfecturæ hæ Wirtenbergicis terris, (*d*) uti Wirtenbergicæ Malſch, & Langenſteinbach circumcinctæ Badenſibus, frequentium contentionum extiterunt origo. (*e*) Extinguendis his remedii ſpecies quærebatur. Permutationis titulus, cum alienatione conjunctus, alienationis invidiam minuere viſus eſt. Numeroſior miles, quam ſuperioris Marchiæ occupatio requirere videbatur, Erneſtum Fridericum emunxit pecunia. Steinbacum ergo & Malſcham cum vico transrhenano Rhodt & cum quadringenties octies mille, ſeptingentis & ſexaginta florenis paratæ pecuniæ Erneſtus Fridericus accepit,

Altenſteigæ & Liebenzell. alienatio.

Tom. IV. P

(*d*) Loca hæc ad Abbatiam Albæ Dominorum pertinebant, quam A. 1535. ſeculo addixit Wirtenbergicus.

(*e*) Conf. Tom. III. pag. 22. & 113.

Digitized by Google

ERNEST. FRIDER.

ut Altenſteigam (*f*) & Liebenzellam, (*g*) Wirtenbergico traderet. (*h*) Eo periculoſius conſilium fuit, quod jacturam Domui ſuæ illatam, venditor tum prævidere non poterat. Quum autem Steinbacum, Ottersvira & Malſcha Monaſterii Albæ Dominorum olim fuerint dominia, adeoque dubiæ poſſeſſionis, Fridericus Marchioni evictionem promiſit, (*i*) atque Beſigheimenſe ac Mundelsheimenſe Dominia in ſecuritatem ei oppigneravit; ita tamen, ut Wirtenbergicus in eorundem poſſeſſione, donec eveniat caſus, perſtaret; futuræ cum Badenſibus litis diuturnæ materia; poſtquam Durlacenſes Ottersviram & Malſcham Wilhelmo Bada-Badenſi reſtituere coacti ſunt. (*k*)

(*f*) Altenſteigæ Præfectura hæc loca comprehendit: Altenſteig Caſtrum & oppidum; vicos & villas Egenhauſen, Mindesſpach, Ettmansveiler, Simmersfelden, Pfrondorff, Rotfelden, Unterjetingen, Gœttelfingen, Altenſteig, Beuren, Grœmbach, Durweiler, Spielberg, & partem vicorum Zwerenberg & Hornberg.

(*g*) Liebenzellæ Præfectura continet: Liebenzell oppidum, vicos Haugſtetten, Beinberg, Biſelberg, Ober- & Unterlengenhart, Mayſenbach, Ernſtmühl, Thennejecht, Schwarzenberg, Kolbach, Igelsloch, Schemberg, Monakam, & Reichenbach. SATTLER *Beſchreibung des Herzogthums Wirtenberg*, Part. II. Cap. 49. §. 3. p. 229.

(*h*) Literæ Permutationis datæ Stutgardiæ d. 20. Dec. 1603.

(*i*) Literæ ſpeciales hac ſuper re datæ eodem menſe Dec. 1603.

(*k*) Vid. Tom. III, pag. 113.

Digitized by Google

Ernest. Frider.

§. XXXVIII.

Judicium de ea.

Iteratæ terrarum Badenſium alienationes Erneſti Friderici apud poſteros laudem non parum minuerunt. Dubiam Marchiæ ſuperioris poſſeſſionem ut ſibi ſervaret, indubiæ poſſeſſionis Marchionatus ſui bona imprudenter alienavit. Magnæ, quas inde collegit, nummorum ſummæ diſparuerunt, ſine fructu ad poſteros. Immenſi ſilvarum Badenſium tractus ad Wirtenbergicam Domum pervenerunt, quarum exigua tum fuit habita ratio; nunc divitiarum ſunt fontes. Adde navigationis præſidia, tum quoque parvi habita. Enzia cum Nicro apud Beſighemium jungitur. Nicer apud Manhemium jungitur Rheno. Enzia, Nagolda & Wirma apud Pforzhemium junguntur. Quantum beneficium perdidit Marchio, navigationem continuam & directam Pforzhemio perdens ad Rhenum. Lucrum, ex ingentibus ſilvis faciendum, hac alienatione amiſſum. Irreparabile damnum; vulnus cicatricis impatiens, quod nulla ſecula ſanabunt.

§. XXXIX.

Obitus Marchionis.

Obiit Remchingæ, qui locus Durlacum inter & Pforzhemium medius, ſubita morte oppreſſus, die XIV. Aprilis A. 1604. cum quadrageſimum ætatis annum vix expleſſet. (*l*) Pforzhemii ſepultus eſt in Choro Collegiatæ. (*m*)

(*l*) Majus in *Vita Reuchlini.* p.133. Thuanus Lib. CXXXI. Cap. 17. p.242.

(*m*) Epitaphium ibi legitur ſequens: *Illuſtriſſimus Princeps ac Dominus, Do-*

ERNEST. FRIDER. Character.

Varii de Erneſto Friderico & illius & noſtro ævo ſermones. NICOLAUS REUSNERUS, Sileſius, in ſuis *Therothermis,* ſive Aquis Ferinis (*Wildbad*) Wirtenbergæ Ducatus, eum laudibus extollit. Viderat ibi Marchionem A. 1580. atque dein ſua Epigrammata, in Thermis compoſita & Lauingæ A. 1581. impreſſa, ei adſcripſit. In his bonitatem & ſapientiam Marchionis, ac in Muſas favorem celebrat.

Statura.

Imperatoriam Erneſti Friderici ſtaturam dilaudant, qui eum propius noverunt. (*n*). Decennio ante mortem inferiore corporis parte contractus, geſtatoria ſemper uſus eſt ſella. Contractionem magicis artibus, contra eum adhibitis, adſcribunt. (*o*)

Mens vivida.

Mens tamen ejus ſemper erecta & vivida; at nimis ardens, indocilis, flecti neſcia & dura; lites ex litibus ferens. Eduardo expulſo, ad incitas redacto, & mortuo, quid miles numeroſus, unde nummi penuria.

---

minus Erneſtus Fridericus, Marchio Badenſis & Hachbergenſis, Landgravius in Suſenberg, Dynaſta in Rœteln & Badenweiler &c. ſingulari heroicarum virtutum laude coruſcans & quod absque aſſentationis ſtudio dixerimus, prudentia Principe digna ita excellens, ut ſuperiorem ſuo tempore nullum, parem vix haberet, in ipſo virilis ætatis flore, miſeris vitæ humanæ exutus & diuturnis graviſſimisque morbis liberatus, patriam cœleſtem repetiit, natus A. Chriſti MDLX. XVII. Octobris, mortuus A. Chriſti MDCIV. XIV. Aprilis.

(*n*) JÜNGLERUS.

(*o*) *Idem.*

§. XL.

Cum Palatina Domo conſtans ei fuit amicitiæ vinculum. Induƈtu ejus Erneſtus Fridericus ſacra mutavit, atque confœderationibus Proteſtantium, religionis cauſa faƈtis, acceſſit; ex quibus tandem, ſexennio poſt mortem ejus, Evangelica illa enata eſt Unio; tot cauſſa malorum, quae Germanos contra Germanos armavit; quæ Palatinos atque Badenſes, imo omnem fere Germaniam per triginta perdidit annos. Inquies Principis in religionis quoque negotio animus omnis generis motus civiles, domeſticos, quin & eccleſiaſticos ſuſcitavit; quibus ille carere potuiſſet, debuiſſet. Implacabiles Wirtenbergenſium & Wittenbergenſium Theologorum iras, debiles quidem, at non neceſſarias, Staffortico ſuo Libro in ſe concitavit. Quid opus erat, de ubiquitate, de communicatione idiomatum, de prædeſtinatione Marchio ut diſputaret Badenſis, atque his ſuper rebus conſcriberet librum; major futurus, ſi a controverſiis his abſtinuiſſet. Unionis Evangelic. initia.

§. XLI.

Æternum amoris ejus in Literas monumentum eſt Schola, magnis ſumptibus Durlaci ereƈta, dotata; quæ nunquam magis floruit, quam flammis Gallicis cum fuiſſet vicina; reſtaurata poſt bellum; Carlsruhæ jam florens. Inter eruditos, quos Marchio noſter ornavit, amavit, reputandus eſt quoque Justus Reuberus, Scriptoribus Rerum Germanicarum in lucem edi- Amor. literar.

ERNEST. FRIDER.

tis notus, cujus calamo & conſiliis in negotiis publicis frequenter eſt uſus; cui Præfecturam Etlingenſem adminiſtrandam commiſit. Biennio poſt Marchionem deceſſit.

Palat. Godesav.

Nec ſilentio prætereundum, quod eo in loco, ubi Godesaviæ Monaſterium olim extiterat, Erneſtus Fridericus novum palatium exſtruxerit, (*p*) amœnum & elegans, in quo ſæpe verſatus eſt, quod A. 1689. flammis bellicis conſumtum. (*q*)

Ordo novus.

Denique & Ordo Equeſter ab eo conſtitutus eſt A. 1584. cui *Faſciæ cæruleæ* impoſuit nomen. Succeſſor ejus A. 1608. mutato nomine, ab *Aureis Scopulis* eum maluit appellari. (*r*).

§. XLII.

Uxor.

Erneſti Friderici uxor fuit Anna, Edzardi II. Comitis Friſiæ Orientalis, filia, ex Catharina Suecica Guſtavi I. Regis filia, Cæciliæ Badenſis ſorore. Nata Aurici in Friſia d. 26. Junii 1562. Anna hæc primo matrimonio A. 1583. nupſerat Ludovico, Electori Palatino; eoque intra annum nuptialem extincto, in Erneſti Friderici thorum d. 21. Decembris 1585. tranſivit. Superſtes Marchioni tertias cum Julio Henrico, Lauenburgico Duce, nuptias die 7. Martii 1617. Grabæ contraxit; fœmina, quæ nulli maritorum ſobolem procreavit. Obiit A. 1621.

(*p*) Cœptum eſt ædificari A. 1588.

(*q*) Vid. FRID. THEOB. SAHLERI *deſcriptionem Godeſaviæ* in SCHOEPFLII *libro de Nordgavia.*

(*r*) Der Blauen Binden. Poſterior, der Guldenen Klipp.

CAPUT IV.

JACOBUS III.

A. 1577 - - 1590.

§. I.

Brevis eſt, at digna memoratu, vita Marchionis Jacobi, quem Germania, Italia, Belgium, Cæſar & Pontifex Romanus amarunt: cujus dotes admirati ſunt multi: cujus vita longior ſi fuiſſet, magnam Badenſibus terris induxiſſet rerum converſionem. Natus eſt Jacobus A. 1562. die 26. Maji, Pforzhemii, ubi ante translatam Durlacum regiminis ſedem habitaverant Marchiones, lineæ Pforzheimenſis, quæ dein Durlacenſis appellata. Mortuo patre communem cum fratribus tutorem, Wirtenbergæ Ducem, accepit. Ob ingenium excellens, literis colendis aptiſſimum, anno XV. ætatis, Tubingam & anno ſequenti Argento- Jacobi initia.

Digitized by Google

ratum eſt miſſus, ut, quæ domi jecerat fundamenta, apud exteros perficeret. Argentorati elegantioribus litteris & Philoſophiæ per biennium incubuit; Electoris Trevirenſis Jacobi, magni patrui, animatus exemplo.

A. 1581. ſub Comitis Hachbergæ nomine, ad Gallos & Italos profectus eſt, Joſua Scherero a Schwarzenberg Ephoro uſus.

§. II.

Artes militares.

Ex Italia Vindelicorum Auguſtam ſe contulit, ubi A.1582. Comitia Imperii habuerat Cæſar. (*a*) Vigeſimum ætatis annum tum decurrebat Jacobus. Corporis & oris venuſtas, ſuavitas morum & Cæſaris & Procerum ei conciliarunt amorem; quem plurium Europæ linguarum notitia, qua polluerat, non parum adauxit. Poſt reditum ſingularis ejus in artes militares propenſio manifeſtare ſe cœpit. Studiis litterarum exercitatio armorum ſucceſſit; in qua tantos etiam brevi tempore fecit progreſſus, ut in equeſtribus ludis paſſim reportaverit palmam. Doctrina militaris ei connata, non inſtillata videbatur. Veteres bellicæ artis ſcriptores præ ceteris legit & ſubjunxit juniores; linguarum cognitione non parum adjutus.

(*a*) Errat FECHTIUS in *Hiſt. Colloq. Emmed.* Cap. 1. §. 6. ubi Comitia hæc Auguſt. ad A. 1580. rejicit.

Digitized by Google

§. III.

Inter hæc Colonienſe A. 1582. exortum eſt bellum, in quo Ludovicus, Palatinus Elector, Gebhardi Truchſeſſii, Electoris, ad Proteſtantium ſacra transeuntis, partes tuebatur. Miſſus ab eo cum copiis in auxilium ejus frater Caſimirus, quem comitatus eſt Marchio noſter Jacobus. Quum autem Palatinus, A. 1583. moriens, impuberem reliquiſſet filium, Fridericum IV. Caſimirus, tutelæ ſuſcipiendæ cauſſa & cum eo Jacobus noſter domum redierunt. (*b*) Paulo poſt tamen ad idem Colonienſe bellum rediit Jacobus; ſed contrarias partes ſecutus. Sanguinis vinculum, quod inter eum & Erneſtum Bavarum, Gebhardi in Electoratu Colonienſi æmulum, interceſſerat, (*c*) animum Jacobi induxit, ut non modo pro eo corriperet arma, ſed & mutuis officiis arcta cum eo amicitia jungeretur. Noveſium, Colonienſis Electoratus Civitas, in poteſtatem Batavorum devenerat. Ad eam Hiſpanicis armis recipiendam Alexander feſtinavit Farneſius. Jacobum Erneſtus rogavit Elector, ut equites Germanos ad urbis obſidionem adduceret, annuumque ei inſuper conſtituit ſtipendium, ut pro Colonienſis Archiepiſcopatus defenſione mille equites & peditum ſigna viginti ſub

Bellum Colonienſe.

Tom. IV. Q

(*b*) Isselt *de Bello Colon.* Lib. IV. pag. 395.

(*c*) Jacobi Marchionis avus, Erneſtus, frater fuerat Philippi, cujus filia Ma-

armis haberet. In expeditione hac Farneſio ita adhæſit Jacobus, ut ab eo fere nunquam diſcederet. (*d*) Obſervavit quid faceret; audivit conſilia; obambulantem in caſtris, ad hoſtium usque portas progredientem, comitatus; magni Imperatoris in eo miratus exemplar. Noveſio capto, cum eodem Alexandro ad Rhenobergæ obſidionem progreſſus, miſſo in hiberna milite, rediit domum, præcipua belli gerendi momenta a tanto Duce edoctus. Virtutis ejus & fortitudinis fama ad Hiſpanicam usque Aulam penetraverat, ad quam ille, diutius ſi vixiſſet, ſe appliciturus videbatur; eo faciliore conſilio, quod per dotalia uxoris ſuæ Culenbergicæ apud Geldros bona, Regis Hiſpaniæ deveniſſet Vaſallus.

---

ria Jacobæa fuit avia Electoris Colonienſis Erneſti. Docet hoc Tabella ſequens:

Chriſtophorus March. Bad.

Philippus	Erneſtus
Maria Jacobæa, uxor Wilhelmi IV. Bavariæ Ducis.	Carolus II.
Albertus IV.	Jacobus March. Bad.
Wilhelmus V. Bavariæ Dux.	Erneſtus Elector Colon.

(*d*) Pistorius *in Vita Jacobi* pag. 12.

Digitized by Google

§. IV.

In diviſione terrarum Bada - Durlacenſium inter tres fratres A. 1584. Marchiam Hachbergæ accepit Jacobus; (*e*) cujus regimen ei a tutoribus traditum. Regimen adit.

Wirtenbergæ Dux, adoleſcentium Marchionum qui geſſerat tutelam, ab eo & a fratre ejus natu majore, Erneſto Friderico, exegit, ut Auguſtanæ Confeſſioni, Carolo V. in Comitiis exhibitæ, & Formulæ Concordiæ, A. 1580. in Saxonia conditæ, conſtanter ſe adhæſuros profiterentur. Tutori reſponderunt Marchiones, ab Auguſtana Confeſſione, quam a teneris didicerant, ſe non diſceſſuros, at Formulæ Concordiæ ſe nondum poſſe accedere, quod capita ejus nondum ſatis expenderint.

Eodem anno Jacobus cum Johanne Caſimiro, Reinhardo & Johanne, Comitibus Palatinis, & cum fratre ſuo Erneſto Friderico, ad Johannem Manderſcheidium, Epiſcopum Argentinenſem, literas ſcripſit, quibus Canonicorum Proteſtantium Argentinenſis Capituli cauſſam commendavit. (*f*)

Numeroſa Germanorum equitum peditumque agmina in Henrici Navarræ Regis auxilium in Galliam quum A. 1587. con-

(*e*) Conf. vita Erneſti Friderici. pag. 72.

(*f*) Extant literæ in Libello: *Auſsſchreiben und Bericht Georgen von Sayn* &c. *inter Documenta* num. XXXIV.

Digitized by Google

tenderent, Alſatiæ Sueviæque Ordines, publicæ tranquillitati timentes, fœdere inter ſe juncti, copias conduxerunt, iisque Marchionem præfecerunt Jacobum; qui & anno ſequente Brisgovicorum feudorum inveſtituram, a Baſilienſi Epiſcopo, Jacobo Chriſtophoro, Brundrutti, ſuo & fratrum nomine, ſuſcepit.

§. V.

Lotharingo militat.

Bellica Jacobi gloria indies apud exteros increvit. Lotharingiæ Dux iisdem conditionibus, quibus Colonienſis Elector, ejus ſibi expetiit auxilia. Enimvero in turbis illis religionis, quæ ſub Henrico III. Rege apud Gallos continuatæ ſunt, Carolus II. Lotharingiæ Dux, partibus Guiſiorum adhærens, Henrico Roberto, Boullionæo, Hugonottorum fautori, eoque defuncto, Carolæ Eliſabethæ, filiæ ejus, intulit bellum, quod Germanorum Proteſtantium exercitus, quem Boullionæus ducebat, per Lotharingiam tranſiens, late omnia vaſtaſſet. Lotharingiæ Dux Jametium, Ducatus ſui feudum, a Boullioniis Ducibus poſſeſſum, fine anni 1587. obſedit. Obſidio per anni ſpatium protracta. Urbs menſe Decembri A. 1588. Caſtrum, urbi ſubjectum, A. 1589. menſe Julio in Lotharingiæ Ducis poteſtatem pervenit. (g) Ad obſidionem hanc eo felicius peragendam, Jacobus Germanorum

(g) THUANUS Lib. XCVI. Cap. 6. CALMET *Hiſt. de Lorraine* Tom. V. pag. 812.

Digitized by Google

peditum auxilia, ſuis conſcripta ſumtibus, Lotharingo ſubmiſit. Ex his quatuor turmæ in Galliam progreſſæ ſunt, juſſu Lotharingi, ut Mayennio ſub Duce contra Henricum Navarræ Regem militarent. Militum Badenſium virtus multos tum laudatores invenit. (h)

§. VI.

Dynaſtia Bitenſis oppigner.

Lotharingus in ſecuritatem debiti A. 1589. Bitenſem (*Bitſch*) Dynaſtiam oppigneravit Marchioni. (i) Dynaſtia hæc a ſeculi XIII. temporibus in Bipontii Comitum manibus fuerat. Margaretha, Jacobi, ejus ſtirpis poſtremi, A. 1570. defuncti, filia, Philippo V. Comiti Hanovio-Lichtenbergico nupſerat, A. 1569. ante patrem extincta. Hanoviæ Comes, virtute conjugis ſuæ defunctæ, in Bitenſem Dynaſtiam ſibi jus vindicans, a Duce Lotharingiæ inveſtituram obtinuit. Sed litem illi movit Philippus Leininga-Weſterburgicus Comes, qui Amaliam, Simonis Weckeri filiam, duxerat uxorem. Simon hic frater natu major

(h) Pistorius *Orat. I.* pag. 56.

(i) Bernhardi Herzog *Chron. Alſat.* Lib. II. pag. 232. & 233. In literis A. 1592. quarum mentionem in Erneſti Friderici vita injecimus, Dynaſtia hæc quoque Badenſium pignus (*Pfandſchaft*) vocatur. Alibi eandem Dynaſtiam titulo emtionis venditionis ad Badenſes perveniſſe legas.

Digitized by Google

fuerat Jacobi. (k) Lotharingiæ Dux, mutata ſententia, in Leiningenſis partes tranſivit. Hanovius ad Cameram Imperii detulit litem. Hac durante, Lotharingus Bitenſem Dynaſtiam Jacobo noſtro Marchioni oppigneravit; qui poſſeſſionem ejus adivit fratrique Erneſto Friderico, ſucceſſori, reliquit. (l)

§. VII.

Conſilium mutandæ religionis.

Hæc dum aguntur, de tranſitu ad Romana ſacra cogitavit Jacobus. Primus hac de re A. 1587. increbuit rumor. Frequentes hinc litteræ, quas frater ejus & Eliſabetha ſoror, Philippus Ludovicus, Palatinus Princeps, Ludovicus Wirtenbergæ Dux, Fridericus Montisbeliardæ Comes, Ludovicus Landgravius Haſſiæ, aliique ad eum ſcripſerunt, a propoſito ut eum averterent. At Ferdinandus Archidux Auſtriæ, Guilielmus Bavariæ Dux, Andreas de Auſtria, Cardinalis, Johannes Argentinenſis Epiſcopus, literis quoque ſuis eum in propoſito firmarunt; auxilium & opem ei, ſi opus eſſet, polliciti.

Italicum iter, militia Belgica ſub Alexandro Farneſio, amicitiæ vinculum cum Electore Colonienſi, Erneſto Bavaro, & cum Lotharingiæ Duce, cum Ferdinando Archiduce, cum Wilhelmo

(k) CALMET. *loc. alleg.* pag. 762. ſeq.

(l) Vide Erneſtum Fridericum. pag. 83.

Digitized by Google

Bavariæ Duce & cum Pontificio ad Helvetios legato, Octavio, Alexandrino Epiſcopo, familiares ei reddiderant ritus Romanos. His acceſſit Piſtorius, ſingularis loquentiæ vir, qui quotidie Marchionem obſedit; dubium & vacillantem in propoſito firmavit.

§. VIII.

In re tam gravi autem temere aut leviter ne egiſſe videretur Jacobus, hortante Piſtorio, ſuper capita quædam fidei colloquia duo, alterum Badæ; alterum Emmedingæ inſtituit. Colloquia duo inſtituit.

Badenſe habitum A. 1589. (*m*) inter Jacobum Andreæ & Jacobum Heerbrandum, Tubingenſes Theologos, ab una & inter Jo. Piſtorium, cui Theodorus Buſæus, Jeſuita, Collegii Molsheimenſis in Alſatia Rector, ſe junxerat. Colloquio hoc Jacobum, in religione nutantem, Piſtorius ad ſacra Romana reducere ſtuduerat; ille qui nuper ex Lutherano Calvinianus, ad Calviniana ſacra Erneſtum Fridericum, Jacobi noſtri fratrem, perduxerat. (*n*)

Badenſis autem Colloquii ſucceſſus, quum non omni ex parte expectationi reſpondiſſet Piſtorii, Jacobum induxit, ut aliud

(*m*) Acta hujus Colloquii Badenſis prodierunt Tubingæ A. 1590. Colloquium Emmedingæ haberi debuerat, ſed Eduardus Fortunatus eidem intereſſe cupiens, induxit Jacobum, ut illud Badæ indiceret.

(*n*) Jacobus Andreæ objecit Piſtorio, quod utrumque fratrem ad Calviniana primum, dein ad Romana ſacra perducere ſtuduerit. Vid. *Acta Colloquii Badenſis* pag. 210. & Fechtii *hiſtoriam Colloquii Emmeding.* p. 55.

Digitized by Google

JAC. III.

Colloquium in annum ſequentem indiceret Emmedingæ, in Marchia Hachbergæ, ad quod Argentina evocatus eſt Pappus, Theologus Doctor. (*o*)

§. IX.

Tranſitus ad ſacra Romana.

Finito hoc Colloquio, Jacobus publice profeſſus eſt, quod foverat occulte. Tennebaci enim, quod Ciſtercienſium Monaſterium, bihorio Emmedinga diſtans, A. 1590. die 15. Julii ad ſacra Romana ſolenni ritu & ceremonia tranſivit; inter omnes Lutheranos Principes primus, ſi audias Piſtorium. (*p*) At patruus magnus Jacobi, Philippus Bada-Badenſis, Chriſtophori filius, plures per annos Proteſtantium ſacra profeſſus, A. 1532. in terris ſuis illa rurſus ſuppreſſit, uti ſupra oſtenſum. (*q*) Philippus II. Philiberti filius, Bernhardi, Bada-Badenſium ſatoris, nepos

(*o*) PISTORIUS edidit A. 1591. *Des Colloquii zu Emmedingen Summariſcher Innhalt.* Colloquii Emmedingenſis Hiſtoriam, una cum Protocollo edidit Fechtius, Roſtochii 1694. 8vo.

(*p*) *In Oratione I. de Jacobo Marchione* pag. 19. & *Oratione II.* p. 129. THEODORUS BUSAEUS, Molsheimenſis Alſatiæ Collegii Rector, profeſſionem Marchionis recepit. Aderant Martinus, Abbas Tennebacenſis, Marcus Epiſcopus Lydæ, Suffraganeus Baſilienſis, Georgius Hænlinus, Rector Academiæ Friburgenſis. Vid. FECHTII *Hiſt. Colloq. Emmed.* Cap. XV. §. 16.

(*q*) Tom. II. pag. 333.

Digitized by Google

pos, cum perveniſſet ad regimen, eadem hæc ſacra, quæ ſub patre & avo in Marchia ſuperiore obtinuerant, A. 1571. abrogavit. (*r*)

Mutatæ a Jacobo religionis cauſſas perſcripſit Piſtorius, quæ A. 1591. adeoque poſt mortem Jacobi apud Colonienſes prodierunt. (*s*)

Tranſitus hujus occaſione ſupplicationem ad Baſilicas Romanas Sixtus V. decrevit; ipſe Cardinalium ſtipatus Collegio ad Eccleſiam S. Mariæ Teutonicoruu nudis pedibus proceſſit, magna multitudine ſacerdotum comitatus; quæ ceremonia mortem ejus promovit; paucis enim poſt diebus deceſſit. (*t*) Breve Pontificis

Tom. IV. R

(*r*) Tom. III. pag. 54.

(*s*) Extat quoque in Tabnlario Bada-Durlacenſi Scriptum ſub titulo: *Relatione fatta ſopra la converſione del Sereniſſimo Signore Marcheſe Giacomo di Badeu al Cardinale Palcotto.*

(*t*) Supplicationem hanc his verbis deſcribit Pistorius *Orat. I.* pag. 106.
„ Ibi tum Romæ, Badenſium Marchionum amplitudo & noſtri Principis
„ ſanctitas eminuit, cum Jacobi, Badenſis Marchionis nomine & geri
„ ſupplicationem & aperiri templa & incedere maximis ceremoniis
„ Pontificem, Principem religionis, Vicarium Chriſti, Caput a Chriſto
„ conſtitutum Eccleſiæ, viderent cives, cum in ipſius Pontificis, in ſacerdotum, in civium omnium ore atque commemoratione, Chriſtia-
„ nus Princeps Jacobus & ſtirps ejus Badenſis Marchionatus verſaretur,
„ cum Roma, arx omnium terrarum pulcherrima & domicilium Im-

Digitized by Google

ad Marchionem, Jacobo jam mortuo, allatum. Helvetii Cantones Romano-Catholici, a Nuntio Apoſtolico invitati, ſuam quoque lætitiam feſtivitatibus publicis teſtati ſunt.

§. X.

Reformatio.

Paulo ante mortem Jacobi prodiit ejus edictum, quo Paſtores Lutherani poſt trimeſtre ſpatium emigrare juſſi ſunt. Andreas, Cardinalis Auſtriacus, Conſtantienſis Epiſcopus, Suffraganeum ſuum miſit, Balthaſarum, Epiſcopum Aſcalonenſem, qui, Marchione graviter decumbente, Emmedingenſem & alias Marchiæ Hachbergenſis Eccleſias initiavit. Sacerdotes tamen Romanos, ne ubivis introduceret, populus, Lutheranæ religioni addi-

„ perii & gloria, nomen Badenſis Marchionatus ſic ſonaret, ut in cœlum uſque efferetur. Iſtum triumphum, qualem a multorum hominum memoria Princeps Germanus nullus deportavit, Roma abſenti Jacobo, Badenſi Principi, viginti octo annorum juveni, glorioſiſſime conſtituit & memoriam clariſſimæ familiæ, pulcherrimo teſtimonio amplificatam, inſtauravit, quam nulla unquam obſcurabit nox & nulla delebit oblivio, quouſque Urbis Romæ lux & dignitas ſtabit." Extant quoque hac de re in Tabulario Bada-Durlacenſi litteræ Georgii Friderici ad Erneſtum Fridericum, lingua latina ſcriptæ Senis d. 5. Sept. 1590. Item literæ Viti Diterici ab Eyb, Marchionis Georgii Friderici Ephori, datæ eodem die & anno. Add. Geltius Rogerius in *Vita Sixti V. Italice ſcripta*, Part. II. Lib. V. pag. 467.

Digitized by Google

ctus, & præmatura Jacobi mors impedivit. (*u*) Eo enim defuncto, reliquarum Hachbergæ Eccleſiarum conſecratio Conſtantienſi Suffraganeo interdicta; Sacerdotes Catholici, quorum unus tantum parochiam adierat, ab Erneſto Friderico Marchia abſtinere juſſi ſunt. (*x*) Paſtores Lutherani, quorum expulſionis tempus nondum advenerat, ſubſtiterunt.

Emmedingam paulo ante mortem Jacobus ex vico in oppidum provinciale convertit; Principatus ſui ibi conſtituturus ſedem, atque adeo ex montano Hachbergæ caſtro deſcenſurus in planum. Rudera & reliquiæ murorum, paſſim tum repertæ, docuerunt, locum antiquitus jam fuiſſe mœnibus cinctum. Hachbergæ Marchiones a longo jam tempore Emmedingæ domum habuere, quæ etiamnum ſubſiſtit.

§. XI.

Valetudo adverſa, qua pridem laborabat, Jacobum induxit, ut Julio menſe iter ad Carolum, Zolleræ Comitem, amicum ſuum, Sigmaringam, ſuſciperet; aquis medicatis uſurus. Tertia hebdomade rediit Emmedingam die VIII. Auguſti, ut, quæ Morbus Jacobi.

(*u*) Fechtius in *Hiſt. Colloquii Emmeding.* Cap. XVI. ubi egit de reformatione Eccleſiar. Hachberg.

(*x*) Eliſabethæ tamen viduæ poſtea ad audiendam miſſam ſacerdos conceſſus eſt.

JAC. III.

ad inaugurationis Eccleſiaſticæ feſtum neceſſaria videbantur, pararet. Die ſequenti diarrhœa violenta correptus, nono morbi die, continuis agitatus doloribus, deceſſit. Medicus, Friburgo vocatus, Mœckius & brevi poſt accedens Piſtorius, ex puſtulis nigris, quæ in corpore mortui ſe manifeſtarunt, & ex ventriculo, tribus locis perforato, venenum Jacobo datum conjectati ſunt. (y) Alii

(y) PISTORIUS in *Orat. I. de vita & morbo Jacobi* pag. 64. ait, ventriculum tribus locis, ubi venenum adhæſerat, perforatum, ad tertiam usque pelliculam, eroſis duris interioribus duabus tunicis. Addit foramen unum fabam, reliqua duo piſum æquaſſe, diuturnam diarrhœam & acrimoniam veneni ſulcos in inteſtinis duxiſſe, præſertim in inteſtino recto. PISTORIUS hunc in finem edidit A. 1590. *Wahrhafte Beſchreibung, was ſich bey Herrn Jacob Marggraffen letzter Kranckheit und Ableben verlauffen* &c. Videatur idem in orationibus de vita & morte Jacobi p. 64. & 137.

Anatomicos ſi audias, certa nulla propinati veneni, ex relatione Piſtorii cognoſcuntur indicia. Neque enim vomitum, neque conatum vomendi, neque intraneorum inflammationem, neque atrum eorundem viſcerum colorem annotavit. Venenum porro ad inteſtinum rectum pervenire non poteſt, quando vim ſuam lethiferam in ventriculo primoque inteſtino ſtatim exequitur. Piſtorius ipſe in Oratione altera de Jacobi morte, diuturna principem præcordiorum palpitatione, diuturna item diarrhœa, jam ante, quam acidulas biberet, quin & durante earundem uſu, laboraſſe profitetur. Semina itaque morbi jam antea extiterunt in ventriculo, quæ ſenſim evoluta, cauſam morti præbuiſſe videntur, ſine veneno.

Digitized by Google

frequenti nimis acidularum uſui ejus morbum adſcribunt, (*z*) quos confutat Piſtorius, qui ſpiritum efflantis excepit, tantam nocendi vim acidulis non tribui poſſe contendens. Præſentes quoque fuerant Metternichius, Bavariæ legatus, (*a*) & Carolus Zolleranus.

§. XII.

Deceſſit die 17. Auguſti A. 1590. ſtyli novi, Emmedingæ, anno XXVIII. ætatis. Mors & ſepultura.

Piſtorius (*b*) ſcribit, Jacobum ultima voluntate ordinaſſe, funus mediocri ſumtu ut efferretur & pompa, atque ut Badæ, ceremoniis Catholicis corpus humaretur. At Erneſti Friderici, fratris ſui ſenioris, juſſu Pforzhemii ſepultus eſt Jacobus, die 4. Septembris. In transactione Leonbergenſi, inter Erneſtum Fridericum Marchionem & Wilhelmum Bavarum A. 1594. inita, (*c*)

(*z*) Ernestus Schaperus, Medicus Roſtochienſium Profeſſor A. 1694. reſponſo erudito docuit, ſymptomata ſtomachi, poſt mortem Jacobi reperta, non abſolute eſſe indicia veneni. Reſponſum vide apud Fechtium *Hiſt. Colloq. Emmeding.* pag. 357.

(*a*) Metternichius, Spirenſis Eccleſiæ Canonicus, a Bavaro miſſus, ornatum, Aulicæ Jacobi Eccleſiæ inſerviturum, attulit Emmedingam. Fechtius Cap. 16. §. 6.

(*b*) *Orat. I. de Vita Jacobi*, pag. 43.

(*c*) Vide ſupra in Vita Erneſti Friderici. pag. 79.

conventum, ut monumentum, principe dignum, illi poneretur Pfortzhemii.

§. XIII.

Charaſter. Sublimioris fuit animi Princeps Jacobus, Erneſtum inter fratrem atque Georgium medius, quos dotibus & rebus geſtis fortaſſe ſuperaſſet, ſi eos ætate æquaſſet. Patiens laborum, aëris & victus moleſtias perferre aſſuetus, contra pericula animo firmus, in conſiliis prudens & exquiſiti ultra ætatem judicii, cum alacritate in exequendo conjuncti. Animus ad alta ſemper erectus; in infimos comis, magnum Principem atque bellatorem, ſi longior acceſſiſſet uſus, promittebant. Nihil tam arduum, quod non inveſtigandum putaret. Nihil tam reconditum, quod felicitate ingenii non facile aſſequeretur; ſingularis in dicendo vis & linguarum peritia. Libros latinos omnibus de rebus, ſpeciatim etiam eccleſiaſticis ſcriptos, legit frequenter. Mechanicarum artium ingens ei ſtudium. Juſtitiam ejus & moderationem in ſubditos; affectum in conjugem, indulgentiam in omnes prædicant, qui res geſtas ejus vel leviter attigerunt.

§. XIV.

Uxor & liberi. Conſilio matris, quæ eum a bello avocare voluerat, A. 1584. ad matrimonium progreſſus eſt Jacobus, ducta Eliſabetha, (*d*) Floriſii Culenbergæ Comitis & Manderſcheidiæ filia,

(*d*) Eliſabetha hac antea Jodoco, Comiti in Limburg & Bronckhorſt fuerat

Digitized by Google

quæ poſt mortem ejus Carolo, Comiti Zollerano, denique Hohenſaxio Baroni nupſit, mortua A 1620. Duos hæc filios & totidem filias peperit Jacobo.

Erneſtus Carolus A. 1588. natus & mortuus eſt Hachbergæ; infans bimeſtris.

Erneſtus Jacobus poſthumus die 22. Aug. adeoque quindecimo poſt obitum Jacobi in lucem editus Hachbergæ, ubi Eliſabetha mater poſt obitum Jacobi vixerat, ſemeſtris infans deceſſit. (e)

Anna, primogenita filia, A. 1587. Hachbergæ nata, Volrado, Waldeccio Comiti, A. 1607. nupſit Durlaci; cum anno præcedente Marchicarum terrarum ſucceſſioni, una cum ſorore Jacobæa, renunciaſſet. Dos decem millium florenorum aſſignata eſt Annæ, addita conditione, ut, ſi absque heredibus deceſſerit, ad Principem, apud Badenſes regnantem, illa pecuniæ ſumma reverteretur. Anna hæc A. 1648. deceſſit.

Jacobæa, A. 1589. Emmedingæ nata, cælebs A. 1625. apud ſororem obiit. Condidit illa Cal. Febr. 1614. teſtamentum,

promiſſa, unde Jacobo lis in Camera Imperiali exorta eſt. Gylmann. *Deciſion. Cameral.* Tom. I. pag. 697. Matrimonium Jacobi cum Eliſabetha Coloniæ A. 1584. tractatum. Pacta dotalia die 23. Sept. eodem anno ſignata ſunt.

(e) De Baptiſmate Erneſti Jacobi inter Catholicos & Proteſtantes nata eſt controverſia. Sed Erneſtus Fridericus doctorem ſuæ religionis baptiſma peragere juſſit.

Digitized by Google

quo debitam legibus portionem matri Eliſabethæ reliquit, at reliqua omnia mobilia & immobilia bona & ſpeciatim, quæ in Iuliacenſi ditione habuerat, Annæ ſorori addixit. Liberi hi ut in religione Catholica educarentur, ultima voluntate Jacobus præcepit. Erneſtus Fridericus Marchio, fratri ſuccedens, fratris præceptum & Cæſaris neglexit, atque Proteſtantium doctrina pupillas ſuas imbui juſſit. (*f*)

(*f*) Vide Vitam Erneſti Friderici. pag. 78.

Digitized by Google

CAPUT V.

GEORGIUS FRIDERICUS.

A. 1595. ---- 1622.

§. I.

Tumultuoſum & ſtrepitans Erneſti Friderici regimen ſtrepitantius inſecutum eſt Georgii Friderici, qui omnes utriusque lineæ Badenſis ditiones octodecim per annos ſolus poſſedit, ſi Spanheimenſes & Rodemacheranas excipias, quæ in Eduardinorum poteſtate permanſerant. Nec ante, nec poſt eum, ullus unquam Marchio Badenſis ditior aut potentior fuit. Tam numeroſum exercitum aluerat nullus. At viribus ſuis nimium confiſus, altiora molitus eſt; tentans fortunam; quam ob id ipſum ſemper habuit adverſam. Vita ejus malorum eſt Ilias; ſpeculum Principis, raro fortunati; qui in illa ſane incidit tempora, quibus nulli fere Germaniæ Principum licebat eſſe Introitus.

Digitized by Google

Georg. Frider.

felici. Politicæ rationes eum induxerant, ut ſedecim annis ante mortem, virens & vegetus deponeret regimen; non filium ex ſe natum, ex ſe quoque ut regnantem aſpiceret, ſed ne Phaëthontis inſtar nimis ardua petens, caſu ſuo Marchiam & numeroſam ſecum everteret prolem. Unde in exponendo vitæ ejus decurſu conſtituendæ ſunt epochæ duæ. Prior, qua rexit; poſterior, qua vixit privatus. Epochas has una pugna diviſit; quæ Principem inter potentem intercesſit & exulem.

§. II.

Hujus Principis initia.

Natus A. 1573. die 30. Januarii ſub communi cum fratribus, poſt patris exceſſum, vixit tutela, ad annum usque 1584. quo fratres ſeniores, a tutoribus liberi, tutores ejus ſunt facti. Puer debilis corpore, morbis obnoxius, brevem vitam promiſit; impar certe viſus laboribus, quos in omni poſtea genere immenſos ſuſtinuit; veneficiis quoque, ſed fruſtra, petitus. (*a*)

Argentorati literis operam dedit A. 1585. Friderico de Watzdorf ephoro uſus. Poſt triennium Veſontionem ſe contulit; cujus urbis Senatus ei & itineris ſociis exercitium religionis ſuæ denegavit in urbe, niſi juſſerit Cæſar. Relicta Veſontione, Dolam conceſſit; ubi ſimile expertus eſt fatum. Erneſtus Fridericus, ſenior fratrum, a Cæſare (*b*) petiit, ut Georgio Friderico

(*a*) Junglerus coætaneus ſcriptor in *Vita Georgii Friderici*, quem vidit.

(*b*) Die 3. Jan. 1589.

Veſontione per aliquod tempus degere liceret. Conſenſit Imperator, ſed hic, mutata ſententia, aliquamdiu Baſileæ verſatus, decimo ſeptimo ætatis anno in Italiam, literarum præſertim cauſa iter ſuſcepit. In celebri Senenſium, veteris Hetruriæ Academia vixerat A. 1590. cum frater Jacobus ſacra mutaſſet. Literæ Senis ad Erneſtum Fridericum, die 5. Sept. latino ſermone, haud ineleganti, hac ſuper re ſcriptæ, hodieque ſuperſunt. (*c*)

§. III.

Regimen adit.

In fraterna diviſione terrarum (*d*) A. 1584. Sauſenbergicæ, Rœtelanæ & Badevillanæ ditiones Georgio Friderico obvenerunt; quibus ex pacto cum Erneſto Friderico Marchia Hachbergenſis A. 1595. acceſſit, ex hereditate Jacobi.

Tempus hoc eſt, quo terrarum ſuarum ipſe regimen adiit; Imperii feudis a Rudolfo II. die XII. Dec. Pragæ acceptis. Quadriennio poſt Jacobus Chriſtophorus, Baſilienſium Epiſcopus Briſgovica ei quoque contulit feuda. Eadem ceremonia A. 1614. a Guilielmo, Epiſcopo ſucceſſore, repetita.

Bello inter Epiſcopos Argentinenſes, in ſchiſmate electos, durante, Gallicæ in Alſatiam copiæ A. 1597. appulerunt. Geor-

(*c*) Vide ſupra in *Vita Jacobi* pag. 128. ſeqq.

(*d*) Lege ſupra pag. 171. ſeq.

Digitized by Google

Georg. Frider.

gius Fridericus, deſtinationis earum ignarus, evocatis vaſallis, terrarum Marchicarum defenſioni caute & diligenter proſpexit.

§. IV.

Bellum Turcicum.

Fervidum illo tempore Cæſari bellum erat cum Turcis, qui præcipuam Hungariæ partem, ipſamque Budam in poteſtatem redegerant. Vizirius Turcarum, Ibrahimus A. 1600. reliquam Cæſari erepturus Hungariam, omiſſo Strigonio, quod oppugnare voluerat, cum ingentibus copiis obſedit Caniſam, munitiſſimum Palatinatus Zaladienſis in Hungaria Inferiore oppidum, quo occupato, Stiriam omnem & Auſtriam cum Illyrico, Turcarum Imperio ſe adjecturum ſperaverat. Urbi laboranti in auxilium venit exercitus Hungaricus, Duce Philippo Emanuele, Lotharingo ex Mercorio ramo; cui Georgius Fridericus noſter cum copiis ſe junxerat; ſuis militans ſumptibus; quo zelo Cæſaris Rudolphi ſibi conciliavit favorem; qui jam ante non ſemel Pragæ ſermonibus ejus delectatus, magni juvenem amaverat Marchionem. *(e)* Velitationibus res ab initio bene geſta, ſed deficiente annona, Caniſa Turcis dedita, *(f)*. quam Ferdinandus Archidux

(e) Junglerus in *Vita Georgii Friderici.*

(f) Nicolaus Isthuanffius interfuit bello. Vide *Hiſtoriarum ejus* Lib. XXXII. pag. 468. ſeq. Diarium expeditionis Chriſtiani exercitus ad Caniſam, a Secretario Ducis Mercuriani conſcriptum, apud Bongarsium in *Syndromo Rerum Turcico-Pannonicarum* pag. 326. occurrit.

anno ſequente, Pontificis & Hiſpanorum copiis auctus, recipere, irrito ſed conatu, tentavit. Poſteriori huic expeditioni num interfuerit Marchio, nobis non liquet.

§. V.

Vici Balrechten & Tottingen.

Circa hæc tempora duos ille Briſgoviæ vicos, Balrechtam & Tottingam (g) Marchiæ Hachbergæ conjunxit. Vici hi, Stauffenſium Dynaſtarum patrimonium vetus, a Familia aliquamdiu avulſi, ſed a Wigeris poſſeſſoribus pro trecentis quinquaginta florenis, Jacobo Trutperto & Martino, fratribus, Dynaſtis in Stauffen, A. 1457. rurſus venditi, ad Stauffenſia bona redierunt. Trutpertus apud Jacobum & Carolum I. Marchiones, patrem & filium, ſingulari gratia florens, Carolo, cujus Aulæ præfectus fuit, vicos hos A. 1458. in feudum maſculinum obtulit; fratrum conſenſu. Georgius Leo, Stauffenſium Dynaſtarum poſtremus, A. 1602. ſine prole deceſſit. Georgius Fridericus noſter vicos hos cum Marchia Hachbergæ eodem anno die 16. Aprilis conjunxit; religionis libertate incolis relicta; qui ad hoc usque tempus ſacra Romana libere & ſecure exercent; poſt mutata a Carolo II. ſacra Marchicis terris adjecti.

Conferatur quoque Ortelius Redivivus Meyeri p. 280. Ens in *Hungariæ Hiſtoria* Lib. VIII. pag. 404. Thuanus *Hiſtoriar.* Lib. CXXIV. §. 11.

(g) In Charta Inveſtituræ vocatur Tœttickeim.

GEORG. FRIDER.

§. VI.

Erneſto Frid. ſuccedit.

Inopinata Erneſti Friderici, ſine prole decedentis, morte, inferior Marchia Badenſis una cum ſuperiore A. 1604. ad Georgium Fridericum pervenit, qui hereditate hac omnes Bada-Badenſes & Bada-Durlacenſes terras ſolus poſſedit. Mors fratrum ſeniorum in relictis eorum terris religionis motus concitavit. Mortuo Jacobo, Erneſtus Fridericus, ſucceſſor, paſtores Romanos expulerat Marchia Hachbergæ. (*h*) Mortuo Erneſto, Georgius Fridericus Calvinianos ex Marchia inferiore ejecit, ſacra Lutherana in illis quoque partibus, Durlaci præſertim, reducens. Eodem anno transactioni, componendis Epiſcopatus Argentinenſis tumultibus in urbe Hagenoa initæ, ſubſcripſit. Quin & pactionem de permutandis Altenſteigæ & Liebenzellæ præfecturis inter Erneſtum Fridericum & Wirtenbergæ Ducem anno ſuperiore initam, confirmavit. (*i*)

Inveſtituram terrarum, quas fratri ſuccedens nuper acceperat, a Rudolfo II. Imp. per legatum (*k*) A. 1605. cum peteret

(*h*) Vide ſupra in *Vita Jacobi*.

(*i*) Georgius Fridericus enim ab initio permutationi interceſſerat. Tom. III. pag. 113.

(*k*) Joſephus Hettlerus, Cancellarius, a Marchione Pragam miſſus, Pragæ d. 17. Martii vita functus eſt. Gœlerus Ravenſpurgicus, Præfectus Durlacenſis, ei in legatione ſucceſſit.

Georg. Frider.

Pragæ, Marchiæ Bada-Badenſis inveſtituram quoque a Cæſare petiit; Eduardi Fortunati filios, ob natalium defectus, ab omni terrarum ſucceſſione excludi contendens. Ab altera parte Eduardi Fortunati vidua, & filiorum tutores, de retenta per Georgium Fridericum Marchia ſua apud Cæſarem conqueſti, petierunt, ut Eduardina proles patri in dignitatibus & terris ſuccederet. Cæſar die 26. Febr. A. 1605. Pragæ decrevit, ut Marchiæ utriusque inveſtitura Georgio Friderico concederetur, reſervata tamen actione pupillis. Eidem decreto inſertum, ut Georgius Fridericus, de ſuperiore Marchia impetitus, ſe ſiſtat judicio, in cauſam deſcendat, &, injuncta ſi fuerit reſtitutio, pareat. Eduardi Fortunati viduam & liberos in poſſeſſione eorum, quæ tenent, ne turbet. Tributa reſidua confeſtim; debita ſuperiori Marchiæ inhærentia, pedetentim perſolvat. In ſacris nihil immutet, Catholicam religionem priſtino in ſtatu relinquat. Maximiliano Archiduci, Cæſaris fratri, cura hujus cauſſæ commiſſa. (l) Inveſtitura die IV. April. Georgio Friderico abſenti collata.

§. VII.

Sed & alio ejusdem anni (A. 1605.) decreto Palatinus Elector, Badenſes utriusque Comitatus Spanheimenſis partes Comitatus Spanheim.

(l) Decretum hoc extat in Scripto, tempore Pacis Weſtphalicæ impreſſo, ſub rubro: „ *Information wegen der in der bekandten Oberbadiſchen Sachen* „ *vermeindlich vorgeſchützten beyden Exceptionum* &c. pag. 23.

GEORG. FRIDER.

Georgio Friderico reſtituere juſſus in ulterioris Comitatus communionem illum ſtatim admiſit; Præfectura Caſtellaunenſi excepta, quam Eduardini alimentorum nomine retinuerunt. Citerioris vero Comitatus pars Badenſis, ob reſiduos cenſus & debita, in Electoris poteſtate permanſit usque ad A. 1622. quo Wilhelmus Marchio omnes Spanhemii partes Badenſes, cum reliquis Marchiæ ſuperioris ditionibus recepit. (*m*)

Varia.

Nec prætereundum ſilentio, quod Cancellarium Badenſem, inveſtituræ cauſſa Pragæ hærentem, monuerit Cæſar, (*n*) ne tradendis Jacobi mortui filiabus, moram injiceret Marchio, ſed poteſtati legatorum, quos propediem Cæſar miſſurus ſit, traderet puellas. Traditio tamen locum non habuit, quod Principes, doctrina Proteſtantium a teneris imbutæ, & abdicata tutela ſui juris factæ, Georgii Friderici aulam relinquere noluerunt. (*o*)

Philippus, Eduardi Fortunati frater, de Marchia ſuperiore, Georgio Friderico eripienda, tum temporis iniverat conſilium. Res detecta. Philippus in Hachbergæ Caſtro arctiori mandatus cuſtodiæ, poſt XV. annos captivus deceſſit. (*p*)

(*m*) Vide Tom. III. pag. 86.

(*n*) Decretum die 26. Febr. ſcriptum.

(*o*) A. 1604. die 10. Auguſt. Maximiliano Bavaro, puellas has Principes tradi poſtulanti, Georgius Fridericus eodem modo reſpondit.

(*p*) Adi Tom. III. pag. 50.

Digitized by Google

§. VIII.

Cauſa Donaverd.

Apud Badenſes hæc dum geruntur, aucta eſt in interiore Germania Catholicos inter & Proteſtantes ſimultas. Diuturnis Proteſtantium de Camera Imperii, de Judicio Aulico, aliisque de religione querelis Donaverdenſis cauſſa A. 1606. acceſſit. Liberam hanc Imperii Civitatem, in Circulo Suevico ſitam, quæ jam ante Pacem Auguſtanam Confeſſioni Auguſtanæ adhæſerat, Rudolfus II. Imperator, ob turbata Catholicorum ſacra, proſcripſit, læſæ pacis publicæ crimen illi impingens. Cæſarem durius in Donaverdenſes egiſſe, a Proteſtantibus creditum eſt. Querimonia hæc & ejusdem generis aliæ Electorem Palatinum, Neoburgi & Wirtenbergæ Duces, Onolsbacenſem & Georgium Fridericum noſtrum, Marchiones, induxerant, ut menſe Majo A. 1607. arctiori ſe adſtringerent fœderi & de milite conſcribendo certas inter ſe leges inirent. (*q*) Iidem Principes, cum nonnullis Imperii Civitatibus, pro Donawerdenſi apud Cæſarem interceſſerunt. Cognitionem hujus rei ad ſe ſolum atque ad Judicium Aulicum pertinere Cæſar reſpondit. (*r*) Bavariæ Duci, invitis Imperii legibus, delata eſt executio pœnæ. Bavarus ſine anni juſto exercitu urbem obſedit, occupavit. Wirtenbergicus, Circuli Suevi-

(*q*) Lingelshemius in Epiſtola 75. *ad Bongarſium.*
(*r*) Idem *Epiſt.* 80.

ci Dux, cui ſecundum Germaniæ leges, demandanda fuiſſet executio, læſum ſe queſtus, Evangelicos Sueviæ Ordines ad Conventum Ulmam evocavit, cui non interfuit Georgius Fridericus noſter; de jure, Evangelicos Status in Circulo convocandi, cum Wirtenbergico contendens. (*s t*)

§. IX.

Comitia Ratisbon. A. 1608.

In Conventu hoc res ad proxima remittebatur Comitia, quæ A. 1608. Ratisbonæ magnos inter motus celebrata fuerunt. In illis Ferdinandus Archidux Cæſaris vices peregit. Proteſtantes aperte profeſſi ſunt, niſi propoſita aboleantur gravamina & Donaverda Civitas priſtino ſtatui reſtituatur, nulla ſe Cæſari ad Turcicum bellum ſuppeditaturos ſubſidia.

Ad Comitia hæc Georgius Fridericus miſerat legatos; quibus, Marchiæ ſuperioris intuitu, mota eſt controverſia de loco.

(*st*) LINGELSHEMIUS *Epiſt.* 81. d. 12. Dec. ita ſcribit: „ Nos anxios habet „ Bavarica expeditio: nam conſtat nobis, Monachii delectum habitum „ & recenſitos ſepties mille equites, ſedecim mille peditum. Hic ap„ paratus nimius ad domandum oppidulum Donawerdam, & cives illi „ ad omnia ſubeunda parati tamen, neque illis unquam ſpes auxilii. „ Nam quod Würtenbergicus 6. Dec. Conventus habuit Ulmæ Circuli, „ ad quos evocavit Evangelicos tantum, atqne adeo Badenſis ſuos „ non miſit, neſcio quæ prætexens, inde ego nihil ſolidi ſperare poſ„ ſum. „

Eduardini tutores, ad Comitia vocati, ſibi locum vindicabant. Georg. Frider.
Cæſar Kal. Febr. pro Georgio Friderico tandem pronuntiavit; addita nihilominus cautione, pupillorum juribus ne fraudi id eſſet. (u) Addiderunt Cæſarei, cauſſam eorum in Aulico mox decidendam Judicio. (x)

§. X.

Proteſtantes hæc permoverant, ut non expectato Comitiorum exitu, Ratisbona diſcederent, habitoque Aſchuſii apud Francos, Majo menſe, Conventu, novum pro tuenda religione ſua conderent fœdus, (y) quod, inſequente Auguſto menſe, Rotenburgi in alio Fœderatorum Conventu firmatum, in quo fœderis præſes deſignatus eſt Palatinus Elector. Diſtributæ inter ſocios curæ; imperata pecunia; omnia præparata ad bellum. Præter Chriſtianum Anhaltinum, qui Electoris Palatini vices gerebat, Joachimus quoque Erneſtus, Brandeburgicus Marchio, Wolfgangus Wilhelmus, Neoburgi Dux & Wirtenbergæ Ducis aderant legati. Conventus Unitorum.

(u) Jam ante Marchio in Circuli Suevici Conventibus intuitu Marchiæ ſuperioris obtinuerat locum.

(x) Londorp. *Acta publ.* Tom. I. pag. 57.

(y) Carafa *Germaniæ Sacræ reſtauratæ* p. 40. ſq.

§. XI.

Conſilia de Marchia ſuper.

Tractata tum quoque Cauſa Badenſis. Eduardinorum tutores litem ad Aulicum detulerant Imperii Senatum; quem Marchio declinans, apud ſocios quæſivit auxilium; rationes exponens ſcripto, ob quas Eduardinis dignitatem & jura Marchionum Badenſium ſucceſſionemque in Marchiam ſuperiorem recuſavit; Principum Imperii dignitati, Germaniæ moribus, ac familiæ Badenſis ſtatutis contrariari contendens, ut liberi, ex matrimonio tam inæquali prodeuntes, ſuccedant. Marchiam ſuperiorem ære alieno tantopere gravatam, ut ne uſuris quidem exſolvendis ſufficiant reditus. Diſpiciant ſocii, quid in re tam ſeria, tamque difficili, ad omnes Principes pertinente, agendum. Animum ſuum ſe inducere non poſſe, ut Conſilii Aulici ſe judicio ſubmittat, quod multis modis ipſi ſuſpectum. Petiturum ſe a Cæſare, ut ille adhibitis, more majorum, Principibus, pari ex utraque religione numero, hac de cauſa cognoſcat. Principes, his rebus intellectis, de eximio ſuo in Marchionem ſtudio plura teſtati ſunt. Ne autem in re tanti momenti præcipitanter conſulerent, alio tempore uberius eam ſe tractaturos polliciti ſunt.

§. XII.

Res acta colloquiis.

Diſſoluto Rothenburgenſi Conventu res aliquamdiu quievit. Carolus Orſcelarius, qui ſub Eduardo Fortunato fuerat Pa-

Digitized by Google

genſis Præfectus, Georgium Fridericum Marchionem ad Colloquium invitavit. (z) Convenerunt delecti utrimque Spiræ primum A. 1608. menſe Decembri, (a) dein Wormatiæ, menſe Martio A. 1609. At Orſcelarius & Joachimus Barbaroſſa, qui ab Eduardi filiorum tutoribus, Alberto Auſtriaco & Salentino, Iſenburgi Comite, mandata acceperant, nullas Durlacenſium conditiones admittere voluerunt, niſi antea Eduardinos liberos ſanguinis Badenſis agnoſcerent Marchiones. Durlacenſes quum id conſtanter negaſſent, dilato in aliud tempus negotio, legati domum redierunt.

(z) Amica rei compoſitio ab Erneſti Friderici morte fuerat tentata. Salentinus, Iſenburgi Comes, unus ex tutoribus liberorum Eduardi, A. 1604. menſe Octobri, Wormatiæ inſtituit Conventum, ad quem Caſtellaunenſes quondam Eduardi Fortunati Conſiliarii quum veniſſent, Badenſes, cum Caſtellaunenſibus tractare nolentes, re infecta diſceſſerunt. Philippus Ludovicus, Neoburgicus, controverſiæ dein componendæ intentus, re cum Alberto Auſtriaco & Maximiliano Bavaro communicata, A. 1607. die 11. Junii in Monaſterio Mœdingen cum Marchione habuit colloquium, quod, ut & legatio ejuſdem Principis, ad Aulam Badenſem anno ſequente miſſa, caruit effectu.

(a) Spiræ propoſuerat Orſcelarius, ut terrarum Bada-Badenſium adminiſtratio ad tempus Georgio Friderico certis conditionibus permitteretur.

§. XIII.

Res acta literis.

Nuntios ergo ad Albertum Auſtriacum in Belgium miſit Georgius Fridericus, qui impugnatæ pupillorum dignitatis rationes ei denuo exponerent. Quin & litteris ad eundem Albertum & Salentinum Iſenburgicum, die 18. Martii ejusdem anni datis, Eduardi matrimonium ac filiorum ejus ſtatum denuo impugnavit. Tutores reciprocis litteris, die octavo ejusdem anni, Durlacenſium argumenta convellere ſtuduerunt; addentes, Eduardum graves ob cauſſas matrimonium occuluiſſe ad tempus. Impetrato autem Bavariæ Ducis conſenſu, publice illud declaraſſe, ſolenni actu, Badæ in Palatio ſuo, miſſisque hinc indè literis atque legatis, Andreæ Cardinali Auſtriaco, Regi Poloniæ, Carolo, Sudermanniæ Duci aliisque agnatis, Catholicæ religioni addictis, per Bornium & Piſtorium ſignificaſſe. Convenientius quidem eſſe familiarum ſplendori, ſi Principes ejusdem ordinis matrimonio ſibi jungant uxores. Nihilominus & cum inferioris dignitatis fœminis connubii jus ipſis competere, neque filios, ex ejusmodi conjunctione procreatos, ulla lege aut conſuetudine a dignitate paterna & feudorum ſucceſſione arceri. Hortantur denique Marchionem, mitiora ut admittat conſilia, atque ad proximum Wormatienſem Conventum ejusmodi mandatis inſtruat Conſiliarios, ut amica tandem compoſitione controverſia ſopiatur.

Digitized by Google

§. XIV.

Hæc dum aguntur, Evangelici Principes & inter eos Georgius Fridericus noſter ad arctius fœdus, Unionem quod vocarunt, ineundum, A. 1609. menſe Majo convenerunt Halæ Suevorum; ut de tuenda civili & eccleſiaſtica libertate ſua inter ſe agerent. Ex Conventu hoc Chriſtianus Anhaltinus miſſus eſt Pragam, ut ſociorum querelas exponeret Cæſari, atque inter alia peteret, Donaverdæ Civitas in priſtinum ſtatum ut reſtitueretur; utque ſententiæ Senatus Aulici, atque mandata, Imperii legibus & Ordinum dignitati adverſa, revocarentur; neve literis Inveſtituræ Principum novæ in poſterum adderentur conditiones; eæ autem, quæ feudalibus Georgii Friderici Marchionis literis adjectæ, abolerentur. Aliam denique Aulici Senatus Cæſarei inſtituendam eſſe formam. Præſides & Aſſeſſores utriusque religionis numero pares eſſe eligendos. (*b*) Cæſar, altioris indaginis hæc eſſe profeſſus, operam ſe daturum promiſit, ut, quantum ejus fieri poſſit, Principum voluntati deferatur. Donaverdam intra quadrimeſtre tempus reſtituendam declaravit. (*c*) Conventus Halenſis A. 1609.

§. XV.

In eodem Halenſi Conventu Marchio res ſuas iterum ſcripto expoſuit die 12. Maji. Fœderati ad omnes Principes eas per- In eo tractatur cauſa Badenſis.

(*b*) Londorp. Tom. I. pag. 57.

(*c*) Idem pag. 81. ſeq.

GEORG. FRIDER.

tinere arbitrati, ſuaſerunt Marchioni, ut ceteros Electores & Principes Auguſtanæ Confeſſionis de illis reddat certiores, quo conjunctim ejus cauſam tueantur Cæſarique denuncient, Eduardi filios, ſi ad Marchionatum admittantur, nec agnituros ſe pro Principibus, nec in Comitiis aliisque Imperii Conventibus deliberaturos cum illis. Ceterum Marchio tractatus, quos cum Orſcelario inceperat, continuet; atque vel magna pecuniæ ſumma, vel bonis in Luxenburgi Ducatu, aut alibi Eduardinæ familiæ aſſignandis, rem, ſi fieri id poſſit, componat. Quodſi autem pactio non habuerit locum, id agat inprimis, ut Principes ſuum denuo interponant officium. Electorem certe Palatinum libenter id in ſe munus ſuſcepturum & fœderatos quoque non defuturos eſſe cauſſæ. Nec dubitare ſe, quin Cæſar, rationibus ejus ductus, judicio Principum daturus ſit locum, præſertim cum inter gravamina, Cæſari exhibenda, fœderati eandem cauſſam ſtrenue acturi ſint. Quod ſi denique, repudiatis conditionibus æquis, nec fœderatorum monita audiverit Cæſar, nec recuſatæ Conſilii Aulici juriſdictionis, rationem habuerit, ſe non admiſſuros, ut injuſta ſententia vis ei inferatur, ſed amico ſocio omnem opem laturos; cum nec publica cauſſa permittat, ut Marchia ſuperior in aliorum perveniat manus.

§. XVI.

Georg. Frider.

§. XVI.

Poſt hæc Georgius Fridericus ad Albertum Auſtriacum literas ſcripſit die 2. Julii 1609. quibus ſingula Eduardinorum argumenta denuo convellit, cordate teſtatus, ſe non calumniandi aut protelandæ litis cauſſa, tam copioſe Alberto ſcripſiſſe, ſed ut animum ejus ad juſtitiam flecteret. Amicam pactionem tamen ſe non recuſare, talem nimirum, quæ cum dedecore gentis ſuæ non ſit conjuncta.

Amica compoſitio tentatur.

Literæ hæ Alberto traditæ ſunt, poſtquam legati ejus jam Wormatiam profecti; ubi novus Auguſto ejusdem anni menſe, inſtitutus Conventus. Eduardinis Comitum & Dynaſtarum axioma, a Luxenburgicis, quas tenuerant, Badenſium ditionibus Marchici obtulerunt legati. Annuam trium millium florenorum penſionem viduæ Eduardi & Chriſtophoro Guſtavo matrique ejus Cæciliæ annuum quoque promiſerunt ſtipendium. Eduardinorum tutores vero Marchiæ ſuperioris poſſeſſionem his conditionibus Durlacenſi obtulerunt, ut diſſoluto ære alieno & Catholica religione conſervata, reliquos Comitatus & Dynaſtias, ad Marchiam ſuperiorem ſpectantes, pupillis permitteret, ipſamque hanc Marchiam, ſoluto ære alieno, iisdem reſtitueret. Sed aſpernati oblata Durlacenſes legati, re iterum infecta, diſceſſerunt Wormatia; de novo tamen Conventu, die St. Galli habendo, inter ſe convenientes.

§. XVII.

Literæ Princip. Evangel.

Eodem tempore die 25. Aug. Evangelici Principes alias litteras ad Albertum dederunt, quibus eum hortati ſunt, ne amicæ conciliationi injiciat moram, ſed in proximo Conventu æquioribus conditionibus præbeat locum; ſe, cauſſa accurate cognita, Eduardi filios nunquam pro Agnatis, nec pro Marchionibus habituros eſſe, neque commiſſuros, ut Georgius Fridericus ſibi aliisque Principibus malo præeat exemplo. Eduardinos, Comitum atque Dynaſtarum titulo, ipſis oblato, contentos eſſe debere; nullum judicem æquum Marchioni duriores facile conditiones impoſiturum; nec vitio verti poſſe Marchioni, ſi coram Conſilio Aulico, quod inſigni partium ſtudio laboret, in cauſſam deſcendere noluerit, id quod nupera jam legatione Electores, Principes Civitatesque Imperii ſignificaverint Cæſari.

§. XVIII.

Reſponſio Alberti Auſtr.

Albertus in ſua ad fœderatos reſponſione, Electori Palatino miſſa, die 19. Nov. de injuria, pupillis facta, multum conqueſtus eſt, mirari ſe aſſerens, fœderatos tam acerbe perſtringere pupillos, quos tamen Rudolfus Imp. agnoverit Principes, miſſoque A. 1603. ad Electorem Palatinum mandato, ad anterioris Comitatus Spanheimenſis communionem juſſerit admitti: nullis eos laborare defectibus, quibus a conditione Principum & feudorum ſucceſſione arceantur; cum & in aliis Principum familiis & præſertim in

Digitized by Google

Georg. Fridkr.

ipſa Georgii Friderici linea idem caſus extiterit. Titulum Comitum & Dynaſtarum, a Luxenburgicis Badenſium terris petitum, huc non pertinere, quod ex diviſione inter Eduardum Fortunatum & fratres inſtituta, fratribus hæ terræ obtigerint, de quibus neque Eduardi Fortunati filii, multo minus Durlacenſis, diſponere poſſit; qui ſi in proximo Conventu, cui tertium Decembris diem definivit, non propoſuerit æquiora, conſtituiſſe ſe viam juris experiri; neque ſe videre, qua ratione Principes fœderati auctores eſſe potuerint Marchioni, ne apud Aulam Cæſaream litem aſſumeret, quum his de cauſſis cognoſcendi poteſtas ſoli Cæſari competat, & ipſe Marchio ejus tribunal jam agnoverit literis, quibus ſententiæ, a Cæſare ferendæ, ſe pariturum profeſſus eſt.

§. XIX.

Replica Marchionis.

Ab his omnibus ut ſeſe purgaret Marchio, Electori Palatino & fœderatis ſcripſit epiſtolam die 25. Nov. in qua contendit, decretum Cæſareum anni 1603. alio decreto, A. 1605. ad Electorem Palatinum dato, everti, quo Cæſar Rudolphus, cognita rei veritate, pupillis adeo non tribuerit Principum axioma, ut ad probationem eos potius adſtrinxerit; Electori injungens, ut ad communionem Spanheimenſis Comitatus Durlacenſem admitteret. Comitatus & Dynaſtias Badenſes in Luxenburgico Ducatu ad ſe, proximum heredem feudalem, pertinere, cum Eduardi Fortunati fratres animo corporeque defecerint, atque adeo, vir-

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

tute Badenſium Statutorum, jure ſuo in has terras exciderint: unde ſe earum titulum & jura obtuliſſe pupillis, ut rem omnem ad concordiam revocaret; neque ſe de Alberti Auſtriaci, domini directi, pupillorumque patroni, conſenſu dubitaſſe; in proximo quoque Wormatienſi Conventu libenter ſe conſenſurum in ea, quæ absque dignitatis ſuæ aliorumque Principum detrimento concedere poſſit; neque Cæſarem a ſe rejici judicem, ſi cum legibus & inſtitutis Germaniæ Judicium conveniat. Juſtiſſimas Conſilii Aulici recuſandi ſibi competere rationes, quas fœderati nupera legatione Cæſari exhibuerint; ſperare ſe, nullam ſibi vim illaturum eſſe Cæſarem injuſta ſententia. Quod ſi res ſecus ceciderit, ad omnes ſe eventus paratum, neque tamen ſuis, ſed ſociorum ſeſe viribus confidere.

Tertius, Wormatienſis Conventus ab Alberto Archiduce definitus, num habitus fuerit, ex Actis non conſtat. Sed & ille, ſi habitus, caruit ſucceſſu. (*d*) Summa hæc rerum Badenſium

(*d*) Similem eventum habuit alius Wormatienſis Conventus, A. 1611. menſe Majo habitus, in quo Orſcelarius & Barbaroſſa, Eduardini, Marchiam ſuperiorem una cum Dynaſtiis Lahræ, Malbergæ & Grævenſteinii obtulerant Marchioni, ita quidem, ut Luxenburgenſes & Spanheimenſes ditiones, ab omni onere liberas traderet pupillis, ære alieno in ſe ſuſcepto certisque penſionibus Eduardi viduæ, matri, fratribus liberisque aſſignatis. Religio quoque Catholica in priſtino ſtatu conſervetur. Sed conditiones has Georgius Fridericus rejecit.

GEORG. FRIDER.

A. 1609. quæ promovendæ, firmandæ Evangelicorum Unioni non parum contulerunt.

§. XX.

Unio perfecta.

Evenit eodem anno Jo. Wilhelmi, Juliaci, Cliviæ, Montiumque Ducis obitus, qui poſtremus ſuæ gentis deceſſit; unde de ſucceſſione controverſia gravis; vehementior Badenſi. Leopoldus, Archidux Auſtriæ, Argentinenſis & Paſſavienſis Epiſcopus, a Rudolfo II. miſſus, clandeſtino itinere venit Juliacum, nomineque Cæſaris urbem occupavit. Adminiſtrationem ditionum ei deſtinaverat Cæſar, donec ipſe, feudi dominus, litem terminaſſet. Vicini ac remoti Principes timebant, ne augendæ Auſtriacæ Domus potentiæ hæc inſerviret occaſio, (*e*) quæ impulit Principes Unionis, ut arctum illud fœdus, quod jam ante biennium Aſchuſii apud Francos iniverant, Halæ Suevorum, die tertio Februarii A. 1610. inter ſe renovarent atque arctius redderent. (*f*) Georgius Fridericus Conventui interfuit; fœderis ſtrenuus promotor. Boiſſiſius, ab Henrico IV. Galliæ Rege, ad Conventum hunc miſſus fuit legatus, (*g*) qui Fœderatos invitavit, ut

(*e*) *Memoires de Louiſe Juliane* pag. 79. 80.

(*f*) Inſtrum. fœderis extat in DU MONT. *Corps Dipl.* Tom. V. P. II. p. 127. Add. SLEIDANUS REDIVIVUS, qui idiomate Germanico prodiit Francof. ad Mœn. 1616. pag. 271. ſeq.

(*g*) *Jean de Thumery Seigneur de Boiſſiſe.*

GEORG. FRIDER.

Juliacenſem cauſſam communi ſecum agitarent conſilio. Percuſſum eſt cum Rege fœdus. (*h*) Placuit, ut Electori Brandeburgico & Neoburgi Duci contra Cæſarem feratur auxilium. Fœderi Halenſi accedere noluerat Saxo, quod de Juliacenſi ſucceſſione cum Brandeburgico Neoburgicoque diſſideret, Cæſaremque reddere ſibi ſtuduerat faventem. Marchio noſter ex Halenſi Conventu in Saxoniam iter ſuſcepit, ut Electorem ad fœdus protraheret. (*i*) Sed hic, pacis ſtudium cauſatus, aſpera improbavit remedia, quo reſponſo etiam Marchionem Onolsbacenſem, ad fœdus eum invitantem, nuper dimiſerat. (*k*)

§. XXI.

Turbæ Alſaticæ.

Apud Germanos omnia ad bellum erant inteſtinum parata. Catholici fœderibus & ſibi proſpexerant Herbipoli, (*l*) ubi incunabula Ligæ. Leopoldus Archidux, Franciſco Criechingio duce, militem in Alſatia colligebat, qui Oberkirchenſem Epiſcopatus Argentinenſis Præfecturam, Wirtenbergæ Duci oppigneratam, & Marchiam ſuperiorem, a Durlacenſi occupatam, utrique repturus videbatur. Hi, ut & Palatinus Elector, finito Halenſi

(*h*) Extat in DU MONT l. c. pag. 135.

(*i*) Vide LINGELSHEMIUS *Epiſt.* 105. ad Jacobum Bongarſium.

(*k*) Vide ibid. *Epiſt.* 106.

(*l*) MEYERI *Londorpius contin.* Tom. I. pag. 607. CARAFA in *Commentario de Germania ſacra reſtaurata* pag. 41.

Conventu, die X. Martii copias in Alſatiam miſerunt, quæ, Duce Solmenſi Comite, Wanzenaviam, Epiſcopi Argentinenſis dominium, ingreſſæ, indeque Dachſteinium atque Molshemium progreſſæ ſunt. Criechingius, ſibi metuens, quod ſuperiores eſſent viribus ſocii, inita cum Solmenſi pactione, intra quatuordecim dies militem ſe abducturum promiſit. (*m*) Solmenſis vix tranſierat Rhenum, (*n*) quum Criechingianæ copiæ, e ſuis latebris progreſſæ, per finitimos agros late prædas agentes, tributa imperarent, & variis carminibus Palatino atque Badenſi illuderent.

§. XXII.

Indigna Principibus fœderatis res viſa. Marchio noſter, e Saxonia redux, Joachimus Erneſtus Onolsbaci Marchio, Julius Fridericus Wirtenbergæ, Fridericus Caſimirus, Biponti Dux, duo Comites Solmenſes, totidemque Comites Rheni (*o*) aliique Halenſis fœderis ſocii, cum triginta ſignis peditum & viginti equitum vexillis Rheno die 29. Maji trajecto, Dachſteinium oppidum,

Expeditio Marchionis.

(*m*) *Relatio hiſtorica wie der Krieg im Biſtumb Straſsburg ſich erhaben und angefangen &c.* impreſſa Argent. 1610. pag. 5.

(*n*) Rediit d. 29. Mart.

(*o*) Fœderatis, in Alſatia hærentibus, Erneſtus Mansſeldius ſe adjunxit cum copiis; Leopoldi Archiducis, qui promiſſa non impleverat, deſerens partes. Scriptum apologeticum ea occaſione a Mansfeldio typis vulgatum A. 1610.

Georg. Frider.

quod Leopoldus Argentinenſis Præſul in formidabile munimentum erexerat, (*p*) aliquot diebus obſeſſum quarto Junii die expugnarunt. Occupata dein Muziga, iidem fœderati copias Molshemio, quod Argentinenſis quoque Epiſcopatus oppidum eſt, admoverunt, & intra decimum octavum obſidionis diem, menſis Junii fine, occuparunt. Oppidi præfectus, qui erat Solmenſis, relictis tormentis, cum mille ducentis militibus Tabernas diſceſſit. (*q*) Molshemio capta, inter Principes fœderatos & Capitulum Argentinenſe, Henrici Lotharingiæ Ducis interventu, de armis deponendis tractatum eſt. Inſtitutus eam in rem Hagenoæ Conventus, ad quem Principes fœderati miſerunt legatos. (*r*) Conventus ille cum ſucceſſu caruiſſet, Wildſtadii denique, arbitro Lotharingo, Hanoviæ Comite, Civitate Argentinenſi & Nobilitate Alſatica, die XIV. Auguſti, res ita transacta eſt, ut reſtitutis locis occupatis, redditisque captivis, ex Epiſcopatu Argentinenſi omnique inferiori Alſatia abducerentur exercitus. (*s*)

§. XXIII.

(*p*) *Alſat. Illuſtr.* Tom. II. pag. 143.

(*q*) Vid. *Relatio hiſtorica*, jam allegata, pag. 14. ubi leges deditionis extant. Add. Sleidanus redivivus pag. 284. & *Merkwürdigk. des XVII. ſeculi* pag. 332. ſeq.

(*r*) Lingelshemius ab Electore Palatino ad Conventum hunc miſſus eſt, Vid. *Epiſt. Lingelsh. ad Bongarſ.* n. 116.

(*s*) Inſtrumentum exhibet du Mont, *Corps Dipl.* Tom. V. Part. II. pag. 147.

Digitized by Google

§. XXIII.

Pax cum Ligiſtis.

Alſaticæ hæ & Juliacenſes turbæ adeo Cæſarem in fœderatos commoverant, ut Maximiliano Bavaro, Catholicæ Ligæ Præfecto, belli, adverſus eos gerendi, ſummam detulerit. Unde ſolliciti de ſalute ſua fœderati, arctioris fœderis cauſſa, Heilbronnæ eodem anno egerunt Conventum, ad quem Georgius Fridericus noſter, ex Molsheimenſi obſidione redux, die 22. Junii (1610.) profectus. (*t*) Expeditionem, ſibi commiſſam, deprecatus eſt Bavarus, atque Monachii die 14. Junii cum Principibus fœderatis convenit de pace. (*u*)

Paulo ante Arauſius Princeps Mauritius, junctis Gallorum, Belgarum & Unionis Proteſtantium copiis, Leopoldo Auſtriaco inferens arma, Juliacum tertio obſidionis menſe in poteſtatem ſuam redegit; (*x*) urbemque captam Brandeburgico & Neoburgico tradidit. (*y*)

§. XXIV.

Tutela Palatina.

Eodem anno Fridericus IV. Elector Palatinus, moriens, præterito proximo agnato, Philippo Ludovico, Neo-

(*t*) *Relatio hiſtorica* pag. 11. LINGELSHEM. *Epiſt. alleg.* SCHADÆI *Continuatio Sleidani* Tom. III. Lib. XXXV. pag. 1537.

(*u*) CARAFA in *Germania Sacra reſtaurata* pag. 45.

(*x*) Die 22 Auguſti.

(*y*) CARAFA *loco alleg.* Item *Memoires de Louiſe Juliane* pag. 83.

Geor. Frider.

burgico, Auguſtanæ Confeſſioni invariatæ addicto, Johannem juniorem, Bipontinum, dogmatis Calviniani fautorem, Friderico V. filio impuberi tutorem conſtituit. Joannes, ex teſtamento defuncti, adminiſtrationem ſuſcepit. Cæſar & Imperium teſtamentum firmarunt. Wolfgangus Wilhelmus, Neoburgici filius, nuntio de morte Electoris accepto, Heidelbergam contendit, ita patre jubente. At Durlaci, in tranſitu, a Georgio Friderico noſtro & ab Onolsbacenſi Marchione perſuaſum ei eſt, ut domum rediret, atque ratione tutelæ nihil turbaret. (z) Funeri Electoris, quod die 17. Octobris celebratum, Georgius Fridericus noſter, una cum Wirtenbergæ Duce & Electorum Principumque legatis, interfuit Heidelbergæ. (a)

§. XXV.

Conventus Rotenb.

Novi Electoris, Friderici V. legati A. 1611. menſe Julio cum aliis Principibus Unionis, Rotenburgi convenientes, de Donaverdenſi cauſſa, de juſtitiæ in Camera Imperiali defectibus, aliisque de rebus nova inierunt conſilia. Impenſæ, in bellum Juliacenſe & Alſaticum factæ, inter ſocios diſtributæ, quorum ærarium commune, duplicatis exactionibus, auctum; res bellica

(z) *Epiſtola* XL. Jacobi Bongarsii *ad Electores, Principes & Miniſtros Germaniæ & Daniæ.*

(a) Sleidanus redivivus pag. 314. Lingelshem. *ad Jacob. Bongarſ. Epiſt.* 119.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

& diſciplina militaris ordinata; armamentaria & horrea in Fœderatorum ditionibus paſſim conſtituta. Sollicitandis quoque exteris Principibus miſſi in Galliam, Angliam, Belgiumque legati. (*b*) Jacobus Angliæ Rex, qui rebus religionis in ſuo Angliæ regno proſpexit, Germanicis quoque Proteſtantium motibus immiſcere ſe viſus eſt. Ille enim cum Evangelicæ Unionis Principibus, adeoque & cum Georgio Friderico A. 1612. die 28. Martii fœdere ſe junxit Veſaliæ; ubi legati convenerant. Jacobus peditum millia quatuor Principibus fœderatis, hi bis mille Regi, bello ſi fuerit petitus, ſubmiſſuros ſe promiſerunt. (*c*) Iisdem fere conditionibus anno ſequente cum Belgis Fœderatis concluſum eſt fœdus. (*d*)

§. XXVI.

Electio Matthiæ Imp.

Hos inter motus A. 1612. Rudolfus II. deceſſit. Marchionum Onolsbacenſium ſator, Joachimus Erneſtus, Johannes Fridericus Wirtenbergæ Dux, Mauritius, Haſſiæ Landgravius, & Chriſtianus, Anhalti Princeps, Marchionem noſtrum inviſerunt Durlaci; ut de rebus, quæ in proximis Electionis Comitiis

(*b*) CARAFA *Germ. ſacræ*, pag. 47. SCHADÆI *Sleid. contin.* Part. III. Lib. XXXVI. pag. 1632.

(*c*) Inſtrumentum extat in RYMERI *Actis publ. Angl.* Tom. VII. Part. II. pag. 179.

(*d*) DU MONT *Corps Dipl.* Tom. V. P. II. pag. 226.

GEORG. FRIDER.

a Principibus fœderatis proponendæ, cum eo deliberarent. Comitiis his, Francofurti menſe Majo celebratis, ut & coronationi novi Cæſaris Matthiæ, Georgius Fridericus, inſigni cum comitatu interfuit, equeſtribus ludis, decurſionibus, aliisque feſtivitatibus exercitando dexteritatem ſuam oſtendit; (e) atque occaſione hac cum Principibus de pace inter Suecos & Danos, de Juliacenſi, ut & de Aquisgranenſi cauſſa, varias conventiones inivit. Id tamen ſingulare, quod ab eodem Matthia Cæſare Marchio inveſtituram impetrare non potuit.

§. XXVII.

Fœdus cum Helvet.

Argentinenſis Epiſcopatus turbæ, ſuperioris ſeculi fine, occaſionem dederunt Erneſto Friderico, ut cum Helveticis Proteſtantium Pagis, Cantones quos vocant, fœdus iniret. Mortuo Marchione, amicitiæ fœdus continuatum cum fratre. Georgius Fridericus ergo cum Tigurinis & Bernatibus die 19. Aug. 1612. Caroloburgi fœdus in decennium renovavit; præſentibus Cantonum legatis. Georgius Fridericus militum mille Cantonibus, Cantones bis mille Marchioni promiſerunt auxilio. Occaſione hac feſtivitates celebratæ ſunt multæ. Otto Rheingravius cum triginta legationis Comitibus, die quarto Septembris, idem fœderis

(e) SLEIDANUS REDIVIVUS Part. IV. pag. 48. 50. Prandio quoque regali eum interfuiſſe teſtatur BERN. PRÆTORIUS *in Corona Imperiali*, edita Norimbergæ A. 1613. pag. 227. ſeq.

juſjurandum, Marchionis nomine, Tiguri atque ſeptiduo poſt præſtitit Bernæ.

§. XXVIII.

Colloquium Durlac.

Circa hoc tempus Ludovicus, Valdemontii Dux, ex Lotharingica Domo, Georgium Fridericum Durlaci inviſit. De religione cum incidiſſet mentio, conventum eſt, ut, Duce ac Marchione præſentibus, Colloquium religionis inſtitueretnr ſolenne. Inſtitutum eſt, Junio menſe A. 1613. in Caroloburgenſi Palatio Durlaci. Gonterius, ex ſodalitate Jeſu, cum ſocio in arenam productus eſt. Otto Comes Solmenſis & Georgius Chriſtophorus Meiſiſch, Juris Doctor, Marchionem inter & Valdemontium fuerunt interpretes. Diſputator Lutheranus erat Pforzhemianus Paſtor, Thomas Wegelinus, Theologus Doctor. Placuit ſola judex Scriptura. At ſingulas propoſitiones, ſive aſſerentes, ſive negantes, difertis verbis, ex ea decidendas eſſe contendit Gonterius; quod Wegelinus fieri poſſe negavit. Colloquii hujus idem, qui aliorum præcedentium & ſuccedentium, eventus. Utraque pars in ſententia perſtitit & hiſtoriam Colloquii, prout ei viſum, deſcripſit. (*f*) Hæc de Theologico bello.

(*f*) Prodiit eodem anno: *Brevis relatio de colloquio Durlacenſi* A. MDCXIII. *inter Sereniſſimum Principem Valdemontanum & illuſtriſſimum Marchionem Badenſem, Durlaci circa nonnullos fidei controverſos articulos inſtituto*, im-

Digitized by Google

§. XXIX.

Lis de Marchia ſuper.

Bellum forenſe, de ſuperiori Marchionatu, magnis illo tempore motibus fuit agitatum. Cæcilia Suecica, Eduardi Fortunati, Marchionis demortui, mater, in Comitiis Ratisbonenſibus A. 1613. comparuit & de liberando unico filio ſuperſtite Philippo, quem Erneſtus Fridericus Hachbergæ Caſtro incluſerat, ut & de Marchia ſuperiore legitimis reſtituenda heredibus, multum laboravit. Sed & de loco in Comitiis denuo ab Eduardinis mota eſt quæſtio. Principes Unionis pro Georgio Friderico Marchione apud Cæſarem interceſſerunt, &, ne, lite pendente, præjudicium fieret, enixe rogarunt. Cæſar ſub finem præcedentis anni pronunciaverat ſententiam, qua bimeſtre tempus, liti aſſumendæ, præfixum Marchioni; cujus provocatio, (g) tanquam novi res exempli, a Cæſare & Moguntino rejecta tum fuit. Intercedentibus autem Palatino & Principibus Germaniæ fœderatis, ut & Ja-

preſſa Ingolſtadii 4to. GONTERIUS Gallice edidit *Fuite honteuſe &c.* WEGELINUS & LUCAS OSIANDER, Tubingenſis, duobus ſcriptis, Argentorati & Tubingæ A. 1614. vulgatis, Gonterio reſponderunt. Libelli hi Germanica lingua conſcripti: ſed prodiit quoque Gallice: *Vraye & authentique Relation du Diſcours en Theologie, tenu à Dourlac, entre les Sereniſſimes Princes George Frederic & François Duc de Lorraine & de Vaudemont.* Poſtremus hic libellus prodiit A. 1614. 8vo.

(g) Marchio a Cæſare, male informato, ad Cæſarem, melius informandum & ad Status Imperii provocavit.

cobo, Magnæ Britanniæ Rege, de componendis denique amica transactione controverſiis cœpit tractari.

§. XXX.

Conventus Francofurt.

Eum in finem Elector Colonienſis & Darmſtadienſis Landgravius, accepta A. 1614. die 15. Octobris a Cæſare poteſtate, utriusque partis Conventum menſe Februario A. 1616. Francofurti habuerunt; ad quem & Palatini, Onolsbacenſes & Wirtenbergici confluxerunt legati, Georgii Friderici, Principis fœderati, cauſæ ut patrocinarentur. Hic neque titulum cum inſignibus Marchionatus, neque agnationis & ſucceſſionis jura Eduardinis concedere voluit, ſed Luxenburgicis ditionibus, ſubfeudi Badenſis ſub axiomate, contentos eſſe juſſit. Filiæ Eduardi mille florenos dotis loco, Cæciliæ, matri Eduardi, annuos reditus & Mariæ Eickiæ, viduæ ejus, annuos bis mille florenos ſe aſſignaturum promiſit, ſi Caſtellaunenſis Præfectura, quæ ex Spanheimenſibus ditionibus ſola in Eduardinorum manibus perſtiterat, (*h*) ipſi fuerit reſtituta.

§. XXXI.

Eduardinor. poſtulata.

Verum enimvero Eduardini neque Principali dignitati, neque titulo Marchionum ſe renunciaturos declararunt. Sed & Imperii ditiones ſibi aſſignari petierunt, ſpretis Luxenburgenſibus

(*h*) Vid. ſupra ad A. 1605.

Digitized by Google

Georg. Frider.

Dynaſtiis, quæ ſub Hiſpaniæ Regis imperio ſitæ, Cæciliæ, Chriſtophori II. viduæ, & Eduardi fratribus alimenta præbebant. Eædem ditiones magna ex parte, a creditoribus occupatæ & venditæ fuerant, adeoque alendis Eduardi viduæ & liberis haud videbantur ſufficere. Conditiones, multo æquiores, jam A. 1609. a Marchione fuiſſe propoſitas ab illis, qui Cæſaris vices peragebant, Badenſibus legatis objectum eſt. Reſponderunt hi, conditionibus, a parte adverſa non acceptis, eo minus ſe teneri, quod Eduardini matrimonii defectus in majorem quotidie lucem proferantur. Badenſium durities non Cæſareanos modo, ſed & Principum, Marchioni faventium, legatos offendit. Propoſuerant nonnulli, ulterioris Spanheimenſis Comitatus pars Badenſis ut Eduardinis relinqueretur, qui viciſſim penſionibus annuis & titulo Marchionum, donec Georgii Friderici ſuperfuerit poſteritas, renunciarent. Sed & hic tranſigendi modus a Marchione rejectus eſt. Aegre id ferens Albertus Auſtriacus, amicæ compoſitioni porro locum eſſe noluit; judici res ut decidenda tradatur, contendens. Diſſolutus ergo Francofurtenſis Conventus; anno ſequente tamen menſe Februario reſtauratus; ſed haud meliori ſucceſſu. Aequiſſimas enim conditiones offerentibus Cæſareis, (*i*) Georgius Fridericus a ſententia

(*i*) Vide infra ad A. 1622. Leopoldus Archidux A. 1621. interceſſoris munus ſuſcepit, indicto Argentinam Conventu, quem Albertus Archidux & Wilhelmus, Eduardi filius, adire noluerunt.

tentia anni ſuperioris nec latum unguem receſſit. Acta hæc ſunt A. 1616. & ſequenti.

§. XXXII.

Interea Heilbronnenſis & Norimbergenſis Conventus a fœderatis Proteſtantibus habiti ſunt; in quorum priore Juliacenſis denuo tractata eſt cauſſa. Poſteriori Regum Galliæ, Britanniæ & Daniæ, ut & Belgii Fœderati Ordinum, interfuerunt legati. Nova ibi ad Saxonem decreta legatio; quæ Electorem ad Principum perduceret fœdus; quod ille tamen conſtanter recuſavit. Acta Unitor.

Georgius autem Fridericus unionis vires, quantum potuit, promovit; ad conſervandam ſuperiorem Marchiam, opibus ejus opus ſibi eſſe perſpiciens. Speciatim cum Argentinenſibus de ferendo auxilio ab anno 1615. egit frequenter. Hi amicam litis compoſitionem ſuaſerunt Marchioni; qua neglecta, ſi pro auctoritate ſua egerit Cæſar, cauſſæ ejus ex legibus fœderis ſe non defuturos eſſe profeſſi ſunt.

§. XXXIII.

Numeroſus illo tempore fuit aulicus Georgii Friderici comitatus; quem 171. Officialibus Aulæ & 156. equitibus, ad ſolum Aulæ miniſterium paratis, conſtitiſſe in Commentariis ejus reperio. Exercitum autem ſuum, ſubſidiis ſociorum adjutus, identidem auxit, ita quidem ut A. 1617. cum copias enumeraſſet, Adparatus bellici March.

quindecies mille, in eo reperti ſint milites, quos ille non ex ſuo tantum, ſed & ex ſociorum ærario aluit.

Munitiones Udenheim.

Arctius denique fœdus cum Friderico V. Electore Palatino A. 1618. Marchio noſter inivit, virtute cujus quater mille equites peditesque, ut & 1200. foſſores die decimo quinto Junii cum exercitu Palatino conjunxit. Junctæ copiæ Udenhemium verſus progreſſæ ſunt; novas deſtructuræ munitiones, quibus locum illum Philippus Chriſtophorus a Sœteren, Spirenſis Epiſcopus, contra Spirenſium privilegia, in odium Fœderatorum, & ſpeciatim Palatini Electoris, nuper inſtruxerat; novum ei nomen Philippiburgi imponens. Munitiones brevi temporis ſpatio dejectæ ſunt. (*k*)

§. XXXIV.

Bellum Bohemicum.

Epocha rerum Germanicarum & Badenſium fatalis, qua etiam tricennale bellum ſua apud Bohemos primordia cepit. Principes Unionis veriti, ne Proteſtantium religione apud Bohemos everſa, latius incendium ſerperet, atque adeo Proteſtantium in Germania res & fortunæ periclitarentur, conſiliis & opibus junctis, cauſſam Bohemorum ſibi tuendam judicarunt.

(*k*) CARAFA pag. 60. *Memoires de Louiſe Juliane* pag. 124. *Theatr. Europ.* Tom. I. pag. 28. Scripta plura hac de re vide in LONDORP. *Acta publ.* Tom. I. pag. 376. ſeq. Munitiones hæ tamen poſt Palatini cladem A. 1623. reſtitutæ fuerunt.

Digitized by Google

Georg. Frider.

Habitus eodem anno (1618.) Rotenburgi ad Tuberum Fœderatorum Conventus; qui Cæſarem Matthiam die 3. Octobris monuit, ut turbas Bohemicas tandem componeret, mitioraque ſecutus conſilia, duces & copias ſuas Bohemiæ regno juberet excedere, niſi Litteras Majeſtatis, quas vocant, ut & Pacem religionis Germaniæ intervertere velit. Eodem tempore Fœderati certiores reddiderunt Bohemiæ Ordines, cauſſæ eorum ſe non defuturos, æquas pacis conditiones ſi ſpreverit Cæſar. (*l*) Miſſus in Bohemiam Erneſtus Mansfeldius Comes, qui cum nonnullis peditum millibus, Pilſenam urbem, Cæſari fidam, expugnavit. (*m*)

§. XXXV.

Unitorum conſilia.

Junctis Gallorum, Anglorum, Batavorum, Venetorumque opibus, Auſtriacæ Domus potentiam infringere ac diminuere voluiſſe Fœderatos, dubitat nemo. Fuerunt, qui Bohemiæ & Hungariæ regna, ut & Imperialem coronam Auſtriacis extorquendam clamitarent. Exercitus, qui hæc exequeretur, imperium Friderico V. Electori Palatino, deferendum dicebatur, eique

(*l*) Has aliasque Principum, Rotenburgi collectorum, litteras vide in *Theatri Europ.* Tom. I. pag. 68. Carafa pag. 63. & Julius Bellus *Laureæ Auſtriacæ* Lib. II. pag. 111.

(*m*) *Theatrum Europ.* Tom. I. pag. 73. ſeq. & Londorp. *Act. publ.* Tom. I. pag. 498.

duos ſubſtituendos eſſe Legatos, quorum alter ad Rhenum, alter in Franconia imperet. Inter ſecreti conſilii conſcios Georgius noſter Fridericus nominatur; cujus terræ, Briſgovicis & Alſaticis Auſtriacorum vicinæ. Admonitus Marchio, ut ad oppugnationem Briſaci omnia præpararet mature. Urbem captam præmii loco ipſi deſtinatam. (*n*)

§. XXXVI.

Matthiæ Cæſ. obitus.

Matthias Imperator inter hæc die 19. Martii A. 1619. deceſſit. Menſe Majo Fridericus V. Palatinus Elector de Vicariatu, per Interregnum exercendo, ad Georgium Fridericum noſtrum ſcripſit. Marchio cauſæ communi melius nihil præſtari poſſe reſpondit, quam ſi Aſſeſſorum utriusque religionis paritas in Imperii Camera introducatur. Addit, Bohemos, Ferdinando Auſtriaco adverſos, omni ope ſublevandos, tuendos. Cenſuit ergo, protrahendam eſſe novi Imperatoris electionem, ut, qui in Proteſtantium manibus tum fuerat, Vicariatus protraheretur. (*o*)

Conventus Heilbron.

Habitus eam in rem Junio menſe Fœderatorum Heilbronnæ Conventus, ad quem Georgius Fridericus quoque ſe contulit. Deliberatum ibi de impedienda Ferdinandi Auſtriaci in Regem

(*n*) *Anhaltiſche geheime Cantzley* pag. 77. CARAFA pag. 61. ſeq. JULIUS BELLUS *loco alleg.* Lib. II. pag. 137.

(*o*) LONDORP. *Act. publ.* Tom. III. pag. 647.

Digitized by Google

Georg. Frider.

Romanorum electione, quam Proteſtantium cauſſæ exitioſam judicabant. Decretum, ut electionis dies quovis modo proferatur, donec de belli Bohemici exitu conſtet. A ſociis Unionis occupandum Francofurtum. Colonienſem Archiepiſcopum a Belgis Fœderatis, Trevirenſem a Gallo inducendum, ut, nonniſi compoſitis per Imperium turbis, electioni dent locum. (p)

In Conventu hoc comparuit Wottonus, ad Rempublicam Venetam Anglorum legatus, qui de ſtudio Regis ſui in promovenda cauſſa communi multa præfatus, de Venetis Unioni Principum jungendis, deliberavit, ne Hiſpanica per Rhætiam Ligiſtis ſubmitterentur auxilia. Fœderati de propenſo in ipſos animo Regi gratias egerunt. (q)

§. XXXVII.

Ferdinandi II. electio.

Verum enimvero vaſta hæc conſilia caruerunt ſucceſſu, quod reſiſteret Saxo, qui, ut & Moguntinus Elector, Ferdinando Auſtriaco fuerat addictus. Comitia electionis in Julium menſem Francofurtum indicta. Ferdinandus, Palatino & Bohemis refragantibus, die 18. Auguſti electus; paucos poſt dies coronatus eſt Cæſar; cui e contra Bohemicam ſuam Bohemi abſtulerunt coronam, quam Friderico Palatino die 26. Auguſti impoſuerunt.

(p) Receſſus, die 14. Junii conditus, extat in libro: *Der Unirten Proteſtirenden Archiv* in append. pag. 460.

(q) Reſponſio, legato Anglico data, extat loco alleg. pag. 454.

GEORG. FRIDER.

Hic, Gallorum, Anglorum, Belgarum & Proteſtantium Germaniæ fretus auxilio, delatum ſibi regnum ſuſcepit, poſtquam cum nonnullis Evangelicæ Unionis Principibus rem communicaſſet. Georgius Fridericus noſter, Joachimus Erneſtus, Marchio Brandeburgi, Johannes Fridericus, Wirtenbergæ Dux, Chriſtianus Anhaltinus, cum Civitatum quarundam nunciis, ineunte Septembri, Rotenburgi convenientes, Palatino ſuaſerunt, ut oblatam ei coronam acciperet. (*r*) Miſſæ per Germaniam litteræ, quibus omnes Proteſtantium Ordines ad Conventum, ſecundo Novembris Norimbergæ habendum, invitati, ut de religione & communi Proteſtantium ſalute tuenda inter ſe deliberarent. (*s*) Tot & tantis motibus nihil promotum. Deliberationes lentæ & debiles. Palatinus Elector, juvenis, rerum gerendarum non ſatis peritus, nec conſilio nec auctoritate rexit Fœderatos. Marchio noſter Chriſtiano Anhaltino, qui inter Friderici Palatini comites fuerat, literas ſub finem Octobris Gallico ſermone perſcripſit, quibus Palatini fortunæ, vel cum evidenti vitæ ſuæ periculo, ſuam ſe juncturum declarat. (*t*)

§. XXXVIII.

Conventus Norimb.

Palatinus Elector, brevi poſt in Palatinatum ſuperiorem profectus, coronam, a Bohemis ei oblatam, accepit, & die XXV.

(*r*) CARAFA pag. 73.

(*s*) Litteræ hæ, die 8. Sept. ſcriptæ, extant in LONDORP. *Act. publ.* Tom. I. pag. 866. ſeq. & in *Theatro Europ.* Tom. I. pag. 257.

(*t*) LONDORP. *Act. publ.* Tom. III. pag. 674.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

Octobris 1619. Pragæ ſolenni inauguratus eſt ritu. Interjectis aliquot diebus, ad Norimbergenſem Proteſtantium Conventum ſe contulit, cui Georgius Fridericus noſter per legatum interfuit. Agitata ibi de patrocinio Bohemiæ quæſtio, quam Imperii Gravaminibus annectendam Palatinus cum ſociis cenſuit. Cum autem Georgius Hohenzolleranus, Cæſaris legatus, adveniſſet, & de Gravaminum Imperii remedio ſpem Fœderatis feciſſet, judicarunt nonnulli, expedire, ut Principum fœderatorum cauſa a Palatini & Bohemica cauſa, quod petierat Cæſar, ſepararetur. (*u*) De auxilio, Electori Palatino, ut Bohemiæ Regi, ferendo, nihil definitum. Fœderati animum propenſum teſtati, Bohemiæ turbis ſe invigilaturos nonniſi generatim declararunt. Ligiſtæ autem, omiſſa Gravaminum compoſitione, vim & arma quum aperte pararent, decretum eſt denique copiarum Unionis fœderatorum augmentum. In eodem Conventu Georgius Fridericus de ſtatu litis ſuæ cum Eduardi Fortunati liberis edocuit ſocios, novumque ab illis conſilium petiit. (*x*)

Ex adverſo Maximilianus, Bavariæ Dux, Ligæ Rector, habito Herbipoli A. 1620. Conventu, Lotharingiæ Ducem Ligæ Convent. Ligiſt.

(*u*) CARAFA *Germania ſacra reſtaurata* pag. 77.

(*x*) Receſſus Norimbergenſis A. 1619. extat apud LONDORPIUM *Actor. public.* Tom. I. pag. 873. ubi & alia huc ſpectantia documenta exhibentur. Adde *Theatri Europæi* Tom. I. pag. 263.

GEORG. FRIDER.

adjunxit, atque Pontificis & Hiſpaniæ Regis auxilia ſolicitanda decrevit. (y)

§. XXXIX.

Adparatus bellici.

Ita A. 1620. initio in omnibus Germaniæ partibus inſtructum eſt bellum. Ferdinandi II. novi Cæſaris frater, Leopoldus Argentinenſis & Paſſavienſis Epiſcopus, Abbatiarum Murbacenſis & Luderenſis adminiſtrator, illo tempore in Alſatiam venerat, ut omnia ad bellum pararet. Armamentaria perluſtrans, ſupellectilem bellicam ubique expedivit; delectus militum habuit; Croyaci Ducem in Galliam atque Lotharingiam miſit, ut conſcripta in illis partibus XXX. millia militum primo vere ejusdem anni in Germaniam adduceret. Quin & Supplementa copiarum, quæ in Colonienſi ditione hibernaverant, accerſivit. Primum copiarum agmen Lippiæ Comes per Francofurtum in ſuperiores Franconiæ partes adduxit. Cratzius, Nobilis Germanus, cum alio agmine eum ſecutus eſt. Fœderati Unionis, ſuas quoque copias junxerunt.

§. XL.

Expeditio in Francon.

Georgius Fridericus noſter, aliquot equitum peditumque millia, ex hibernis evocata, in Franconiam duxit, Cæſareanos ut ab itinere prohiberet. Quingenti equites & duo peditum ſigna,

(y) CARAFA pag. 78. *Theatr. Europ.* Tom. I. pag. 331.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

ſigna, a Norimbergenſibus miſſa, his ſe junxerunt. Caſtra prope Rotenburgum oppidum ad Tuberum fixa. Copiarum iſtarum per Archiepiſcopatum Moguntinum tranſitus haud abſimilis fuit expeditioni hoſtili. Moguntinus ad Marchionem miſit fecialem, qui de injuriis quereretur & res ablatas repeteret. Marchio deprædationes inſcio ſe factas atque invito profeſſus, militum, ſi qui deprehendantur, proterviam ſe puniturum declaravit; addens, haud ignorare ſe falſos, qui ſpargantur, ſermones: Epiſcopatus Spirenſis ſe ambire dominia. Verum ad ſuam modo defenſionem arma ſe expediviſſe cum ſociis. Catholicos ante ſe fuiſſe armatos: Epiſcopum Spirenſem ad vim omnia paraſſe. Interea Ligiſtarum copiæ, quæ in Franconia ſubſtiterunt, inita cum Fœderatis Unionis conventione, (z) per Palatinatum ſuperiorem in Bavariam perrexerunt.

§. XLI.

Ad Rhenum ducit copias.

Georgius Fridericus celeriter & ipſe copias ſuas commovit, tranſitoque Rheno, in eam inferioris Palatinatus Provinciam, quæ tractus Hunnorum (*Hundsruck*) vocatur, contendit; ut adventantes ex inferiore Germania Ligiſtarum milites, retardaret. (a) Convenerant inter hæc copiæ, a Leopoldo Archiduce per Bur-

(z) Conventionem hanc exhibet AVCTOR *Theatri Europ.* Tom. I. pag. 339.

(a) JVLIVS BELLVS *Laureæ Auſtriacæ* Lib. IV, pag. 288.

GEORG. FRIDER.

gundiam, Lotharingiam, Alſatiamque collectæ, ſed & Anhaltinus Dynaſta, cum inferioris Germaniæ milite, Alſatiam petere nunciabatur. Tum vero Badenſis Marchio, juſſu Joachimi Erneſti, Brandeburgici, qui Fœderatorum copiis ſummo cum imperio præerat, cum X. millibus militum feſtinavit ad Rhenum. Agmen præibant equitum cataphractorum turmæ tres. Hos ſequebantur ſigna peditum quatuor, ut & quatuor æenea maximæ molis tormenta, & cum inſtrumentis bellicis currus centeni. Dein aliæ quatuor cataphractorum equitum turmæ, ut & ſigna peditum IV. cum LXX. curribus, quos peditum & equitum ſclopetariorum tres ſecutæ ſunt turmæ. Ultimum agmen clauſerunt centum & quinquaginta currus aculeati, (*b*) quorum multi ſex rotis inſtructi, ut arcte conjuncti propugnaculum componerent. Hujus generis curruum ultra trecentos nonnulli numerarunt. (*c*)

§. XLII.

Conſilium ejus.

Conſilium Georgii Friderici fuerat, Leopoldum impedire Archiducem, ne copias illas, pro Cæſare & Bavaro paſſim comparatas, trans Rhenum in Bavariam Bohemiamque perduceret. Marchio eum in finem a Tigurinis & Bernatibus ex fœdere anni 1612. flagitavit auxilia. Hi, celebrato Baſileæ Conventu, fœdere Auſtriaco, ne ſubſidia mittant, ſe impediri cauſati ſunt.

(*b*) JULIUS BELLUS *Laur. Auſtr. ſive de bello Germ.* Lib. IV. pag. 301.

(*c*) *Theatrum Europ.* Tom. I. pag. 337. ponit curſus 310.

Digitized by Google

At bello petitus ſi fuerit Marchio, copias, quas promiſerant, confeſtim ſe ſubmiſſuros. (*d*)

Iringa inter Briſacum atque Friburgum vicus eſt, ubi in acclivitate montis Marchio conſedit; munitisque egregie caſtris, omnem Rheni ripam, ubi trajectus eſt, milite & munimentis inſtruxit. Wirtenbergæ Dux & Onolsbaci Marchio cum ceteris copiis Ulmam petierunt, ut, ſi opus foret, cum Badenſi ſe jungerent. (*e*) Iringæ conſidet.

§. XLIII.

Leopoldus Archidux, commeatu tranſituque prohibitus, ex Alſatia ſuperiore, ubi hærebat, die quarto Junii, novi ſtyli, Helfenſteinium Comitem, Præfectum Auſtriacum in Alſatia, & Eberhardum Rappoltſteinenſem ad Georgium Fridericum miſit legatos, ut ab eo intelligerent, num ille militibus, quos in Cæſaris uſum Leopoldus collegerat, liberum in Germaniam daturus ſit tranſitum. Marchio reſpondit, a Fœderatis Unionis ſe accepiſſe mandata, ne Cæſareanis, quamdiu iſti in ſua & Fœderatorum ſuorum conſiſterent ditione, ullum impedimentum afferret; aliter fo- Leopoldo tranſitum concedit.

(*d*) In exercitu tamen Marchionis ter mille tum militaſſe Helvetios, memorat Avctor Anonymvs *Vitæ Marchionum* pag. 345.

(*e*) Jvlivs Bellvs Lib. IV. pag. 328. ſitum caſtrorum Georgii Friderici exhibet æri inciſum.

Georg. Frider.

re, ſi copiæ illæ terras Marchionis aut ſociorum ejus attingerent. (*f*) Ita Leopoldo, Fœderatorum Unionis ditionibus abſtinenti, rectaque via in Bavariam tendenti, tranſitum Rheni, conſilio non prudenti, conceſſit. (*g*) Maximilianus enim Bavarus, Ligiſtarum Dux, juſto exercitu hac acceſſione comparato, Donawerdam inter Rainam & Widingam ad Danubium conſedit, id agere viſus, ut, quas ex Alſatia adducebat Leopoldus, exciperet copias.

§. XLIV.

Pœnitentia facti.

Fœderati, intellecto conſilio, de ſuis & Palatini rebus ſolliciti, junctionem hanc impedire ſtatuerunt. Georgius Fridericus ergo, relicto tum Rheno, cum omnibus copiis Wirtenbergico ſe junxit, atque una cum Onolsbacenſi Marchione, ſupremo Fœderatorum Duce, ad Langenoviam & Leiphemium, ex adverſo hoſtium, caſtra poſuit. Prœlii dies jam imminere videbatur.

(*f*) Literæ utriusque partis extant apud Londorp. *Actor. publ.* Tom. II. pag. 165.

(*g*) Lotichius *Rer. German.* Lib. V. Cap. X. pag. 160. Commoverant Marchionem Ferdinandi Cæſaris literæ, quibus duriter eum reprehenderat, quod copiis Cæſareis ad Rhenum ſuperiorem denegaverit tranſitum. Literas has Marchio cum Argentinenſibus communicavit, addens, ſe plurimum gaudere, quod de hoſtili Cæſaris animo jam conſtet.

Digitized by Google

Georg. Frider.

In violento hoc rerum ſtatu Fœderati Unionis, de ſumma rerum deliberaturi, Ulmam convenerunt. Conventui intererant Legati, quos ſedandis Germaniæ turbis, Galliæ Rex ad Cæſarem & ad Status Imperii miſerat. Legationis hujus ſplendidæ caput fuit Carolus Valeſius, Caroli IX. Regis filius naturalis, quem Ludovicus XIII. Egolismenſem nuper Ducem creaverat. (*h*) Hic una cum legationis ſociis, (*i*) A. 1620. die 18. Maji literis, Argentinæ ſcriptis, a Georgio Friderico noſtro petierat, ut per terras ejus transeuntibus legatis, eorumque comitatui, qui ingens erat, præberet hoſpitia.

§. XLV.

Pax cum Ligiſtis.

Res Galliæ tum dirigebat Luynius, variis artibus, ab Hiſpanis in ſuas partes pertractus, qui etiam Ferdinandi II. Imp. electionem nuper promoverat. Legationi prætenſa eſt Catholicæ religionis defenſio, quæ non in Germania tantum, ſed & in vicinis regnis periclitari dicebatur; ſi Ferdinandus Cæſar, Friderici Palatini & Proteſtantium Germaniæ armis opprimeretur. Gal-

Z 3

(*h*) Imhoff *Geneal. Gall.* Claſſ. I. pag. 37.

(*i*) Comte de Bethune & Comte de Preaux Chaſteauneuf. Legationis hujus hiſtoria & acta prodierunt Lutetiæ Pariſ. 1667. fol. ſub hoc rubro: *Ambaſſade extraordinaire de Meſſieurs les Ducs d'Angouleſme, Comte de Bethune & de Preaux Chateauneuf.*

GEORG. FRIDER.

lia itaque tum operam impendit, ut compoſita inter Unionem & Ligam pace, Bohemica cauſa Cæſaris & Palatini armis decidenda relinqueretur. Ad Cæſaris & Hiſpanorum ſententiam, ipſorum interventu Gallorum, quod mireris, res fuit Ulmæ transacta. Placuit, ut fœderis utriusque abducerentur exercitus. (*k*) Fridericus Palatinus, non ut Bohemiæ Rex, ſed ut Elector Palatinus, hac pactione comprehenſus. Excluſum eſt Bohemiæ regnum; excluſæ ſunt hæreditariæ Cæſaris provinciæ. (*l*)

§. XLVI.

Spinola Palatin. invadit.

Cæſar id, quod intenderat, conſecutus, Electoratum Palatinum per Hiſpanos, non participes Ligæ, aggredi conſtituit; Sociis Ligæ ad Bohemos debellandos uſurus. (*m*) Bavarus ergo cum Ligiſtarum copiis Auſtriam ſuperiorem ingreſſus eſt, eaque ad obſequium redacta, in Bohemiam progreſſus & Cæſareano exercitu auctus, Fridericum Palatinum, memorabili illa ad Pragam in Albo Monte clade fuſum, omni Bohemiæ regno ejecit. (*n*) Ex

(*k*) BRACHELIUS in *Hiſt. rerum notabil.* Lib. I. pag. 23. ſeq.

(*l*) Transactio Ulmenſis die 3. Jul. 1620. facta, extat in LONDORPII *Act. publ.* Tom. II. pag. 48. DU MONT *Corps Dipl.* Tom. V. Part. II. pag. 369.

(*m*) Litteræ legatorum Gallicorum ad Ludovicum XIII. in libro alleg. *Ambaſſade extraordinaire* &c. pag. 184. leguntur.

(*n*) Expeditionis hujus hiſtoriam expoſuit JOANNES BISSELIUS libro, cui titulus: *Leo galeatus*.

Digitized by Google

altera parte Ambroſius Spinola, ab Alberto Archiduce, Belgii Hiſpanici Gubernatore, ad occupandum inferiorem Palatinatum eſt miſſus. Fœderati Unionis, Ulmenſi transactione ſe deceptos videntes, defendendo Palatinatui, caſtra ad Oppenhemium poſuerunt. Georgius Fridericus noſter cum filio ſuo juniore Carolo, huic expeditioni intererat. (o) Spinola die 8. Aug. ad Badenſem ſcripſit, ut Cæſaris partes amplecteretur, vel in bello ſaltem medius eſſet. A Cæſare ſe accepiſſe mandata, ne cum exercitu ſuo Marchicas terras attingeret. Spinolæ iisdem verbis Marchio reſpondit, quibus Leopoldo Archiduci nuper reſponderat; temperaturum ſe ab armis, quamdiu a Fœderatorum Unionis ditionibus abſtinuerint Hiſpani. (p)

Eduardini.

Exercitui Hiſpanico tum quoque intererant Eduardi Fortunati filii, educati Bruxellis. Hi Moguntiam cum Spinola delati, ab Archiepiſcopo Moguntino petierunt, ut litis de Marchia ſuperiore deciſionem Aulico commendaret Judicio. Annuit Elector, atque iisdem in litteris, quas ad Vicecancellarium Imperii, Johannem Ludovicum ab Ulma, de damnis a Fœderatorum exercitu in ſua ditione acceptis, ſcripſerat, monuit eundem, ut hac occaſione

(o) Lotichius rer. *German.* Lib. VII. pag. 188. *Theatrum Europ.* Tom. I. pag. 379.

(p) Londorp. Tom. II. pag. 174.

GEORG. FRIDER.

de reſtituenda Eduardinis Marchia ſua commonefaceret Cæſarem. (*q*)

§. XLVII.

Acta fœderatorum.

Spinola, trajecto ad Moguntiam Rheno, Crucenacum, Alzeyam, Oppenhemium & pleraque Palatinatus oppida, inſpectante Fœderatorum exercitu, in poteſtatem redegit. Fœderati, mutatis aliquoties caſtris, memorabile nihil contra Hiſpanos, reliqua æſtate, geſſerunt. Joachimus Erneſtus, Onolsbacenſis, ſupremus Fœderatorum Dux, vel ab Hiſpanis corruptus, vel militiæ ignarus, rei bene contra Spinolam gerendæ occaſiones neglexit. (*r*) Alii culpam rei in Jacobum, Angliæ Regem, Palatini ſocerum, rejecerunt, qui identidem Fœderatis injunxiſſe creditur, ne Spinolæ, contra Palatinatum nihil hoſtile meditantis, iter morentur. (*s*) Res aliter cum cecidiſſet, Jacobus, artibus Hiſpanorum deluſus, de auxilio Fœderatis ſubmittendo, tandem cogitare cœpit.

§. XLVIII.

Literæ ad Galliæ Regem.

Sub initium belli, in Palatinatu geſti, Bipontinus, Onolsbacenſis, Wirtenbergicus & Durlacenſis noſter, Ludovicum XIII Galliæ

(*q*) JVLIVS BELLVS in *Laurea Auſtr.* Lib. IV. pag. 343. LOTICHIVS *Comment.* Lib. VII. Cap. IV. pag. 196. *Theatrum Europ.* pag. 385.

(*r*) JO. JOACHIMVS a RVSSDORF. in *præf. Conſilii primi* pag. 7.

(*s*) *Theatr. Europ.* Tom. I. pag. 383.

Digitized by Google

Georg. Frider.

Galliæ Regem, de Hiſpanorum irruptione certiorem reddentes, id agere Hiſpanos docuerunt, ut non Palatinatum modo, ſed vicinas quoque Imperii ſubigant provincias. Eorum autem Principum præſertim peti ditiones, qui pro defendenda Imperii libertate, Henrici IV. Galliæ Regis inſtinctu, coaluerunt in fœdus. Bohemicum quidem bellum & ſpretæ Majeſtatis Cæſareæ crimen, invaſionis hujus cauſſas prætendi; ſed manifeſta eſſe Auſtriacorum conſilia, ut libertate Germaniæ everſa, novum ſibi dominatum in ea ſtabiliant. Palatinum cum Bohemia nihil habere commune, neque Cæſari ex privata lite publicam facere permiſſum. Fœderatos nonniſi coactos, tranquillitatis publicæ & ſuæ ſalutis cauſa, arma cepiſſe, ne Palatinatus, qui ex præcipuis Imperii terris, fœderi Unionis adſcriptus, ſubigatur ab extero. In Cæſaris Majeſtatem a ſe nihil prorſus admiſſum. Sperare ſpe, ſpretis adverſariorum calumniis, Regem libertati Germaniæ & Principum, ipſi devinctorum invigilaturum ſaluti. (*t*)

Eodem tempore legati Gallici, Vindobonæ pacis cauſſa agentes, Regem ſuum monuerunt, ſollicite cavendum, ne Palatinatus & Proteſtantes Germaniæ, conjunctis Auſtriacorum & Hi-

(*t*) Scriptum hoc extat in libro alleg. *Ambaſſade extraord.* pag. 425. Aliud ſcriptum, ejusdem fere argumenti, menſe Febr. A. 1621. Galliæ Regi a Fœderatis exhibitum, in quo enixe Regis opem implorant, extat in libro alleg. pag. 539.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

ſpanorum armis opprimantur; quod vicinis Regibus, ſpeciatim Galliæ Regno, periculoſum. (*u*)

§. XLIX.

Transactio cum Spinola.

Cæſar, proſpero rerum ſucceſſu elatus, non modo æquas pacis conditiones recuſavit, ſed & A. 1621. ineunte, Palatinum & ſocios, læſæ pacis publicæ reos, proſcripſit. (*x*) Deſperatis hi rebus menſe Februario hujus anni Heilbronnæ convenerunt. Fridericus V. Georgii Friderici noſtri filius, & futurus ſucceſſor, patris nomine interfuit. Miſſa ad Cæſarem legatio, quæ de pace communi & de reconciliatione Palatini cum Cæſare ageret. (*y*) At negotium cum minus proſpere ſucceſſiſſet, Fœderati, Gallorum, Anglorum, Batavorumque deſtituti auxilio, & rebus ſuis a Cæſare metuentes, interventu Swicardi Electoris Moguntini, & Ludovici Haſſo-Darmſtadienſis Landgravii, die 12. Aprilis Moguntiæ cum Spinola convenerunt, ut die XIV. Maji ejusdem anni copiis e Palatinatu abductis, Fœderati Unionis nulla ratione Palatinum juvarent in poſterum. Ita Evangelicæ Unionis Fœdus omnino ſolutum; (*z*) cujus ſocii pactione Ul-

(*u*) Vide ibidem pag. 349. ſeq.

(*x*) LONDORP. Tom. II. Lib. VI. Cap. I. & II. *Theatrum Europ.* Tom. I. pag. 470.

(*y*) Conditiones, Cæſari a Fœderatis oblatas, exhibet liber allegatus *Ambaſſade extraordinaire* &c. pag. 547.

(*z*) Tranſactionem hanc vide apud DU MONT *Corps Dipl.* Tom. II. P. II.

Digitized by Google

Georg. Frider.

menſi & Moguntina decepti ſunt. Diſſolutio hæc facta eſt Gallis invitis. (*a*)

§. L.

Vinculum cum Palatino.

Ab eo tempore res Palatini perditæ ac fere deſperatæ; quas præter Mansfeldium & Halberſtadienſem Marchio noſter ſuſtentare conatus eſt. Enimvero poſteri Caroli I. Badenſis, obliti malorum, quæ Fridericus I. Palatinus Elector, Marchioni huic intulerat, ſucceſſoribus Palatinis adhæſerunt conſtanter. Inſecuta ſacrorum apud Germanos converſio, firmius reddidit amicitiæ vinculum. Palatinus denique Evangelicæ Unionis caput evaſit; cujus fœderis promotor inter præcipuos fuerat Georgius Fridericus. (*b*) Corona Bohemica Palatino oblata, Durlacenſis ſuaſu ab eodem accepta, vicinas has inter Domos concordiam & amorem adauxit. Bohemica Palatino firmata ſi fuiſſet corona, Marchiæ ſuperioris poſſeſſio firmata quoque fuiſſet Marchioni.

pag. 391. Item in libro: *Ambaſſade extraordinaire* pag. 555. Transactioni, Fœderatorum nomine, Joachimus Erneſtus Brandeburgicus & Johannes Fridericus Wirtenbergæ Dux ſubſcripſerunt. Addatur Lotichius *rer. Germ.* Lib. VIII. Cap. VI. pag. 242. Jul. Bellus *Laur. Auſtr.* Lib. V. pag. 426.

(*a*) Lettres de M. de Puyſieux in libro ſupra allegato: *Ambaſſade* &c. pag. 551.

(*b*) Georgius Fridericus, frater Erneſtus Fridericus dum viveret, zelo pro Lutheraniſmo commotus, contrarias Palatini & fratris, Calvinizantium, partes in Comitiis aliisque Conventibus Imperii fuerat ſecutus. Sed

§. LI.

Epocha infauſta.

In ancipiti hoc rerum Palatinarum & Durlacenſium ſtatu appropinquavit denique A. 1622. in Badenſi Hiſtoria novæ Epochæ momentum. Georgius Fridericus, corpore & animo valens, quinquageſimum ætatis annum nondum ingreſſus; pro Friderico Palatino ultima tentaturus, anno hoc abdicat regimen. Filius illud accipit tremens. Brevi poſt pater prœlio proſtratus & exul; filius a Fœderatis deſertus, Marchiam omnem ſuperiorem amittit; inferiorem omnibus belli furoribus expoſitam videt, ac incertam fatorum. Tabula hæc brevis eſt anni, cujus deſcriptionem aggredior.

Marchio armatus.

Pragenſis victoria, qua Fridericus V. Bohemia expulſus eſt, terruit Fœderatos & ſocerum Palatini, Britanniæ Regem, qui gladium pro generi ſalute ſtringere non auſus eſt. At imperterritus perſtitit Georgius Fridericus; ſpem inter & metum ſemper armatus. Victricia autem Cæſaris, apud Bohemos dominantis, arma magis magisque proferri, ipſumque adeo Palatinatum & Marchias Badenſes gravi periculo expoſitas cerneret, de utriusque defenſione ſollicitus, matura deliberatione habita, tandem in are-

fratris ſucceſſor factus, mutatis conſiliis, Palatino adhæſit; opibus ejus ad retinendam Marchiam ſuperiorem uſurum ſe ſperans.

Georg. Frider.

nam deſcendit, intrepidus & erectus athleta, militarem ſcientiam præ multis edoctus, & ob id ipſum armis ſuis forte nimium confiſus.

§. LII.

Juſtitia armor.

Armorum ſuorum juſtitiam repetiit a Transactione Ulmenſi, qua ad defendendum Palatinatum ſe adſtrinxerant ſocii. Moguntinam vero Pactionem, quam Onolsbacenſis & Wirtenbergenſis cum Spinola iniverunt, adeo ſe non probaſſe contendit, ut quæ Principes illi, Hiſpanico auro corrupti, contra fidem, Palatino datam, tum egerant, impia & perfida exiſtimet; Wirtenbergico vim minatus, niſi Palatinatui laboranti ferret ſuppetias, quas ante Unionem ſolutam promiſerat. Dux, a Marchione ſibi metuens, militem collocavit in finibus. (c)

§. LIII.

Regimen deponit.

Marchio autem præſentiens mala, quibus Domus ſua & Marchiæ expoſitæ, ſi bello ſuccumberet; de abdicando Marchia-

(c) Khevenhüller *Annal. Ferdin.* Tom. IX. pag. 1704. ubi annotat, Marchionem illo tempore agitaſſe conſilia, Eduardinos extirpandi liberos; ut & ex Germania ejiciendi Hiſpanos; reſtituendi Palatinum, eique adjiciendi Ducatum Bavariæ; clericos bonis & reditibus ſpoliandi, in Moguntinum, Herbipolenſem & Spirenſem, omnium malorum auctores, gladio animadvertendi, everſaque religione Catholica, Calviniſmum ſtabiliendi. In odium Marchionis ſcripta hæc eſſe, Lector æquus facile perſpicit.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

rum regimine ſuſcepit conſilium. (*d*) Duodecimus dies menſis Aprilis, Calendarii veteris, poſtremus eſt regiminis Georgii Friderici dies, primusque regiminis, quod Fridericus V. filius adivit; quo ſe abdicans Marchio quaſi claſſicum cecinit bellicorum tumultuum, qui per totos viginti ſex annos Marchicas terras, ad pacem usque Weſtphalicam, agitarunt. Inſtrumentum Caroloburgi perſcriptum eſt. Pater, nihil ſibi reſervans, nulla addita conditione, omne ſuum in Marchias filio tradit imperium. Suſpicio eſt, abdicationem ſimulatam fuiſſe. Res omnis pendebat ab expeditionis eventu. Marchio, regimen deponens civile, militare in exercitum retinuit; qui communibus Unionis Fœderatorum ſumtibus contractus & altus, rupto Unionis fœdere, Marchicis alebatur.

§. LIV.

Vires exercitus.

Octo peditum legiones, viginti & octo equitum turmæ, mille & octingenti currus, fabricæ ſingularis & novæ; omni apparatu militari inſtructi, decem majoris molis tormenta, ſplendidum & agilem ejus A. 1622. compoſuerunt exercitum, qualem nullus unquam Marchionum Badenſium ſuis ſub auſpiciis, ſuoque

(*d*) CARAFA in *Germania reſtaurata* pag. 127. ait: „Cum Georgius Fridericus arma contra Cæſarem ſtrinxiſſet, ac prius filio ditionem ſuam in „magna fraude ceſſiſſet, fuiſſetque aliqua pars ditionum pupillorum „Principum a Marchione Spinola inter alia loca occupata, &c.

Georg. Frider.

ſtipendio in aciem produxit. Militaverant in exercitu hoc Wilhelmus & Bernhardus, ex Saxonica Vinarienſium Domo; quibus cohortes quoque ducendas commiſit. Bernhardus, fulmen illud belli, cujus prudentiam & virtutem decennio poſt, non Germani modo, Sueci & Galli, ſed omnis Europæus orbis mirati ſunt magiſtrum veneratus eſt Georgium Fridericum. Omnis exercitus ejus ad quindecim armatorum millia excurrit; (*t*) nec defuere, qui ad viginti quatuor millia eum excreviſſe putarent. Cum exercitu hoc ſuo Exmarchio, a Friderico Exrege Bohemiæ frequentibus literis excitatus, Marchia ſua profectus eſt, Tillium, Ligiſtici exercitus ducem, ut Palatinatu expelleret.

§. L V.

Rerum Palat. ſtatus.

Palatinus, intellectis Mansfeldii & Halberſtadienſis progreſſibus, ex Batavis per Galliam & Alſatiam, mutato habitu, in Palatinatum ſuum redierat. Perſona Landaviæ depoſita, a Mansfeldio ſumma cum gratulatione exceptus eſt. Mansfeldius tractatus cum Hiſpanis, qui variis conditionibus in partes eum ſuas pertrahere ſtuduerant, eo momento abrupit, atque expugnato Madenburgenſi, Spirenſis Epiſcopatus cis Rhenum Caſtro, Rhenum trajecit; adverſus Tillium, Ligiſtici exercitus ducem, ſuum ducens exercitum. Tillius, cum Bavaricis copiis ad Wiſelo-

(*t*) Carafa pag. 121. Brachelii *Hiſt.* Lib. II. pag. 60.

GEORG. FRIDER.

chium ſedens & Heidelbergæ intentus, intellecto Mansfeldii adventu, copias, ad laceſſendum ſuum exercitum miſſas, repulit, & reliquum exercitum, horum fuga perculſum, quoque fugere coëgit, ad Mingelshemium uſque vicum, duarum fere horarum itinere, victor. Sed Mansfeldius, ibi cum ſociis conſiſtens, vico incenſo, Tillius ne videret, quid ageretur, ſiſtit fugam, reſtituit ordines, agmen convertit, atque in Tillianos impetum facit, qui re inopinata perterriti, victi ſunt, cum viciſſe ſe crederent, atque in fugam conjecti. (*f*) Equus, cui inſederat Tillius, trajectus eſt globo. Hic exercitum ſuum reparaturus, Wimpinam duxit exercitum. At Mansfeldius victor, Seinshemio & Eppinga deditione potitus, Ladenburgum obſedit.

§. LVI.

Marchio producit exercitum.

Opportunum hoc temporis momentum eſſe ratus eſt Georgius Fridericus, quo exercitum ſuum contra Tillium, Wiſelochiana clade a Mansfeldio debilitatum, ſolus produceret. (*g*) Produxit per Palatinatum ad Civitatem Heilbronnam, in cujus vicinia

(*f*) BRACHELIUS Lib. II. pag. 59.

(*g*) Sunt, qui Georgium Fridericum, Mansfeldio junctum, Wiſelochianæ & Mingelshemianæ pugnæ interfuiſſe tradunt. WASSENBERGIUS in *Floro German.* pag. 150. ita ſcribit: „Junxerat ſe Mansfeldio Marchio Badenſis & tradita filio republica, unum totus ſequi Martem decreverat „ & Wislochianæ victoriæ particeps, ſuis a Mansfeldio ſequeſtratis

vicinia ad Wimpinam conſtiterat Tillius. Ratio belli poſtulabat, ut junctis cum Mansfeldio viribus, qui Ladeburgum obſidebat, & aliquot poſt dies expugnaturus erat, Tillium aggrederetur. At Exmarchio, impatiens moræ, & Tillii proſtrati ſolus gloriam re_ portaturus, ſine Mansfeldii auxilio eum aggredi decrevit. Tillius

„ copiis, ſolus, ſolo exereitu, indiviſæ victoriæ gloriam fectabatur: ſed in
„ eontrarium omnia ceeidere & ejus temeritate factum, ut unus ad Wis-
„ loehium viciſſe Mansſeldius videretur. Lotichius *rer. Germ.* Lib. XI.
„ Cap.V. hæc habet: „ Exhortatoriis illis ſuis, antequam ipſe veniret, ad
„ Principes nuper confœderatos, dimiſſis, tantum profecit Fridericus Pa-
„ latinus, ut quoque Fridericus, Marehio Durlaehius, veteris amieitiæ ac
„ fœderis memor, in ſubſidium Palatini, exercitum promte eolligeret,
„ eundemque tormentis, pulvere pyrio, impedimentisque novi ge-
„ neris, atque id genus neeeſſariis, abunde inſtructum educeret. Ini-
„ tio igitur eum Mansfeldio aliquouſque ſe tenuit. Ut etiam victoriæ
„ illius apud Wiſelochium, ſuper Thyllio reportatæ, partieeps videre
„ poſſet. Quod autem ipſe mallet integra potius deineeps, quam di-
„ midiata victoria frui, eenſeretque ſe jam Thillii impetum absque
„ ſociis ſuſtinere poſſe, utique quem vinei quoque paullo ante didiee-
„ rat, eopias ſuas, ſimultate interveniente, a Mansfeldio ſegregavit.„
Auctor Anonymus vitæ Marchionnm pag. 347. ante Wifeloehianam quoque & Mingelshemianam pugnam Marchionis cum Mansfeldio junctionem eveniſſe ſcribit. *Acta Mansfeldica* pag. 153. copias Durlacenſes prœliis illis interfuiſſe teſtantur. Sed ut ex litteris, e Friderici Palatini caſtris, A. 1622. perſcriptis, apparet, Georgius Fridericus non niſi poſt prœlium Mingelsheimenſe ſuas eopias eduxit.

GEORG. FRIDER.

ab exploratoribus conſilium Marchionis intelligens, eum in campo late patente, inter Heilbronnam & Wimpinam, Durlacenſis ubi ſixerat caſtra, magno cum ardore adortus eſt, die 26. Aprilis (A. 1622.) & quidem ſummo mane; ut maculam deleret, quam Mansfeldius ei nuper inuſſerat.

§. LVII.

Prœlium Wimpin.

Burgundicas Hiſpanorum legiones Corduba Tillio tum opportune adduxerat; cujus augmenti ignarus creditur fuiſſe Georgius Fridericus, qui nihilominus numero militum & opportunitate loci Tillio fuit ſuperior; ut Caraſa perſcribit. JULIUS BELLUS (h) autem obſervat, Tillium occupaſſe locum editiorem, indeque Durlacenſes, qui ictus evitare non poterant, graviter ab initio infeſtaſſe tormentis; levi ab ipſis damno accepto. Cruenta dein equeſtris efferbuit pugna; per horas aliquot durans. Præſtantes viri utrimque ceciderunt permulti. Irruerunt pedeſtres aliquot copiæ Durlacenſes in Hiſpano-Bavaricas, acriterque cum illis dimicarunt. Neutra tamen pars alteri ceſſit. Marchio aciem ſuam curribus ſepſerat, qui militibus prœlio feſſis, valli inſtar, receptum præbebant. Propugnaculum hoc ſummis denique viribus aggreſſus eſt Tillius. Impetu facto Cæſareani paululum receſſerunt, ut Durlacenſes elicerent. Stratagema ſucceſſit: Cordubenſis enim, qui ad latus in munimento quodam ſe abſconderat, a tergo ir-

(h) *Laurea Auſtr.* Lib. VI. pag. 526.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

ruens, Marchicos ordines turbavit, & equitatum disjecit. Marchio intra vallum ſe recipere & reſtituere pugnam conatus eſt fruſtra. Reſtitit tamen aliquamdiu peditatus, qui tormentis & ſclopetis multa Tillianis intulit damna.

§. LVIII.

Fuga Marchionis.

Sed improviſa res aciem Marchionis turbavit & perculit. Currus numero quinque, pyrio pulvere onerati, igneque correpti, ſtragem & trepidationem Marchicis intulerunt. Dolo hoſtium, an indiligentia miniſtrorum, an tormenti ictu id factum ſit, nemo definivit. (i) Repentino caſu Durlacenſes perculſi ſunt. Perculſis inſtitit Tillius, donec in fugam effuſi excederent campo. Pugna non ante veſperam finita. Summa utrimque arte, fervore & contentione certatum. (k) Tormenta & currus, quos inter & illi,

(i) CARAFA, ſæpe allegatus, hæc addit: „Cum initio prœlii res Cæſareano„rum fuiſſent in arcto, viſam a milite Hiſpano in acie mulierem can„dido amictu, quæ Catholicos hortaretur ad pugnam, & victoriam „promitteret. Eundem mox militem majori tormento, cui aſtabat, „caſu ignem intuliſſe, ex quo erumpentes pylæ hoſtium inciderint „currus.„

(k) De prœlio hoc legendus eſt JULIUS BELLUS *Laureæ Auſtr.* Lib. VI. pag. 526. LOTICHIUS *rer. Germ.* Lib. XI. Cap. V. pag. 304. *Theatrum Europ.* Tom. I. pag. 626. BRACHELIUS in *Hiſt. ſui temporis* Lib. II. pag. 60. KHEVENHÜLLER *Annal. Ferdinand.* Tom. IX, pag. 1706. ſq.

GEORG. FRIDER.

quibus impoſita pecunia, in Tillii poteſtatem venerunt. (*l*) Supra centum & mille milites capti, multique tribuni & ordinum ductores. Wirtenbergæ Ducis frater, Magnus, fortiſſime pugnans, in prœlio cecidit.

---

qui tamen in eo fallitur, quod Marchionem juvenem Carolum in prœlio extinctum fuiſſe perhibet. Deſcriptio hujus prœlii particulari ſcripto prodiit A. 1622. 4to.

(*l*) JVLIVS BELLVS *loc. alleg.* pag. 527. hæc habet. „Inter alia autem „ duas majores machinas ferreas, quæ pilos ſexaginta librarum emit„ tebant, ſex nova tormenta ænea, anno 1614. fuſa, & Marchionis „ Durlacenſis inſignibus ornata; triginta mediocria & minora ænea „ tormenta: quinquaginta parva mortaria ænea, ingens mortarium, „ quale vix a veteranis & diu in bello verſatis militibus viſum fuerat: „ duo alia nova mortaria ænea, quinquaginta currus, pulvere nitrato, „ funiculis, inſtrumentis bellicis & alio apparatu militari onuſtos; „ quadringentos alios, quibus omnis generis ſarcinæ impoſitæ erant, „ quatuor artificioſis ſcalis, ad oppugnationem faciendam comparatis, „ plenos: ſexaginta longurios, ferrea cuſpide munitos, magnam panis, „ farinæ, ſalis, vini, pecudum, & omnis generis annonæ copiam; „ duos currus, in quibus ducenta viginti quinque millia thalerorum, „ quorum pleraque ab Archiduce Leopoldo cuſa erant, & aliqua regia „ moneta, quam nova unio contulerat, cum aliquot millibus floreno„ rum, quæ omnia militibus prædæ ceſſerunt: duodecim naves ad ſter„ nendum pontem, infra Heilbronnam a Durlacenſibus comparatas, ce„ perunt. Denique ſeptem vexillis peditum & decem equitum cum „ vexillo Marchionis prætorio potiti ſunt, quæ Viennam miſerunt.

Digitized by Google

Georg. Frider.

Marchio victus ad Mansfeldium confugit; (*m*) obſidentem Ladeburgum, cujus obſidionis finem expectare debuiſſet, ut, junctis cum Mansfeldio viribus, Tillium aggrederetur. Inter abdicationem Marchionis & cladem acceptam nonniſi quatuordecim interceſſerant dies.

§. LIX.

Sequelæ cladis.

Infelix hoc ad Wimpinam prœlium non modo Badenſium & Palatinorum, ſed & Germaniæ Proteſtantium fortunam proſtravit. Palatinum una perdidit in Bohemia pugna; Durlacenſem unum perdidit in Suevia prœlium; quo amiſſo, Palatinatum Exrex Bohemus, & Marchiam ſuperiorem Exmarchio Durlacenſis ſuæ lineæ amiſit; Palatinatui ſuo reſtituturus Fridericum. Ille Caroloburgi, quo poſt prœlium ſeceſſerat, die 3. Maji, ad Joachimum Erneſtum Brandeburgicum ſcribens, aperit ei, ad Wimpinam ſe progreſſum, ut caſtra ibi figeret, non ut provocaret ad prœlium. At celeritate hoſtium & fervore ſe adactum, ut rem certamini committeret. Poſt continuas bidui velitationes denique ceſſiſſe ſe loco, amiſſis tormentis & nervo belli, ſtipendiorum pecuniis, ſed hoſtes cruenta potitos victoria; cum ſinguli militum ſuorum tres vel quatuor ceciderint hoſtes nullusque eorum perierit inultus. Ex

Bb 3

(*m*) Tradit Khevenhüller *loco alleg.* Marchionem fugientem abjeciſſe armaturam corporis, quæ Leopoldo Archiduci dono data.

Georg. Frider.

præcipuis ductoribus neminem fere deſiderari præter Magnum, Wirtenbergæ Ducem, qui fortitudine & prudentia ſua, cauſæ publicæ multum præſidii potuiſſet afferre. Damna, hac clade accepta, facile poſſe reparari; conſtituiſſe ſe, collectos e fuga milites, proximo quoque die, in hoſtes educere.

§. LX.

Geſta reliqua.

Enimvero Georgius Fridericus cum reliquiis exercitus ſui toto menſe Majo ſtetit in armis, & cum Erneſto Mansfeldio rem Palatini utcunque ſuſtinuit; Ladenburgum expugnavit, evertit; Rheno trajecto liberavit Hagenoam, quam Leopoldus Archidux obſidione premebat; captoque Druſenhemio, Leopoldi & Alſaticas Hanoviæ Comitis ditiones late vaſtavit. Poſthæc Mansfeldius cum Exrege Bohemiæ & Exmarchione, relicta Alſatia, die XXIII. Maji Rhenum transgreſſus, inopinato impetu cepit Darmſtadium, & vicinum omnem agrum miſere vaſtavit; quod Ludovicus Landgravius Cæſaris partes conſtanter ſecutus eſt, uti Caſſellanus Anti-Cæſareanas amplexus eſt partes. Darmſtadienſis, propoſitis a Mansfeldio conditionibus ſubſcribere nolens, cum filio Johanne fugam arripuit, ſed in itinere ab excubitoribus Durlacenſibus captus, Carolo, Georgii Friderici filio juniori, traditus, ab eo ad patrem Marchionem deductus eſt. Omnes hic vires intendit, ut Landgravium Palatino redderet faventem. At ille ingenue & conſtanter profeſſus eſt, nullo metu, nulla ſpe, unquam a fide,

Digitized by Google

Cæſari data, diſcedere ſe poſſe. Palatinus Landgravium, qui ad eum fuerat deductus, mancipavit cuſtodiæ; atque exercitum ſequi juſſit; æquiores pacis conditiones a Cæſare ſe obtenturum confidens, ſi captivum retineat. (*n*)

§. LXI.

Sed omnia Palatini & Fœderatorum conſilia brevi poſt (die 9. Junii) intervertit Chriſtiani Halberſtadienſis, a Tillio profligati, clades Hœchſtiana ad Mœnum, quæ in his partibus bellum terminavit. Palatinus enim non Halberſtadienſem modo, ſed & Mansfeldium atque Marchionem noſtrum poſt cladem hanc exauctoravit; (*o*) Cæſaris ſe committens arbitrio; quem faventiorem ſibi fore crediderat, ſi deponeret arma; ut ſocer ei ſuaſit, Rex Angliæ, Jacobus, ab Hiſpanis deceptus. Marchio copias dimittit.

In his rerum anguſtiis ſuas quoque copias die XII. Junii Georgius Fridericus dimiſit; literis ad Pleickardum Helmſtadium, primarium ſui exercitus ducem, ſcriptis, quibus de triſti patriæ ſuæ & Proteſtantium ſtatu pauca præfatus, non aliam ſibi ſupereſſe viam declarat, quam ut arma deponat. Injungit Pleickardo, ut tormenta cum inſtrumentis & impedimentis bellicis Schreckium mittat ad Rhenum, cum equitum comitatu; curaturum ſe,

(*n*) Khevenhüller *loco. alleg.* pag. 1723. ſeq. Julius Bellus pag. 546.

(*o*) Halberſtadienſis & Mansfeldii exauctoratio facta die XIII. Julii 1622.

Tillius eodem Julio menſe, quo ſocios ſuos, Cæſari ut placeret, Palatinus exauctoraverat, Heidelbergam obſedit, menſe Septembri cepit; expugnavit Manhemium. Palatinatus amiſſus.

§. LXIII.

Sed & Cæſarea ſententia ſuperiorem mox Marchiam Durlacenſis amiſit, quam A. 1617. ab Imperatore Matthia in perpetuum obtinere potuiſſet, ſi Badenſem Spanheimenſis Comitatus partem, cum Marchionis titulo, Eduardinis liberis concedere voluiſſet; quod in Francofurtano Conventu legati Cæſarei Georgio Friderico obtulerunt. Imprudentiæ eum non pauci accuſant, quod Evangelicæ Unionis opibus nimium confidens, tam æquas litis componendæ conditiones tam pertinaciter recuſaverit. Cæſareo enim judiciali decreto Eduardinis reddenda quoque jam fuit omnis ſuperior Marchia. Judiciarium ordinem in omni hoc obſervatum negotio, Georgius Fridericus ipſe ad Senatum Populumque Argentinenſem Februarii Calendis 1622. perſcripſit. Marchia ſuperior.

§. LXIV.

Ultimo Octobris A. 1620. Marchioni, ad Judicium Senatus Aulici vocato, bimeſtre tempus exceptioni præfixum. Marchio ab Imperatore, male informato, ad Imperatorem melius informandum, & ad Status Imperii provocavit. Sed alio mox decreto, die 25. Febr. A. 1621. impoſita ei denuo in judicio compa- Judiciarius ordo.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

rendi neceſſitas. Eodem, quo nuper, modo, poſt tres menſes, a Marchione reſponſum. Tertium denique ab eodem Senatu die 30. Julii A. 1621. ejusdem formæ emanavit Decretum: ad quod eadem reſponſio cum Apologia, qua Georgius Fridericus recuſati judicii rationes exponit. Hæc die 25. Aug. A. 1621. miſſa ad Aulam, quæ provocationis nullam habuit rationem. Quin imo de rei novitate, ad imminuendam ſupremi judicis auctoritatem compoſita, litteris, die XIV. Decembris ad Marchionem datis, queſtus eſt Cæſar; appellationis formulam ei remittens; Matthiæ Imperatoris ſecutus exemplum; qui die 7. Junii A. 1613. eandem fuerat viam ingreſſus. Idem egit Moguntinus Elector, cui Marchio ſimile provocationis exemplum transmiſerat, ut cum Statibus Imperii in Comitiis illud communicaret. Georgius Fridericus alio ſcripto die 31. Jan. 1622. Electori reſpondit.

§. LXV.

Reſtitutio Marchiæ ſuper.

Infelix ad Wimpinam prœlium, his rebus interveniens, liti finem impoſuit. Auguſto enim menſe ſententiam pronunciavit Cæſar, ut ſuperior Marchia, cum refuſione ſumtuum & damnorum, primogenito Eduardi filio reſtitueretur. Reſtitutio facta eſt eo modo, quem ſupra expoſui. (*q*) Ita Marchiam ſupeperiorem Badenſem, quam Erneſtus Fridericus per novennium, Georgius Fridericus per octodecim tenuerant annos, Frideri-

(*q*) Tom. III. pag. 84. ſeq.

Digitized by Google

cus V. in primo regiminis aditu reſtituere coactus eſt. Pater interea degens Hachbergæ, biennium ibi vixit privatus. Quum autem A. 1624. menſe Auguſto novus Bavariæ Ducis exercitus Marchionatum infeſtaſſet, Exmarchio, menſe Octobri Genevam tranſivit. (r)

§. LXV.

At in ipſo hoc Helvetico ſuo receſſu inquies, de novis auxiliis Palatino adducendis, cogitavit. Joachimus de Ruſsdorff, qui res Friderici Exregis in Aula Anglicana procurabat, in Monitis Politicis, quæ Jacobo Regi illo anno (1624.) exhibuit, id aperte profitetur. „ Marchio Badenſis ſenior, inquit, (s) occa-
„ ſionem expectans, paratus & promtus eſt exercitum & mili-
„ tem parare, modo videat, alibi etiam bellum ſurgere & ho-
„ ſtes occupari. Helvetios ſibi auxilio affuturos, aut ſaltem
„ clam juvaturos ſperat, ut exercitum poſſit conſcribere & edu-
„ cere, quem vel conniventibus, vel non impedientibus illis, ſi-
„ ne mora & impedimento concenturiabit. „

Nova Marchionis conſilia.

Placuit denique, ut Regis Angliæ, Regis Gallorum, Sabaudiæ Ducis ac Venetæ Reipublicæ pecunia XX. mille armatorum exercitum Marchio noſter colligeret, in Alſatiam & in Palatinatum irruptionem facturus; quod conſilium, mortuo Jacobo

(r) Junglerus in *vita Georgii Friderici.*

(s) In libro cujus rubrum: *Conſilia & negotia publica* pag. 100.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

patre, Rege imbelli, Ruſsdorffius (*t*) Carolo ſucceſſori commendaverat. Helvetii huic bello acceſſuri videbantur, quibus Auſtriæ vicinæ potentia ſuſpicionem commovit. Sed Cæſar, miſſis confeſtim in Alſatiam copiis, & Leopoldo Archiduce ſummæ rerum præfecto, conſilium evertit. Unde Marchionis in Alſatiam & Palatinatum expeditio ne quidem tentata eſt.

Acta Genevæ.

Genevæ cum viveret Marchio, in ædibus ille ſuis ſacra ſua Lutherana peregit. His paulatim & alii, vel cives vel exteri, cum frequentes accederent, petiit Senatus, ut extraneos excluderet. Marchio petitum, aliquoties repetitum, contemnens, denique menſe Februario A. 1626. Geneva relicta, Tunonium, Caballicenſis Ducatus oppidum, ſe contulit, ubi a Sabaudiæ Duce Carolo Emanuele domeſticum quoque religionis ſuæ exercitium obtinuit. (*u*)

(*t*) *Loco alleg.* pag. 173. ubi ita differit,„ Confœderati ſerio cogitanto, quomo-
„ do diverſio in Alſatia per ſeniorem Marchionem Badenſem, qui pro-
„ nus eſt eam ſuſcipere, ſi de mediis, quæ proponit & petit valde
„ parabilia & bene ſecura, proſpectum fuerit, fieri poſſit. Gallo
„ aliquid ſubſidii pecuniarii & Helvetiis vicinis aliquid auxilii confe-
„ rentibus. „

(*u*) SPON. *Hiſt. de Geneve* Tom. I. Lib. III. pag. 487. ubi annotat, Marchionem Syndico Civitatis, mandata Senatus exponenti, ictus intentaſſe, cauſatum; Gebennam eſſe Imperii Civitatem, in qua ſui ipſe juris ſit & plena libertate gaudeat. Sed confutat hæc AUCTOR *Annotationum ad Hiſtoriam Sponii* pag. 488. litt. O.

§. LXVI.

In illo receſſu ſuo Georgius Fridericus, a Carolo Angliæ & Chriſtiano Daniæ Regibus, ad induenda rurſus arma bellumque alienis ſumtibus gerendum invitatus eſt. Carolus peculiaribus litteris, die 10. Nov. 1626. Weſtmonaſterii datis, Marchioni noſtro poteſtatem conceſſit, ut quater mille pedites & mille equites regiis ſuis ſumptibus conſcriberet, atque ad vindicandam libertatem Germaniæ; ad reſtituendum Palatinum & defendendos ſocios, vi injuſta oppreſſos, quanta poſſet diligentia in aciem educeret, ageretque ea omnia, quæ utilitati communi, Palatini & ſociorum ſaluti expedire viderentur. (*x*) Præterea Rex pacem ſe non facturum promiſit, niſi incluſo Marchione, qui, miſſo tum Venetias legato, omnem operam impendit, ut in ſocietatem conſilii adduceret Venetos. Anglus jam antea (*y*) ad Chriſtianum IV. Daniæ Regem ſcripſerat, ſe ductu Marchionis rebus Germaniæ Daniæque afflictis opem laturum. (*z*) Fœdus cum Rege Angliæ.

§. LXVII.

Vigor mentis & corporis, ardor bellandi, cauſæ Palatinæ ſtudium, induxerunt Marchionem, ut A. 1627. copias, An- Expeditio in Holſat.

(*x*) Literas has vide in RYMERI *Actis publ.* Tom. VIII. Part. II. pag. 112.

(*y*) X. Kal. Octobris.

(*z*) Extant hæ litteræ Mſ. in Tabulario Bada-Durlacenſi.

GEORG. FRIDER.

glica quas collegerat pecunia, Angliæ Regis fœderato, Daniæ Regi, in Holſatiam adduceret. Danus Generalis copiarum ſuarum Locumtenentis dignitate Marchionem condecoravit. (*a*)

Annus hic Daniæ Regi & Marchioni noſtro fuit omnino fatalis. Exercitus ejus, quem anno præcedente Tillius ad Lutteram fuderat, per Wallenſteinium ejusque Legatos pulſus eſt ex Sileſia, Brandeburgica Marchia, & ex Meclenburgi Ducatu. Infelicium horum eventuum teſtis interfuit Georgius Fridericus, qui tranquillus & ſecurus e longinquo in ſeceſſu ſuo hæc ſpectare potuiſſet. Sed fatis agitatus adverſis, in ora boreali maritima non felicior, quam in Rhenenſi & Suecica fuit. Tillium utrobique implacabilem expertus eſt hoſtem; qui cum Fridlando proſperis inſiſtens ſucceſſibus, Cimbricæ Cherſoneſo denique Danum & Marchionem noſtrum incluſit. (*b*)

§. LXVIII.

Clades Marchionis.

Hic, appropinquante Wallenſteinio, Wiſmariæ naves cum copiis ſuis conſcendens, ex Meclenburgico Ducatu in Wagriam, Holſatiæ provinciam, tranſiens, ad Heiligenhavæ portum appulit, milites ad Grotenbrodam in terram expoſuit. (*c*) Schli-

(*a*) *Theatrum Europæum* Tom. I. p. 982. LOTICHIUS *rer. Germ.* Lib. XVII. Cap. IV. pag. 498.

(*b*) PUFENDORF. *rer. Suecicar.* Lib. I. §. 49. ſeq.

(*c*) HOLBERG *Daniſche Reichshiſtorie* Tom. III. pag. 754. CARAFA *Ger-*

ckius, Wallenſteinii Legatus, fugientibus inſtitit, atque die 25. Septembris ejusdem anni (1627.) omnem Marchionis noſtri exercitum circumdedit, cecidit vel cepit. Prœlii locum ſilent plerique. (*d*)

mania reſtaur. pag. 308. & 315. Wassenberg. *Florus Germanicus* pag. 151.

(*d*) Noviſſimus rerum Danicarum ſcriptor Rochius (des Roches) in *Hiſtoria Daniæ*, Gallice ſcripta, Tom. V. pag. 349. Marchionem ad *Winmar*, vel *Triſmar*, adventante Schlickio, caſtra habuiſſe refert. Intelligenda videtur eſſe Clamaria, qui locus eſt Wagriæ, unde Præfecturæ nomen. Idem auctor tradit, Marchionem a Schlickio cinctum, antequam prœlium iniretur, conſcenſa navi, quam in littore maris Balthici repererat, cum præcipuis Præfectis fuga ſalutem petiiſſe; exercitum autem, quem nonniſi quinque millium fuiſſe putat, deditione facta, in Schlickii victoris verba juraſſe. Carafa *loco alleg.* pag. 316. ait: Marchionem cum copiis ſuis in anguſtias inſulæ cujusdam prope Kielam redactum, deletisque duabus legionibus Bernhardi Ducis Vinarienſis & Nellii, ceteros tam arcte incluſos, ut vel aquis ſe committere, vel Schlickii arma perfringere cogerentur. Addit pag. 319. „Optima forte Co„mes Schlickius apud Cimbricam Cherſoneſum prope Kielam, poſt„quam dudum hoſtium copias obſediſſet, fugiente Marchione Durla„cenſi, cum præcipuis Ducibus via maris & diſſipatis primis legioni„bus, totam illam partem exercitus Daniæ Regis, quæ eidem Marchio„ni commiſſa fuerat, ſuperavit, ademtisque 27. ſignis peditum & ſex„decim equitum, ſine ſanguine Cæſareis copiis adjecit, atque ulte„rius progreſſus, quaſi totam præfatam Cimbricam Cherſoneſum ſeu

GEORG. FRIDER.

Polonicarum rerum haud indiligens ſcriptor, PAULUS PIASECIUS, ſex millia peditum, duo millia equitum in prœlio hoc cæſa fuiſſe refert. (e) Quadringenta militaria ſigna; viginti tormenta bellica, vel triginta duo, ſi LOTICHIUM (f) audias, cum copioſa ſupellectile caſtrenſi, in Schlickii victoris poteſtatem venerunt. Marchio cum Præfecto ſuo Nellio, paucisque tribunis navium ope evaſit. Ceteræ legiones in Cæſaris verba jurarunt, qui victoria hac, præter Gluckſtadium & Crempam, Holſatia potitus eſt tota.

§. LXIX.

Argentinam ſecedit.

Poſt infelicia hæc fata Georgius Fridericus, a bellicis curis animum revocans, Argentoratum conceſſit, ubi Domum habuerant Durlacenſes Marchiones, cum inſigni Draconis, prope pontem D. Nicolai, quæ ſeculo ſuperiore in Gubernatoris urbis ædes converſa. Ibi tranquillam vitam agens, litteris & præſertim librorum ſacrorum lectioni vacavit, quas undeſexagies ſe legiſſe, ipſe manu ſua in primis exempli ſui, quod formæ minoris eſt, paginis annotavit. Terras Marchicas tamen, quoties Suecorum arma in his partibus prævaluerant, inviſit.

§. LXX.

„ Jutiam, occupavit. Kiela, cujus hic mentio fit, non eſt Chilonium, „ Holſatiæ caput, ſed ſinus, uti videtur, ad littora Wagriæ. „

(e) *Chronica Geſtorum in Europa ſingularium* pag. 397. Adde *Theatr. Europ.* Tom. I. pag. 986.

(f) *Rer. German.* Lib. XVIII. Cap. I. pag. 500.

§. LXX.

Memorabile eſt teſtamentum, quod ſeptennio ante abdicationem (A. 1615.) de Marchiæ & Domus ſuæ ſalute ſollicitus, condidit Caroloburgi, die 17. Novembris, quod Pragmaticam Erneſtinæ ſuæ lineæ ſanctionem conſtituit. Præcipua ejus capita hæc ſunt: Teſtamentum ejus.

I. Omnia teſtamenta, quæ ſuperioribus annis condidit, revocat.

II. Filiis & Succeſſoribus conſtantiam in Evangelica religione commendat.

III. Sepulturam eligit Pforzhemii in Collegiata S. Michaëlis Eccleſia, ubi & uxor ejus Agatha, Erbacenſis Comitiſſa, ſepeliatur. Exequias, Balſamationem, Epitaphium, ordinat.

IV. Renunciatio Principum feminarum perpetua Lex ſit Domus Badenſis.

V. Filii prioris matrimonii educentur in Aula Principis regentis; poſteriores apud matrem, usque ad annum octavum completum. Matri centum floreni pro ſingulis liberis, pro filia, quæ annum 8. egreſſa, 200. floreni quotannis pro victu & amictu ſolvantur.

VI. Singulæ Principes filiæ, poſtquam renunciaverint ſucceſſioni, accipiant 500. florenos.

VII. Si Marchioniſſa vidua ad ſecundas nuptias vel ad aliam

Digitized by Google

Georg. Frider.

religionem procedat, filiæ ad Marchionis viventis Aulam transferantur, & in Lutherana educentur religione.

VIII. Durlacenſis Gymnaſii & Sulzbergenſis ſcholæ conſervatio & emendatio commendatur.

IX. Commendatur obſervatio tractatuum, privilegiorum, contractuum, quos inivit deditque teſtator.

X. Fridericus, Carolus & Chriſtophorus, filii ejus, conſtituuntur heredes. Excluduntur filiæ, quamdiu maſculus ſuperſtes. Dos filiarum ſit decies mille florenorum, ut Erneſtus teſtamento ſuo A. 1550. ordinavit. Intelligitur hoc de filiabus Marchionis Regentis, de reliquis ipſe Regens diſponat. Principi Regenti, cum annum vigeſimum quintum compleverit, ſubditi præſtent homagium, ante complementum præſtetur tutoribus.

XI. Terræ Badenſes in poſterum nulli diviſioni obnoxiæ, ab uno Principe regantur.

XII. Jus primogenituræ & ſucceſſionis linealis agnaticæ ſtabilitum.

XIII. Princeps Regens in regimine ſtatuta ſequatur Majorum, niſi teſtator ante mortem nonnulla in utilitatem Domus immutet. Neque hæc contrarientur conſenſui, quem teſtator dedit, ratione permutationis, quam Marchio Erneſtus cum Wirtenbergica Domo inivit.

Digitized by Google

Georg. Frider.

XIV. Marchio regens ſolus onera portet, ſolus quoque tria ſuffragia, ſuperioris nempe & inferioris Marchiarum Badæ & Marchionatus Hachbergæ in Circulo Suevico, ut & ſuffragium Comitatus Spanheimenſis in Circulo Rhenano habeat; atque omnes, quicunque ſunt, Marchiones Badenſes præcedat. (g)

XV. Si Marchio Regens anno vigeſimo ſexto ætatis ſuæ non duxerit uxorem, aut poſt quinquennale matrimonium non habuerit heredem, proximus heres matrimonium ineat, qui ſi id facere neglexerit, intra anni ſpatium ſequens id faciat heres. De cetero omnibus Principibus Domus liberum ſit ducere uxorem, ſi Princeps Regens conſentiat, vel ejus tutores.

XVI. Omnes Marchiones, non regentes, eosdem cum regentibus titulos gerant.

XVII. Carolus, ſecundo genitus teſtatoris filius, Badenſem portionem Comitatus Spanheimenſis ulterioris, & Chriſtophorus tertius Princeps, Præfecturam Grefenſteinenſem obtineant, ut inde percipiant fructus; (h) ſed ſalva ſuperiori-

(g) Tum temporis omnes terræ Badenſes erant in manibus Lineæ Durlac. & Eduardini liberi extorres.

(h) Terræ hæ ex ſententia Cæſaris ad Wilhelmum Bada-Badenſem quum poſtea rediiſſent, Georgii Friderici Marchionis interventu A. 1624. die 16.

Digitized by Google

tate Principis ſenioris, Friderici, cui intra annum feudale homagium præſtare teneantur.

XVIII. Quodſi ſecundus Princeps ſine maſculis moriatur heredibus, junior in Comitatu Spanheimenſi ſuccedat, & huic in Præfectura Grevenſteinenſi ſuccedat, ſi quis adhuc naſceretur filius. Unicus autem ſi ſuperſtes ſit cum Principe Regente frater, ille ſolus Spanheimenſes & Grevenſteinenſes poſſideat terras.

XIX. Poſſeſſores hujus Comitatus & Præfecturæ, dotem & vidualitium uxori ſuæ conſtituere poſſunt, Principis Regentis permiſſu.

XX. Appanagia nec alienare, nec oppignerare licitum eſt, niſi ob liberationem ex captivitate. Fiat id tamen cum conſenſu Regentis, ut proprietarii terrarum. Eum in finem poſſeſſores litteras antigraphas offerant Regenti.

XXI. Si moriente teſtatore, Spanhemium & Grevenſteinium non

Febr. inter tres filios ita transactum eſt, ut Carolus ſecundo genitus ſepties mille thaleros annuos, Chriſtophorus quater mille perciperet, uniusque deficientis portio accreſceret alteri. Marchia ſuperior Friderico ſi fuerit reſtituta, Carolus Spanheimenſis Comitatus, vel Lahrenſis Dynaſtiæ partem Badenſem; at Grevenſteinii Præfecturam Chriſtophorus accipiat. Earum ditionum reditus a penſione annua deducat Fridericus. Reliqua teſtamenti capita confirmantur. Id addo, conventionis hujus inſtrumentum authenticum in Tabulario Durlacenſi, quod Baſileæ eſt, non extare, adeoque dubium eſſe, an illa fuerit perfecta.

amplius forent in ejus poteſtate, contenti ſint filii juniores eo, quod illis aſſignabitur infra. Si Comitatus & Præfectura non tantum redituum ferant, quantum junioribus aſſignatum eſt fratribus, ſuppleat ſenior, qui illos in poſſeſſione eorum defendat. Illi tamen ante 25. annum neutrius adminiſtrationem poſſint adire. Officiales, quos conſtituunt, jusjurandum præſtent Marchioni Regenti.

XXII. Principes, ætate minores, in Aula Regentis ad annum usque 18. educentur.

XXIII. Quodſi præter Marchionem Regentem, unus tantum ſupereſſet Princeps, huic poſt completum annum 25. vel, ſi conſilio Regentis, aut tutorum ejus, matrimonium contrahat, 5000. floreni annuatim ſolvantur. Si ſint duo vel tres, ſinguli 3000. florenos accipiant, ſi quatuor vel plures, 2000. floreni ſingulis porrigantur.

XXIV. In tali rerum ſtatu junior Princeps, ſi matrimonium contrahat, in Spanheimenſi Comitatu, vel in Dynaſtia Grevenſteinenſi domicilium figat. Quod ſi terræ hæ amitterentur, occupet Badevillam & Caſtrum Sulzberg cum oppido, ſi vidua Marchioniſſa, loca illa occupans, morte vel alio modo ea reliquerit. Accipiat porro 5000. florenos cum frumentis, vino, venatione; reſervato ſemper ſeniori ſuperioritatis jure,

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

a quo etiam Badevillam & Sulzbergam teneat in feudum; ſed filio ſucceſſori Regentis has terras reſtituat.

XXV. Mobilia omnia maneant in manibus ſolius Principis Regentis. Reliquis, ſi unus modo eſt, 5000. floreni; ſi duo, ſingulis 4000. floreni, ſi vero tres vel plures, ſingulis 2000. floreni, & quidem nonniſi eo tempore, quo ad nuptias tranſeunt, ſolvantur.

XXVI. Primogenitus Marchio junioribus nihil debet ratione terrarum.

XXVII. Quibus conditionibus cum Eduardinis liberis transactio ineunda ſit, ſi obveniat occaſio, Marchio præcipit.

XXVIII. Prioris conjugis hereditas inter filias ejus dividatur.

XXIX. Filiis commendantur boni mores & debitorum ſolutio.

XXX. Pro curatoribus & tutoribus filiorum minoris ætatis, ſi qui ſupereſſent, teſtatore moriente, Joachimus Erneſtus, Marchio Brandeburgicus, & Jo. Fridericus Wirtenbergæ Dux, commendantur, qui eos in Evangelica religione educabunt, ad exteros ſtudiorum cauſſa mittent. Senior maneat domi, nec duo Marchiones eodem tempore ad exteros mittantur.

XXXI. Evangelica religio conſtanter ſervetur. Marchio religionem mutans, terris privetur.

XXXII. Expellantur Judæi ex omnibus Badenſibus terris, nec unquam admittantur.

XXXIII. Forma regiminis præſens ſervetur, ſaltem Principe in

Digitized by Google

ætate minore conſtituto. Conſiliarii Intimi ſint Evangelicæ religionis. Res, ſtatum publicum concernentes, ad Curatores & Tutores deferantur. Adminiſtratio juſtitiæ, conſtitutio, depoſitio officialium & Miniſtrorum Eccleſiæ ad Conſiliarios Intimos ſpectet.

XXXIV. Judicium Aulicum, Matrimoniale & Conſiſtorium in ſuo ſtatu ſerventur. Filius natu maximus; minor licet annis XXV. quotidie Conſilia, præſertim Intimum, frequentet.

XXXV. Jus Provinciale quantocius perducatur ad finem.

XXXVI. Principes ad completum uſque annum 25. feminæ uſque ad matrimonium, ſub curatela vivant.

XXXVII. Si duo tutores vel moriantur vel mutent religionem, aut eam non ſtricte obſervent, alius Princeps, Unioni addictus, eligatur.

XXXVIII. Conſiliariis tutelæ vel curatelæ commendatur ſilentium.

XXXIX. Si ſucceſſor moriatur, relictis minoribus ætate, iidem tutores rogantur, ut continuent tutelam.

XL. Si quæ lites inter heredes oriantur, res componatur per arbitros.

XLI. Succeſſor non recedat ab Unione, quæ A. 1608. d. 8. Maji inter Principes Proteſtantes inita: ſervet quoque fœdus, cum Turicenſibus & Bernatibus initum.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

XLII. Equeſter ordo a ſucceſſore quovis modo augeatur, promoveatur.

Ad perpetuam & inviolabilem hujus Teſtamenti obſervationem filii Principes obligantur.

Diſpoſitio hæc Principem ſapit, omnia animo complexum, Marchiam quæ poterant reddere tranquillam, florentem.

§. LXXXI.

Obitus.

Argentorati tandem die 24. Septembris A. 1638. ætatis 65. deceſſit, poſtquam, patre mortuo, per 45. annos vel ipſe, vel ſub tutoribus geſſiſſet regimen, atque per 16. annos vixiſſet privatus. In tam diuturnis Belli Germanici motibus Georgius Fridericus a Cæſare nunquam nominatim proſcriptus, Palatini partes licet ſemper ſecutus ſit. Sarcophago inſcripta fuit notitia ſequens: „ Hoc in loculo corporetenus recumbit Quondam Sereniſſimus Princeps ac D. D. GEORGIUS FRIDERICUS Caroli F. Marchio Badenſis & Hachberg: Landgravius Sauſenberg: Comes Spanh: & Eberſt: Dn. Rœtelæ, Badenwiler, Lahr & Mahlberg &c. Heros magnanimus, Pietatis cultor devotiſſimus, religionis puræ Auguſtanæ Confeſſionis & Germaniæ libertatis aſſertor conſtantiſſimus, VIRTUTE, quo Symbolo uſus eſt, tam militari, quam togata, præclarus, Dux belli fortiſſimus, litterarum & linguarum ſcientia, multis pe-

„ regri-

Georg. Frider.

„ regrinationibus parta, incomparabilis, innumeris calamitati-
„ bus obrutus, nunquam fractus, quem uno verbo ſine adula-
„ tione dixeris coronam Principum. Natus Caroliburgi
„ A. MDCXXIII. XXX. Jan. Marchicarum ditionum partem
„ cum Dnis Fratribus XI. omnes conjunctim ad XVIII. annos
„ rexit, vixit annos LXV. menſes VII. dies XV. obiit Argen-
„ tinæ XIV. Sept. A. MDCXXVIII. cujus anima vivit in
„ Deo. „

Inſcriptionem hanc Tabularium Badenſe aſſervat. Sarcophagus autem, in quo Georgii Friderici corpus quieſcit, quem in locum deportatus ſit, nobis non liquet. In Cathedralis Argentinenſium Eccleſiæ crypta depoſitus fuiſſe videtur, donec, pace reducta, cryptæ inferretur majorum. Deportationis autem nulla nobis documenta ſuperſunt. Inter Marchiones, Pforzhemii ſepultos, Georgius Fridericus certe non extat.

§. LXXII.

Charaćter.

Princeps fuit, Marchionum Badenſium nulli ſecundus, cui nihil defuerat præter fortunam. Simonius, Cathedralis Eccleſiæ Metenſis Primicerius, Theologus Doctor, in literis ad Subdatarium Pontificis, Romam datis Nancejo, ita de eo: „Marchio Ba-
„ denſis, Princeps Lutheranus, inter Germaniæ Principes inge-
„ nii præſtantia ac doctrinæ laude celebriores numeratur.

Digitized by Google

Georg. Frider.

Omnium Badenſium ditionum poſſeſſor, in Collegio Principum tria tulit ſuffragia, Hachbergicum nempe & Badenſia duo, quod Marchionum Badenſium contigit nulli.

Senioris fratris ſui, Erneſti Friderici, imitatus exemplum, politicas Majorum ſuorum mutavit rationes. Carolus I. Cæſari contra Fridericum I. Palatinum adhærens, libertatem amiſerat, Georgius Fridericus, contra Cæſarem Friderico V. Palatino addictus, Marchiam ſuperiorem amiſit. Palatinatum ut Palatino ſervaret, Marchiarum ſuarum ſe abdicavit regimine. Durlacenſibus ſuis Marchiæ ſuperioris ut firmaret poſſeſſionem, regimen utriusque filio tradidit vivus. Quodſi oblatas ab Imperatore Matthia conditiones, ut ſupra oſtendi, acceptaſſet, aut Ferdinando II. A. 1620. ſe opponere deſiiſſet, Marchiæ inferiori ſuperior manſiſſet conjuncta. At Fœderatis ſuis nimium confiſus eſt; experientia nondum ſatis edoctus, lubricum eſſe fœdus, pluribus quod ſociis conſtat, quod vel Smalkaldicum ſeculi præcedentis fœdus eum docere potuerat. Quam parum fiduciæ in Angliæ Rege Jacobo, Principe imbelli. In Halberſtadienſi & Mansfeldio, quam parum præſidii. Wimpinenſi prœlio ſi victor evaſiſſet, momentanea ejus fuiſſet victoria. Quam leve damnum ille Cæſari, Hiſpanis & Ligæ intuliſſet, tantis impar impenſis; ac potente deſtitutus fœderato.

Digitized by Google

GEORG. FRIDER.

§. LXXIII.

Scientia militaris.

Eruditæ ejus rerum militarium ſcientiæ veteris & novæ in Bibliotheca Bada-Durlacenſi Carlsruhæ præſtans ſupereſt monumentum. Commentarios bellicos intelligo, qui tribus (*i*) voluminibus maximæ molis conſtant, quos A. 1614. decimo quarto Quintilis conſcribere cœpit, ex præcipuis ævi ſui & vetuſtioris rei bellicæ Scriptoribus (*k*) concinnatum; in quo omnia ſollicite

(*i*) Agitur Tomo I. de bello in genere, de officiis ſummi copiarum ducis, de mediis parandi pecuniam ad alendos milites, de annona & commeatu militari, de molendinis militaribus, de furnis, de re tormentaria & ſupellectiie militari, de medicamentis caſtrenſibus, de literis conductitiis, de conſcriptione & luſtratione exercitus, de diribitoribus & ſcribis cohortium, de armis, de cancellaria caſtrenſi.

Tomus II. exhibet collectanea de caſtris metandis, hoſpitiisqne deſignandis, de excubiis & vigiliis, in caſtris ac hoſpitiis, de ſanitate militum in caſtris conſervanda, de alendis & curandis ægris vulneratis, de judicio equeſtri, de exercendis inſtruendisque militibus, de caſtris movendis, de expeditionibus & ordine in itineribus obſervando.

Tomus III. proponit excerpta de prœliis majoribus & pngnis minoribus acieque ſtruenda, de reducendis ex acie copiis, de obſidionibus & oppugnationibus, de locis muniendis, de iisdem defendendis hoſtibusque propulſandis, de pace & pacificationibus.

(*k*) Polybium præſertim & Scripta de Re militari, a Juſto Lipſio e veteribus collecta, adhibuit. Ex junioribus uſus eſt libris Brancacii, Achillis,

GEORG. FRIDER.

tractavit, examinavit, quæ ad Tacticam, Poliorceticam, Caſtrametationem & Politiam exercituum pertinent. Opus, maximam partem ſua manu exaratum, terminavit die 25. Novembris A. 1617. in Caroloburgi Palatio; filiisque Friderico, Carolo & Chriſtophoro adſcripſit; addita prohibitione, Liber ne evulgaretur in publicum, privatis filiorum uſibus modo deſtinatus. Machinarum bellicarum, ſtationum, caſtrorum, acierum delineationes ipſius Marchionis manu adjectæ ſunt.

Pleraque ex ipſo uſu ac experientia rerum & ex colloquio cum præclaris belli ducibus annotavit; natura & arte ad Martis ſcholam formatus Heros; libertatis Germanicæ, civilis & eccleſiaſticæ, vindex.

§. LXXIV.

Religio.

Lutheranam religionem in ſuas terras introduxerat Pater. Filius eam conſilio atque enſe defendit. Annotant Scriptores, (*l*) Piſtorium, Jacobo Marchione ad Romana ſacra perducto, multum impendiſſe laboris, ut Georgium Fridericum quoque ad illa perdu-

Tarduccii, Bernhardini de Mendozza, Philippi Cliviæ Ducis, Wilhelmi de Bellay, Mareſchalli de Biron, Georgii Boſtæ, Bernhardini Rocca, Jo. de Billon, Henrici Weniſthenkenii, Georgii Wilhelmi Sturzelii, Leonhardi Fronſpergii, Ludovici de Montgommery, Ducis de Mercœur.

(*l*) PAULUS CHERLERUS Bintzheimenſis Eccleſiaſtes in *Epiſt. ad Marbachium* Part. VI. pag. 760.

ceret, Marchiæ ſuperioris poſſeſſione perpetua ei in præmium promiſſa.

Regimen adiens, mortuo fratre Jacobo, primum habitavit Hachbergæ A. 1593. cui Caſtro novum addidit ſplendorem & robur. (*m*). A. 1599. ſedem ſuam transtulit Sulzbergam, ubi amplificato Caſtro, hortos & ſcholam, literis latinis addiſcendis, Hedleri Cancellarii conſilio, inſtituit. A. 1604. poſt Erneſti Friderici deceſſum omnium Marchiarum Badenſium poſſeſſor Caroloburgenſe Palatium ſibi ſedem elegit. Sedes.

Inter perpetuos, qui regimen ejus exercuerunt, tumultus, vaſallos ſuos Marchicos ad ſervitia militaria, per ſe vel per alios præſtanda, frequenter evocavit, nec pecuniam, fructusve feudi pro ſervitiis accepit. Vaſalli.

§. LXXV.

Neque vero militaribus modo & literariis rebus deditum fuiſſe Georgium Fridericum, exiſtimet Lector. Singularis in eo ſemper fuit juſtitiæ amor. Themidis ſtudio ſtudioſe ſe applicuit, præſertim ab eo tempore, quo regimen adiit, ut non modo Principis fortis & docti, ſed & juſti mereretur elogium. Amor Juſtitiæ.

Antiquas Conſuetudines Marchiæ, ut & Conſtitutiones a Majoribus latas, novis adjectis, in Corpus collegit, quod per Jus provinciale.

(*m*) Carolus II. jam muniverat Caſtrum Hachbergæ. Filius, multis munitionibus adjectis, illud formidabile reddidit.

GEORG. FRIDER.

omnem Marchiam obſervatur hodieque. Chriſtophorus I. qui inter ſtatores Domus Badenſis comparet, Juris Marchici primus ſtator dicendus eſt. Edidit ille A. 1509. Ordinationem Judicii Aulici, (*n*) quam omnibus Marchiæ judicibus normam præſcripſit. Acceſſerunt A. 1511. de teſtamentis, de dividenda hereditate & de tutela Ordinationes; in quibus adornandis Udalrici Zaſii, Anteceſſoris Friburgenſis, uſus eſt opera. Georgius Fridericus has aliasque Juris Marchici partes correctas & auctas renovavit, atque in Corpus redactas A. 1622. typis vulgavit. (*o*) Solennis tamen promulgatio nonniſi A. 1654. ſub Friderico V. Marchione evenit, quod bellicæ curæ animum Marchionis in diverſa diſtraxerant. Inſigne hoc opus in duas Partes dividitur; quarum altera Ordinationis provincialis, (*p*) altera Juris provincialis (*q*) nomine innotuit.

§. XXXVI.

Adminiſtratio publica.

Nec minus adminiſtrationis publicæ formam Marchio noſter ordinavit. Conſiliarios in Collegia diſtribuit; Conſilio Secreto frequenter præſedit; graviora negotia ipſe examinavit, diſcuſſit; jura inter cives æqua lance diſtribuit; comis, blandus, clemens,

(*n*) Ordinationem hanc Philippus quoque Marchio A. 1525. renovavit atque correxit.

(*o*) Nova hujus Juris editio ſub Carolo Wilhelmo prodiit A. 1710.

(*p*) Landordnung.

(*q*) Landrecht.

Digitized by Google

at neceſſitas cum exegerat, ſeverus & rigidus. Virtutes hæ ex ipſis ejus oris lineamentis eluxerunt, quibus omnium, qui eum viderant, animos ſibi facile conciliavit; naturam in omnibus expertus faventem, at fortunam novercam; quæ in bellicis præſertim rebus dominatur; quæ tamen nec animum, nec famam ei potuit auferre.

§. LXXVII.

Conjugium felix octodecim liberorum eum reddidit parentem. Tres inter Georgii Friderici Uxores prima fuit *Juliana Urſula*, Friderici Comitis Silveſtris & Rheingravii filia; nata die 28. Sept. 1573. desponſata Jul. 1592. mortua d. 23. April. 1614. heroici animi femina, digna marito conjux, fœcunda Domus Durlacenſis mater, quæ per 22. annos matrimonii ſui Marchias florentes vidit atque felices. Uxor I.

Numeroſam ex ea ſobolem ſuſcepit, quam ordine nativitatis expono. Liberi.

Catharina Urſula, nata d. 19. Jun. 1593. Ottoni Haſſiæ Landgravio nupſit d. 25. Aug. 1613. intra biennium d. 15. Febr. 1615. defuncta.

Fridericus, natus A. 1594. qui patri ſuccedens, ſtirpem propagavit.

Anna Amalia, nata die 9. Julii 1595. Wilhelmo Ludovico

Digitized by Google

GEORG. FRIDER. Comiti Naſſoviæ Saræpontano nupta die 25. Novembris (r) A. 1615. obiit A. 1652.

Philippus, natus d. 30. Decembris A. 1596. nondum trimeſtris deceſſit 14. Mart. 1597.

§. LXXVIII.

Carolus. Carolus, Hachbergæ A. 1598. die 22. Maji in lucem editus. Princeps acuti & capacis ingenii, cui nihil difficile. A prima pueritia litteras didicit, litteratos amavit & coluit. Liberalibus artibus & præſertim linguis delectatus, A. 1616. Galliam, Britanniam & Belgium inviſit. A. 1617. in bello contra Hiſpanos, quod in Pedemontio gerebatur, militavit. A. 1619. ſub auſpicio patris & ductu aliquot duxit cohortes. A. 1620. expeditioni in Palatinatum, a Fœderatis Unionis ſuſceptæ, una cum patre interfuit. A. 1621. iterum in Italiam profectus, petiit Siciliam & Melitam. A. 1622. in prœlio Wimpinenſi fortis dux & miles pugnavit. Haud ita multo poſt ad Venetos profectus, indeque rediens, Longobardiam, Pedemontium, Sabaudiam, Galliam peragravit, ut Mauritium, Arauſionis Principem, apud Batavos inviſeret. Itinere confecto, A. 1623. ad Erneſtum Mansfeldium in Friſiam Orientalem ſe contulit, a quo conſtitutus fuit equitatus Chiliarcha. A. 1624. Galliæ Regis caſtra in bello cum Hiſpanis ſecu-

(r) PFEFFINGER *Merckwürdigkeiten des XVII. Seculi* pag. 820.

Digitized by Google

Georg. Frider.

ſecutus eſt. Anno ſequenti eorundem Gallorum expeditioni in Vallem Telinam interfuit. (*s*) Eodem anno ad Magnæ Britanniæ Regem miſſus eſt, ut cauſam ibi Proteſtantium ageret. In itinere hoc Bononiæ Picardorum variolis correptus, die 27. Julii A. 1625. deceſſit. Corpus ejus in patriam translatum, die 17. Nov. in Eccleſia Pforzheimenſi ſepultum eſt. (*t*)

Juliana Urſula, nata Calendis Januariis, 1600. (*u*) Obiit die ultimo Auguſti anni ejusdem. Juliana Urſula.

Rudolfus, natus d. 21. Jan. (*x*) A. 1602. ultimo Maji A. 1603. deceſſit.

§. LXXIX.

Chriſtophorus A. 1603. die 16. Martii natus, Carolo fratre quinquennio junior, at indole, genio, dotibus & virtute eidem par, forte ſuperior. Præmaturus tirocinia militiæ fecit ſub patre, ad res bellicas natus. Friderico Rheingravio, cujus contubernalis fuit, aliquando ingenue profeſſus eſt puer; ſi inevitabilia ſunt bella, optare ſe, ut in illud tempus differantur, quo ipſe arma gerere & virtutem ſuam oſtendere poſſit; exclamans: quam fortem me tum præſtabo & ſtrenuum. (*y*) In prœlio Wimpinen- Chriſtophorus,

(*s*) Sprecher *Hiſt. Rhæt.* pag. 601.

(*t*) Conf. *Caroli Marchionis Badæ & Hachbergæ Apotheoſis*, Argent. 1727. 4to & Junglerus.

(*u*) Alii die 2. Dec. 1599.

(*x*) Alii diem 6. Jan. ponunt.

(*y*) Junglerus, qui Principem hæc dicentem audivit, in vita Georgii Fride-

GEORG. FRIDER.

ſi talem ſe oſtendit, qualem ſe futurum promiſerat. Ad Comitem Mansfeldiæ profectus in Friſiam, turmæ equitum Carolo ſub fratre præfuit A. 1623. annoque ſequenti vixit apud Galliæ Regem. At A. 1625. Ducis Sabaudiæ caſtra ſecutus, contra Hiſpanos in Pedemontio pugnavit. Inde ad Belgii Fœderati tranſivit militiam, in ea perſeverans, donec Guſtavus Adolfus in Germania apparuit; cujus caſtra magno cum ardore ſecutus, a latere ejus nunquam diſcedens, Ingolſtadii obſidioni interfuit; in qua Regis equus, Rege ſervato, occiſus; at Chriſtophoro noſtro paucis poſt horis caput ablatum eſt globo, die 20. Aprilis A. 1632. ſub oculis Regis. Digna mors juvene heroë; qui in herois ſui periit conſpectu. Rex eo cadente exclamavit: Ter mille Principes in hoc Principe amiſi. Defuncti corpus juſſu Regis Auguſtam, (z) indeque in Durlacenſes terras deductum eſt. Pforzhemii ſepultum. Univerſus Suecorum exercitus, in aciem diſpoſitus, duplici tormentorum ac ſclopetorum exploſione, Principi, cum abduceretur, valedixit. Infelicem filii caſum mira animi conſtan-

rici, cujus Conſiliarius fuit, rem annotat: De Junglero vide Tom. I. *Hiſt. Badenſis in Proleg.*

(z) Auguſtæ in Eccleſiæ S. Annæ crypta aliquamdiu corpus ejus quievit. Fridericus, Chriſtophori frater, datis ad Auguſtanos litteris, petiit, ut illud ſervarent, donec itinera ſecuriora, ut in Marchiam poſſit transferri. STETTEN *Geſchichte der Stadt Augſpurg* Part. II. pag. 195.

Digitized by Google

Georg. Frider.

tia pertulit pater, (*a*) cui tot malis afflicto, majus addi non potuiſſet; tranquillum ſe eſſe profeſſus, quod rex ſit illæſus.

§. LXXX.

Anna Auguſta, nata A. 1604. die 30. Martii, obiit die 2. Aprilis A. 1616. Filiæ reliq.

Sibylla Magdalena, nata d. 21. Julii 1605. nupta Johanni Comiti Naſſovio Idſteinenſi d. 7. Jan. 1629. defuncta A. 1644.

Franciſca, nata d. 9. Aug. denata d. 27. Aug. 1606.

Urſula Maria, nata d. 3. Nov. mortua d. 22. Dec. 1607.

Franciſca Sibylla, nata die 4. Febr. periit d. 2. Mart. 1609.

Sophia Dorothea, nata d. 14. Mart. 1610. mortua die 24. Oct. 1633.

Erneſtina Sophia, nata d. 26. Dec. 1612. denata 4. Jul. 1658.

§. LXXXI.

Uxor ſecunda Georgii Friderici fuit Agatha, ex Comitum Erbacenſium proſapia, Georgii Comitis Erbacenſis & Annæ Comitiſſæ Solmenſis filia, nata die 16 Maji A. 1581. nupta die 23. Octobris A. 1614. mortua Caroloburgi A. 1621. pridie Cal. Maji quadrageſimo primo ætatis; ſepulta Pforzhemii, poſtquam ſeptennio in matrimonio vixerat. Uxor 2.

(*a*) Bolesl. Philippus a Chemnitz *Belli Sueco Germ.* Vol. I. libro IV. Cap. XV.

GEORG. FRIDER. Liberi.

Tres illa Marchioni filias Principes peperit; quarum duas moriens vivas reliquit.

Agatha, nata die 2. Sept. 1615. denata 1616.

Anna, nata die 29. Maji 1617. Carmina hæc varii generis & Comœdias Baſileæ, ubi belli temporibus vixerat, lingua patria ſcripſit; nec Gallicæ, nec Latinæ ignara. A. 1672. die 15. Octobris deceſſit.

Poſtrema liberorum Georgii Friderici fuit Eliſabetha; nata die 5. Febr. 1620. haud vulgaris quoque ingenii Princeps, iisdem, quibus ſoror, artibus operam navans. Scripta ejus, poëtica manu exarata, in Bibliotheca Bada-Durlacenſi ſervantur. Veterum quoque Scriptorum, Regum ac Principum acute & prudenter dicta ſollicite collègit & typis vulgavit. Sexui feminino dedicatus eſt liber. (*b*) Baſileæ, ubi Gallicum ob bellum ſeceſſerat, die 13. Octobris 1692. anno 72. ætatis vitam commutavit cum morte.

§. LXXXIII.

Uxor 3.

Tertia Georgii Friderici uxor fuit Eliſabetha, Johannis Thomæ Stotzii, ſupremi judicis in Stauffenberg, filia, ad Morganaticam (*c*) deſponſata, die 29. Jul. A. 1621. quæ vero A. 1652. die 14. Maji improlis deceſſit.

(*b*) Impreſſus Durlaci A. 1685. 4to.

(*c*) Conventum, ne liberi, ex hoc matrimonio nati, ſuccedant in Marchia, ſed bonis, in contractu nuptiali definitis, contenti ſint.

Digitized by Google

CAPUT VI.

FRIDERICUS V.

A. 1622. -- 1659.

§. I.

Fridericum in ordine Marchionum regnantium tertium, ſtylo, apud Badenſes recepto, quintum appello, quod majores, non regimini, ſed nominibus tantum intenti, Fridericum Ultrajectenſem Epiſcopum, ut & Fridericum illum, qui ante patrem Hermannum IX. in pueritia mortuus eſt, computandos eſſe cenſuerunt. Frid. V. initia.

Fridericus V. natus eſt inter Marchicos motus, eo ipſo anno, (*a*) quo Bada-Badenſes terras occupaverat patruus, eo tempore, quo, plena diffidentiarum, Germania præparaverat arma, quibus paulo poſt in ſua viſcera ſæviit; quo emicuerunt ſcin-

(*a*) A. 1594. d. 6. Jul.

Digitized by Google

tillæ, quæ denique in bellicam triginta annorum flammam erupe-runt. Inter incendii hujus initia (*b*) Georgius Fridericus pater, animo & corpore vigens, filio Principi ſceptrum regiminis tradi-dit, ut non tam viventem ex ſe, quam ex ſe regnantem vivens conſpiceret. Bonis artibus, a teneris, innutritus pater, nato quo-que eas inſtillavit ſollicite; eo feliciore ſucceſſu, quod ante oculos quotidie habuerat filius patris exemplar.

Ex itinere, quod A. 1612. & ſequente in Galliam, Bel-gium Angliamque inſtituit, redux Fridericus, a patre rebus ge-rendis admotus eſt, eo abſente non ſemel regimen gerens, quod patre abdicante, A. 1622. ſolus ſuſcepit. (*c*)

§. II.

Regiminis exordia.

Regiminis ejus, quod per triginta ſeptem annos duravit, exordia fuerunt ſollicitudinis plena. Vix enim capeſſiverat faſces, cum pater, apud Wimpinam clade proſtratus, Marchiam quoque, filio traditam, proſtravit. Subditi, miſeriis belli & militum licentia oppreſſi, publicam & ſuam deplorabant calami-tatem.

Friderici noſtri Literæ, poſt cladem, die 22. Maji ſcriptæ, ſuperſunt, quibus Cæſari exponit, Badenſium terrarum regimen,

(*b*) A. 1622.

(*c*) Poſt ſolennem patris abdicationem in Superiori & Inferiori Marchia & ſpeciatim quoque in Schwarzacenſi ditione præſtitum eſt Friderico V. homagium.

Digitized by Google

paulo ante, quam ad prœlium eduxerat copias, ſibi traditum a Patre; cujus conſilia ſibi ſemper diſplicuiſſe, ſimul ingenue fatetur. Addit, ſperare ſe, Cæſarem legatis, quos proxime miſſurus ſit, haud denegaturum eſſe inveſtituram feudorum; beneficii memoriam nullo tempore depoſiturum ſe ſpondens.

Extant & aliæ ejusdem Marchionis ad Tillium literæ, ſcriptæ die 18. Junii, quibus dimiſſum a patre exercitum nunciat, eumque certiorem reddit, bellica conſilia a patre, ſe invito, ſuſcepta. (*d*)

§. III.

Eundem in ſenſum ſcripſit quoque Fridericus V. ad Maximilianum, Bavariæ Ducem; cui eodem modo perſuadere ſtudet, conſtanter ſe pridem ſollicitaſſe patrem, ut deponeret arma, idque tandem ab eo obtinuiſſe. Petit, ut deprecatoris officio apud Cæſarem fungatur. Acta cum Bavaro.

Maximilianus die 25. Aug. Marchioni reſpondit, Georgium Fridericum, nec læſum nec laceſſitum, Cæſari & Ligiſtis arma eodem fere tempore intuliſſe, quo nihil ſe hoſtile meditari, ſed defendendæ tantum, inter bellicos motus, Marchiæ ſuæ invigilare, literis teſtatus erat & ore. Subjungit & alias querimonias; at denique, cauſam Friderici apud Cæſarem ſe acturum, promittit,

(*d*) Londorp. *Acta* Tom. II. pag. 626. Julius Bellus in *Laurea Auſtr.* Lib. VI. pag. 551. Pareus in *Hiſt. Palat.* Lib. VI. Sect. III. pag. 339. Khevenhüller *Annal. Ferd.* Tom. IX. pag. 1731.

Frid. V.

quod patris ille improbet acta; remque eo perducturum, ut terras ſuas, a bello intactas, conſervet; ea conditione, ut reliquas copias, paucis exceptis, dimittat, Cæſariſque hoſtibus nulla ratione ferat opem. (*e*)

Ab ipſo Cæſare ſupplex petiit Fridericus, e Spanheimenſi Comitatu, haud ita pridem occupato, ut deduceret præſidia & quoad Eduardinam litem, amicæ compoſitioni locum concederet. (*f*)

§. IV.

Marchiam ſuper. amittit.

Cæſar autem opportunum hoc tempus eſſe ratus eſt, quo Marchiam ſuperiorem, quam per XXVIII. jam annos Durlacenſes tenuerant, ſententia, die 25. Aug. A. 1622. lata, Wilhelmo, Eduardi Fortunati filio, una cum fructibus perceptis & percipiendis, adjudicaret. (*g*)

Executor ſententiæ deſignatus eſt Leopoldus Archidux, Ferdinandi Cæſaris frater, Argentinenſis & Paſſavienſis Epiſcopus, quem Fridericus, datis ad eum literis, de executione ſuſpendenda

(*e*) Khevenhüller *Annal. Ferdin.* Tom. IX. pag. 1709.

(*f*) Litteras hac de re ad Cæſarem ſcripſit die 14. & 28. Aug.

(*g*) Ceſſionem terrarum, a Georgio Friderico factam, quod non agnoſceret Cæſar, ſubdelegati ejus executionem ſententiæ non Friderico noſtro, ſed Georgio Friderico, patri, literis Spiræ, die 21. Octob. A. 1622. datis, nunciarunt.

Digitized by Google

denda interpellavit. Eodem tempore Saxonem, Wirtenbergicum, Onolsbacenſem & Baruthinum, Marchiones, aliosque Evangelicos Principes ad cauſam ſuam ſuſcipiendam invitavit Fridericus; Cæſarem ſubmiſſe rogans, ne Principem, ipſi devotum, indicta cauſa condemnaret.

Verum enimvero neque in Senatu Aulico auditæ ſunt Marchionis rationes; neque frequentes Principum interceſſiones impedire potuerunt, quo minus latam Cæſar ſententiam per Leopoldum Archiducem exequeretur menſe Octobri. Wirtenbergæ Dux Joh. Fridericus, Marchionis affinis, ſuaſit, ut majoribus malis avertendis ſe obedientem præberet. (*h*)

§. V.

Gesta varia.

Fridericus noſter, hoſtibus Marchiam vexantibus, ad affinem ſecedens, nihil aliud obtinuit, quam ut copiæ Cæſareæ A. 1623. die 20. Maji terras ejus relinquerent, fructuum perceptorum & damni actione in annum proximum dilata.

A. 1624. tempore æſtivo Ligiſticarum copiarum pars Marchionatum invaſit; Pforzhemio per duodecim horas reſiſtente. Fridericus, non tutum ſe videns, terras ſuas iterum reliquit. (*i*)

(*h*) Solenni tamen inſtrumento contra executionem hanc proteſtatus eſt Marchio die 14. Octobris.

(*i*) *Theatr. Europ.* Tom. I. pag. 820.

FRID. V.

In Conventu Circuli Suevici, hoc anno Ulmæ habito, de loco priore inter Friderici & Wilhelmi legatos lis agitata; poſſeſſionem Friderico, prærogativam lineæ allegante Wilhelmo. Res amice cum non potuiſſet componi, Wilhelmus Cæſaris auctoritatem imploravit. Hic audiendum quoque Fridericum æquum eſſe duxit. Pactione Vindobonenſi res tandem transacta.

§. VI.

Fructuum percept. actio.

Eodem anno, quo hæc Ulmæ contigerunt, de reſtitutione documentorum ſuperioris Marchiæ & fructuum perceptorum denuo tractatum eſt. Leopoldo Archiduci Cæſaris decreto cura rei delata. De documentis & chartis res parum difficilis; ſed difficilior fuit fructuum perceptorum tractatio, contendente Friderico, contra jus fasque eam ſibi neceſſitatem imponi, quod Marchiæ ſuperioris occupatio juſtis ex cauſis a majoribus facta ſit. Leopoldus Archidux interceſſorem ſe gerens, Ruffaci inſtituit Conventum, in quo Fridericus ipſe comparuit, ſed conditiones, quas Wilhelmi propoſuerant legati, ut minus æquas rejecit.

Idem plane fuit exitus ſecundi Conventus, A. 1625. menſe Majo, conciliante Archiduce, Friburgi Brisgoviæ habiti, in quo præſente Wilhelmo, Fridericus in vicinia ſubſtitit. Hic novam paulo poſt, conficiendis rationibus, dilationem impetravit a Cæſare, unde negotium aliquantisper quievit.

Digitized by Google

§. VII.

At A.1627. rumor Vindobonam quum veniſſet, Georgium Fridericum, Marchionem, denuo arma parare, Cæſar exequendæ ſententiæ nova ad Leopoldum Archiducem expedivit mandata. Fridericus, litteris die 13. Februarii ad Cæſarem datis, falſos eſſe, quæ de patre ſpargebantur, rumores, neque ſe conſiliorum ejus, qualiacunque fuerint, participem fore oſtendit. Copiæ Bavaricæ, quæ Dynaſtias Brisgovicas, a pluribus jam annis inſederant, ut deducantur, Cæſarem ſubmiſſe rogat. Ejusdem argumenti literas ſcribit ad Bavarum die 27. Febr. quibus certiorem eum reddit, Baſileam ſe ad patrem profectum, ut eum a propoſito averteret; patrem animum mutaſſe. Trans-actio Vin-dobon.

Inſtabat tamen Leopoldus Archidux, & agitatum illud fructuum perceptorum negotium, vi armata terminare conſtituerat. In eo res erat, Fridericus omnibus ut pelleretur ditionibus, (k) cum denique Cæſar, Principum interventu, ad mitiorem perductus ſententiam, utrique Marchioni diem (15. Maji) dixit, quo Vindobonam venirent & arbitratu ſuo controverſiam dirimerent.

(k) Conſilium hoc Aulæ Cæſareæ Fürſtenbergæ Comes, Judicii Aulici tum temporis Præſes, Marchioni noſtro, amico aperuit; ſuaque interceſſione rem eo deduxit, ut uterque Marchio, coram Cæſare transacturi, Vindobonam vocarentur.

Fridericus, cui componendi rationem Wirtenbergicus ſuggeſſerat, venit Vindobonam die 29. Aprilis & poſtridie in Cæſaris conſpectum admiſſus benigneque exceptus, (*l*) cum paucis diebus poſt adveniſſet Wilhelmus, in memorabilem illam transactionem conſenſit, quam uberius in Wilhelmi expoſuimus vita. (*m*)

Vindobonæ commorans Marchio, multis precibus obteſtatus eſt Cæſarem, ut ſuas & Ligæ copias ex Marchia revocaret. Cæſar die 1. Junii ad Bavarum ea de re literas dedit, ſed caruerunt effectu.

§. VIII.

Transact. Etling.

Fridericus denique, inveſtitura pro ſe & agnatis die 11. Junii a Cæſare ſuſcepta, poſtridie Vindobona diſceſſit. Marchiam ſpoliatam redux cum deprehendiſſet & inopem, ingentem illam pecuniæ ſummam, quam Vindobonenſi pactione promiſerat, colligere non potuit. Wilhelmus, ea de re anno ſequente apud Cæſarem præſens conqueſtus, nova ab eo ad Leopoldum Archiducem die 7. Dec. mandata obtinuit. Inſtituti tum inter Marchiones tra-

(*l*) Cæſar Marchioni ad januam uſque obviam proceſſit & limen intranti manum protendit. Redeuntem ad januam capite adaperto comitatus eſt. Ferdinandus Cæſaris filius, Hungariæ Rex, Marchionem, die 3. Maji eum inviſentem, in Camera ante cubiculum excepit. Leopoldus Archidux, veniente & diſcedente Marchione, ad ſcalam uſque proceſſit. Fridericus ægre inductus eſt a Cæſare, ut Wilhelmum appellaret agnatum.

(*m*) Vid. Tom. III. pag. 86.

Digitized by Google

ctatus; amica compoſitio non ſemel tentata; ſed fruſtra. Conſilio Wilhelmi a Leopoldo Etlingam denique miſſi ſunt legati, qui A. 1629. novam ibi confecerunt pactionem, qua Præfecturæ Stein & Remchingen oppigneratæ Wilhelmo; territorii juribus Friderico ſervatis, cui & ordinis prærogativa, dum viveret, relicta. (n)

Aequiores conditiones impetraſſet Fridericus, ſi ad ſacra mutanda potuiſſet induci. (o) Recuſavit hoc, licet amplis promiſſis, &, poſt obitum Barbaræ conjugis, ſpe matrimonii cum filia Ferdinandi II. Imperatoris invitatus. (p)

§. IX.

Ferdinandeum de Eccleſiaſticis bonis reſtituendis Edictum, quod eodem anno prodiit, totius Germaniæ Proteſtantes vehementer commovit; qui in dubio rerum ſtatu frequentia inter ſe agitarunt conſilia. Evangelici Sueviæ Ordines eam ob cauſam Vindobonam legationem miſerunt, cui Lœwenſteinio-Wertheimenſis præfuit Comes. (q) Sed legati cum nihil proficerent, juſſu Ordinum re infecta domum redierunt.

Edictum reſtitut.

Gg 3

(n) Conf. Tom. III. pag. 90.

(o) Chappuzeau *Allemagne Proteſtante* pag. 90.

(p) Junglerus in *Vita Friderici V.*

(q) Legatio hæc A. 1629. die 26. Julii Vindobonam advenit. Intererant illi duo Badenſes Conſiliarii Fridericus de Stein & Johannes Wilhelmus Abelius.

Digitized by Google

Fridericus biennio poſt Præfecturam Langenſteinbach, quam titulo permutationis nuper Erneſtus Fridericus acquiſiverat, Nicolao, Albæ Dominorum Abbati, reſtituere coactus eſt.

Imminens tum libertati Germanicæ & Proteſtantium rebus periculum Guſtavum Adolfum, Sueciæ Regem, induxerat, ut A. 1630. victricia ſua in Germaniam arma proferret. Elector Saxo, Suecis non favens, Lipſiam tamen ad diem VIII. Februarii Proteſtantium Conventum indixit, ad quem, commendatis Wirtenbergæ Duci Marchicis terris, atque ſupplicationibus per omnem Marchiam indictis, aliis cum Proceribus ſe contulit Fridecus. (r) Abolitionem Edicti & oppreſſionum a Cæſare petendam, placuit Conventui, quin & arma paranda, quibus vis & injuriæ militis Cæſarei propulſentur. (s)

Cæſar vero, miſſis circumquaque mandatis, Principes atque Civitates, Lipſienſi fœderi ut renunciarent, hortatus eſt. Fridericus, quos ex fœderis hujus legibus conſcripſerat milites, aliorum Principum exemplo, dimiſit.

§. XI.

Marchio Suecis accedit.

Cæſar diſſidiorum, de religione, & de bonis eccleſiaſticis componendorum, induens ſpeciem, Francofurti ad Mœnum Con-

(r) KHEVENHÜLLER *Annal. Ferd.* Tom. IX. pag. 1518. *Theatrum Europ.* Tom. II. pag. 293. Idem litteris, ex Conventu Lipſienſi ad Cæſarem datis, ſubſcripſit. *Theatrum Europ. loco alleg.* pag. 304.

(s) LONDORP. *Act. publ.* Tom. IV. pag. 144.

Digitized by Google

ventum inſtituit, ad quem Friderici quoque noſtri legatus acceſſit. (*t*) Sed inſecuta brevi poſt Lipſienſis pugna Conventum & omnia Cæſaris intervertit conſilia. Sueci victores per omnem effuſi Germaniam, Principes Proteſtantes & ſpeciatim Fridericum noſtrum ad ſuas paulatim partes traduxerunt.

Hic dein, Suecis ad Rhenum & in Alſatia dominantibus, in terris ſuis fuit ſecurus, ſuperioris quoque Marchiæ ad tempus, ut videbimus, poſſeſſor; quod Wilhelmus Marchio Cæſareas partes conſtanter ſequeretur.

§. XII.

Enimvero A. 1632. menſe Martio Oſſa, Cæſaris dux, per Alſatiam deſcendens, Wiſſenburgo expugnato, Rhenum trajecit, atque in Badenſem Marchionatum irrupit. Occupatum pridie Paſchatis Durlacum. Exmarchio pater, qui illic commorabatur, adactus eſt, ut militem ſuum, nuper conſcriptum, quem ſecum habebat, in Cæſaris militiam transſcriberet. Inde Stollhovam progreſſus Oſſa, Strasburgerum, equitum ductorem, qui modico Suecorum præſidio oppidum tuebatur, ad deditionem compulit. (*u*) Cæſarei irrumpunt in Marchiam.

Eodem anno Montecuculus Comes, equitum & peditum, Bronckhorſtii, Rœllingeri, Metternichii copiis adauctus, inſe-

(*t*) *Theatr. Europ.* loc. alleg. pag. 437.

(*u*) Chemnitz *Belli Sueco Germ.* Vol. I. Lib. IV. Cap. XXVII. *Theatr. Europ.* Tom. II. pag. 569.

Digitized by Google

ſtandæ Durlacenſi & Wirtenbergicæ ditioni, ex Alſatia movit trans Rhenum, occupatisque Durlaci & Brettæ oppidis, Suecos, qui ibi hoſpitabantur, ad ſua repulit ſigna. Inde Knitlingam, in Wirtenbergenſi agro, vi expugnatam, admoto quatuor diverſis locis igne, combuſſit.

§. XIII.

Sueci ſuccurrunt. Eodem tempore Henricus a Metternich, ſummæ rerum Heidelbergæ præfectus, Wiſelocenſe oppidum, ubi equitum ala, a Marchione Badenſi conſcripta, ac dimachi quidam agebant præſidium, circumſedit atque tormentorum projectu in anguſtias redegit. Durlacenſis noſter & Wirtenbergicus Guſtavi Hornii implorarunt auxilium, quem Guſtavus Adolfus rebus ad Rhenum juſſerat præeſſe. Hic laborantibus ſociis eo lubentius ſuccurrit, quod Galli, occupatis Treviris, ad Rhenum usque inferiorem menſe Junio progreſſi, Archipræſulatus Trevirenſis occupaverant oppida, atque adeo tutum ab ea parte reddiderant Hornium. Hic ergo, Rheno inferiore & Moſella relictis, ad ſuperiores ejus partes contendit, atque Wiſeloco obſidione liberato, hoſtium equitatum, quem Montecuculus Comes in auxilium Metternichio miſerat, ibidem menſe Auguſto ejusdem anni profligavit.

§. XIV.

Montecuculi fuga. Accepto de hac clade nuncio, Montecuculus celeri fuga prope Philippiburgum trans Rhenum ſe recepit. Inſequitur eum

cum

cum equitatu Hornius, relicto ad Stolhovam cum peditatu Hubaldo tribuno, qui brevi oppidum in poteſtatem redegit. Milites præſidiarii plerique ad Suecicum tranſierunt exercitum. Ortenbergæ Caſtrum Hornio fere fuit funeſtum. Offenburgum cum locis vicinis occupatum a Suecis; Kintzingana vallis, Wirtenbergici ope, Cæſareanis erepta.

Hornii conſilium quoque fuerat, Rheno ſuper pontem Argentorati transmiſſo, Montecuculum impedire, ne Briſacum attingeret, quam urbem ille poſt Wiſelocianam cladem petierat. Sed irritum fuit Hornii conſilium: Montecuculus rediit ſalvus Briſacum. Hornius tamen in Alſatiam tranſivit, ab Argentinenſibus, Suecicas in partes pronis, invitatus, qui omnia, expeditioni neceſſaria, militemque offerebant.

Benfelda, Seleſtadium, Colmaria, aliaque cis & trans Rhenum oppida, partim vi, partim voluntaria deditione, in Suecorum poteſtatem tranſierunt. (x)

§. XV.

Guſtavi Adolphi, Regis, in prœlio ad Luzenam hoc anno cæſi, obitus Suecorum in Germania opes haud parum adflixit. Conventus Heilbronn.
Renata tum inter Proteſtantes, Suecorum confœderatos, diſſi-

(x) CHEMNITZ *l. c.* Cap. XLI. XLIII. PUFENDORF. *Rer. Suecicar.* Lib. IV. pag. 78.

FRID. V.

dia. Plerique inopinato caſu velut attoniti, nutabant. Nutantes ut confirmaret Axelius Oxenſtierna, Regni Suecici Cancellarius, omnes animi ſui vires intendit. Conventum ille Ordinum quatuor Circulorum ſuperiorum A. 1633. menſe Martio & Aprili celebravit Heilbronnæ, ubi de libertate Germanica, de vindicandis Imperii legibus, Ordinibusque reſtituendis, die 13. Aprilis quatuor Circulorum nomine cum Sueciæ Regina percuſſum eſt fœdus. Exercitus, ſtipendia militum, adparatus bellicus, commeatus & diſciplina militaris ordinata. Cautum, ſeparatam ſi quis ſociorum iniverit pacem, hoſtis loco habeatur. Suprema rerum omnium cura Oxenſtiernæ & delegatis delata. (y)

§. XVI.

Ditiones in Marchionem collatæ.

Splendiſſima hæc eſt vitæ Friderici noſtri epocha, ubi ille non ſuperiorem modo Marchiam, ſed alias Suecorum beneficio, ditiones accepit.

Marchionatum ſuperiorem, anno ſuperiore occupatum a Suecis, a Guſtavo Adolpho Rege petierat Marchio. Rex, commendante rem Bernhardo Vinarienſi, facile annuit, reſtitutionem facturus, niſi mors interveniſſet.

(y) Acta hujus Conventus exhibet LONDORP. Tom. IV. pag. 292. ſeq. Add. CHEMNITZ Tom. II. pag. 33. 61. ſeq. PUFENDORF. *Rer. Suec.* Lib. V. §. 28. 29. 34. PIASECIUS *Chron.* pag. 464.

Deſtinata Regis in Heilbronnenſi Conventu executus eſt Axelius Oxenſtierna, qui Friderico præſenti, die 13. April. Coronæ Suecicæ nomine inſtrumentum exhibuit, quo ſuperiorem Marchiam cum reliquis, quæ ad eam ſpectant, ditionibus, ei & heredibus, maſculis ac fœminis, conceſſit. Sed & alio diplomate, conſenſu Circulorum, omnes terras Rhenenſes, Rhenum inter & Nigram Silvam a Seckinga ad Philippiburgum usque, quæ ad Auſtrios pertinent, illi adſcripſit; in compenſationem meritorum in Proteſtantium cauſis. Præterea copiis per Brisgoviam & omnem Marchionatum præfectus Marchio, (z) ab Oxenſtierna in mandatis accepit, ut Schauemburgenſis, Salmenſis & Montecuculi Comitum ſe objiceret conatibus; commeatu omnique apparatu bellico Briſacenſem Civitatem, a Suecis mox obſidendam, prohiberet. (a)

§. XVII.

Suſtinendis autem belli ſumtibus, Fridericus cum Feuquierio, Ludovici XIII. ad Germanos legato, qui, renovando cum Suecis fœderi, (b) Heilbronnam venerat, de pecuniæ ſumma, a Rege Galliæ mutuo accipienda, tractavit. (c) Acta cum legato Gall.

Tom. IV. Hh 2

(z) Litteræ eam in rem datæ ſunt die 16. April.

(a) Chemnitz *loco alleg.* pag. 94.

(b) Inſtrumentum hujus renovationis extat in Londorp. Tom. IV. pag. 313.

(c) *Memoires pour l'Hiſtoire du Cardinal de Richelieu* Tom. I, pag. 394. ubi hæc

Digitized by Google

FRID. V.

E Conventu Heilbronnenſi redux Fridericus, menſe Julio, præſente Reichardo Mockhelio, Suecico per Alſatiam legato, Marchiæ ſuperioris, Comitatus Eberſteinenſis, Dynaſtiarum Lahræ & Malbergæ, ut & Auſtriacarum ditionum, Advocatiæ præſertim Ortenavicæ, poſſeſſionem adiens, ubique populos in ſidem ſuſcepit, abolitis priſtinis officialibus & præfectis, novos conſtituit, aliaque, quæ præſens rerum uſus videbatur exigere, ordinavit. Monaſterio Schutterenſi procuratorem dedit. Advocatiæ Ortenaviæ Antonius de Lutzelburg cum militari imperio præfectus. Ex omnibus Badenſibus terris ſolus Spanheimenſis Comitatus non in manibus fuit Friderici Marchionis.

§. XVIII.

Clades Cæſarean.

Hæc dum aguntur, menſe Majo ineunte, Cæſarei e Briſaco erumpentes, Badevillam, Rœtelam & Sauſenbergam occuparunt. Sed menſe ſequenti Otto Ludovicus, Rheingravius, exercitus Suecici dux, junctis cum Marchione Badenſi copiis, inſignem hoſtibus cladem intulit prope Briſacum. Marchio Kentzingam & Kirchovæ vicum, vallo foſſaque munitum, cepit, Kro-

de Marchione noſtro refert Feuquierius: „ Le Marquis de Bade-Dourlac, qui étoit auſſi à l'aſſemblée de Heilbronn 1633. fit grande inſtance au Sieur de Feuquieres pour obtenir par l'entremiſe de ſes offices vers ſa Majeſté, qu'elle eut agreable de lui preter cent mille écus pour l'aſſurance de la quelle ſomme il donneroit des terres.

Digitized by Google

tzingam, Ampringam aliosque vicos combuſſit; Stauffam, Neoburgum, Badevillam, Sauſenbergam, Rœtelam, Rheinfeldam, Seckingam, Lauffenburgum & Landshutum expugnavit præſidiisque munivit. Denique citato agmine in Alſatiam contendit Rheingravius, ut Montecuculum, cum quo erat Hermannus, Marchio Badenſis, ex eadem expelleret. Sed hoſtis adventu Montecuculus trans Rhenum ſe cum copiis recepit. (*d*)

Alia. Eodem Junio menſe Oxenſtierna quatuor Circulorum ſuperiorum Heidelbergæ celebravit Conventum, ad quem Fridericus quoque noſter Badenſis ſe contulit. Actum ibi de ſolvendis militum ſtipendiis, de annona militari; obſidio Hagenoæ ac Philippiburgi decreta. (*e*)

Conventum hunc ultimo Julii ſolennior alius Francofurti ad Mœnum excepit; ubi Heilbronnenſia acta confirmata ſunt, & de futuræ pacis legibus aliisque rebus actum, quas præſens exigebat. (*f*)

Hh 3

(*d*) Chemnitz. *loco alleg.* pag. 125. 126.

(*e*) Idem pag. 121. 136. Pufendorf. *de Rebus Suecicis* Lib. IV. §. 54.

(*f*) Idem pag. 152. 172. Pufendorf. §. 69. Conventui huic nomine Marchionis interfuit Iſaacus Bartolus, Conſiliarius Aulicus ejus, quem publicis ſe non immiſcere juſſerat negotiis, quod earum non ſatis gnarus videretur. Aegre id ferens Oxenſtierna, deliberationibus eum intereſſe voluit, quod & factum eſt. Legatus nomine Marchionis Receſſui Francofurtano die 5. Sept. ſubſcripſit.

§. XIX.

Oppugnatio Briſac.

Menſe Julio & Auguſto Fridericus noſter, una cum Ottone Rheingravio oppugnavit Briſacum. (*g*) Urbs tamen Ducis Feriæ ex Italia adventu liberata. Durante obſidione a Præfecto quadrangularis argenteus cuſus eſt nummus, qui bimeſtris obſidii memoriam ſervat. (*h*)

Milites palantes, Badenſem cum infeſtarent Marchiam, & viatoribus damna inferrent, Fridericus A. 1634. die 10. Januarii edicto illos obſervari & vi armata juſſit repelli. (*i*)

Convent. Francof.

Oxenſtierna, quam dudum animo conceperat, Circulorum ſuperiorum cum inferioribus conjunctionem, hoc demum anno perficere ſatagens, communem omnibus Proteſtantibus Conventum Francofurtum ad Mœnum indixit, ad quem Fridericus quoque noſter cum filio natu májore Friderico ſe contulit. (*k*) Ibi de conſiliis armiſque jungendis, diu multumque tractatum eſt, ſed

---

(*g*) IDEM pag. 162.

(*h*) Extat apud KOELER *Müntzbeluſtig.* Tom. I. pag. 425. In Nummo hæc legitur Inſcriptio: „Die VII. Julii & III. Aug. ao. Dni MDCXXXIII.
„ Briſacum obſeſſum ductu Rheingr. Ottonis Lud. & March. Frid. Durl.

(*i*) KHEVENHÜLLER *Annal. Ferdinandeor.* Tom. XII. pag. 1281. *Theatrum Europæum* Tom. III. pag. 151.

(*k*) *Theatrum Europæum* pag. 252. Fridericus ante Conventum finitum Francofurto diſcedens, Erneſtum Fridericum de Remchingen, a Conſiliis ſecretis & Iſaacum Bartolum, Conſiliarium Aulicum legatos reliquit.

deliberationibus dum trahitur tempus, funeſtæ ad Nordlingam Suecorum cladis nuncius advenit, quo perculſi Ordines, re infecta diſceſſerunt. (*l*)

§. XX.

Cæſareani victores per omnem Sueviam, Wirtenbergicam ditionem & Marchionatum inferiorem graſſati ſunt. Fridericus noſter, omnibus ſpoliatus ditionibus, cum aula ſua ſe Argentinam recepit, (*m*) & reliquum belli tempus vel Argentinæ vel Baſileæ (*n*) transegit; ita tamen, ut rebus gerendis non raro ipſe intereſſet. Cæſareani vero, occupatis Sauſenbergæ, Rœtelæ & Badevillæ Dynaſtiis, Klinglinum, Juris Doctorem, ex Enſishemiano Regimine præfecerunt Gubernatorem. Marchio ditionibus exul.

Ingraveſcentibus ita rebus Suecorum in ſuperiore Germania, multisque Proteſtantium recedentibus a fœdere, Oxenſtierna, tanto oneri ſuſtinendo impar, neceſſarium judicavit, cum reliquis fœderatis communicare conſilia, ut, quid agendum, ſit in medium conferrent. Occaſio novi Conventus, ſub finem hujus Convent. Wormat.

(*l*) CHEMNITZ Tom. II. Lib. II. pag. 364. 410. 496. PUFENDORF. *de Rebus Suecicis* Lib. VI. §. 35. ſeqq.

(*m*) *Theatrum Europæum* Tom. III. pag. 381.

(*n*) Uſque ad A. 1642. Argentinæ verſatus eſt Marchio, ut ipſe teſtatur in literis die 27. Maji A. 1642. ſcriptis. Sequentibus annis uſque ad pacem Weſtphalicam Baſileæ commoratus eſt. A. 1640. jura ſua in vicum minoris Huningæ Civitati Baſilienſi titulo venditionis reliquit. BRUCKNER *Merckwürdigkeiten der Landſchafft Baſel VI. Stuck* pag. 616. ſeqq.

Digitized by Google

anni Wormatiæ habiti, in quo cum Wirtenbergæ Duce aliisque cum ſociis Fridericus quoque Marchio comparuit. Actum de conditionibus fœderis, cum Galliæ Rege ineundi, quæ multis licet minus placuiſſent, Bipontino tamen, Palatinatus Electoralis adminiſtratori, ut & Wirtenbergico, Haſſo, Badenſi nonnullisque Comitibus a Feuquierio, Galliæ legato, perſuaſum eſt, ut accederent fœderi; ſine quo Suecorum & Proteſtantium Germaniæ res perditæ fuiſſent. Tum denique miſſa a Proteſtantibus fœderatis in Galliam legatio, quæ pecuniam & copias, quin & fœdus apertum peteret a Rege, utque Cæſari bellum declararet. (o)

Converſione hac rerum monachi, ex Monaſteriis ſuperioris Marchiæ nuper a Suecis expulſi, poſt Nordlingenſem Cæſareanorum victoriam A. 1634. in Monaſteria redierunt; quod & poſt Reſtitutorium Ferdinandi Edictum ante quinquennium fecerant.

§. XXI.

Pax Pragenſis.

Pace Pragenſi A. 1635. cum Saxone conſtituta, Fridericus noſter in laterculo eorum comparet, qui a Cæſare ab amneſtia excluſi ſunt. (p) Saxo die 5. Nov. ea de re ad Marchionem ſcribens, incaſſum laboraſſe ſe apud Cæſarem ait, amneſtiæ ut includeret

(o) PUFENDORF *loco alleg.* §. 89. ſeqq.

(p) *Pragiſcher Neben-Receſs wegen der excludirten in Pirniſchen und Pragiſchen Friedens-Pacten* pag. 269.

Digitized by Google

cluderet Marchionem. Id tantum ſe a legatis ejus impetraſſe, ut ſinguli Ordines nonniſi cauſa cognita & accedente Collegii Electoralis conſilio judicentur. Marchioni certas Præfecturas, alimentorum loco, aſſignandas, donec, admiſſa pace, Cæſari reconcilietur & Ordines Catholici, ut & Lotharingiæ Dux reſtituantur. Sacra per omnem Marchiam in eo relinquenda eſſe ſtatu, in quo fuerint A. 1627. die 27. Novembris.

Marchionatui Bada-Durlacenſi Cæſar adminiſtratorem dedit Johannem Eberhardum ab Elz, Trevirenſis Archiepiſcopatus Mareſchallum & Conſiliarium Intimum Domus Bada-Badenſis. Marchia ſuperior reſtituta Wilhelmo.

Plerique ſuperioris Germaniæ Ordines, Suecis neglectis, tum cogitarant de pace, miſſis ad Hungariæ Regem Ferdinandum, qui ſuo nomine tranſigerent. Nonnullis æquæ, aſperæ aliis dictatæ ſunt leges. At Marchio Fridericus exul e terris, & amneſtia excluſus, ad Gallicas ſe applicuit partes, quæ unica ei ſpes ſupererat atque præſidium, poſt cladem Nordlingæ. (q)

Idem fuit Wirtenbergici fatum, qui ditionibus pulſus, reconciliationem cum Cæſare per fecialem quærens, duram a Curtio Cancellario, Ferdinandi, Hungariæ Regis nomine, Heilbron-

(q) Pufendorf *Rer. Suecicarum* Lib. VII. §. 88. pag. 211. de eo ita ſcribit: „Marchio Badenſis, Gallorum promiſſa ſecutus, his ſeſe plane addixerat.

Digitized by Google

næ reſponſionem accepit; pace Pragenſi ab amneſtia quoque nominatim excluſus. In Wirtenbergicis Cœnobiis reſtitutus fuit cultus Romanus. (*r*)

§. XXII.

Acta varia.

Reinachius, Gubernator Briſaci, Marchicum Hachbergæ caſtrum, Briſaco non longe diſtans, natura arteque munitum, obſidione lenta per totum obſederat triennium. Præſidiarii denique A. 1636. annonæ defectu ad deditionem compulſi, militari more emigrantes, Cæſareanis caſtrum tradiderunt. (*s*)

Eodem anno Ferdinandus, Romanorum Rex, cum exercitu ſuo venit Durlacum, ſed clementem ſe præſtans.

At Bernhardus Vinarienſis, victis captisque A. 1638. apud Rheinfeldam Cæſareani exercitus Ducibus quatuor & expugnata Rheinfelda, die 28. Martii Rœtelæ recepit caſtrum & paulo poſt Friburgum; (*t*) ſed & Briſacum denique (*u*) poſt octimeſtrem obſidionem & repetitas contra Cæſareanos, urbem liberaturos, victorias, eodem anno quum in poteſtatem redegiſſet Bernhardus, Marchicas Briſgoviæ ditiones reſtituit Friderico, qui expugnationi urbis interfuit. (*x*)

(*r*) IDEM *loco alleg.*

(*s*) LOTICHII *Rer. German.* Lib. XXVI. Cap. II. §. 4.

(*t*) Die 11. Aprilis.

(*u*) Die 17. Decembris.

(*x*) *Theatrum Europæum* Tom. III. pag. 932. 1026.

Anno ſequente Marchioni, Baſileæ hærenti, conditiones de pace & de reconciliatione, cum Cæſare ineunda, propoſitæ ſunt; quibus ille ſpretis Suecico fœderi conſtans adhæſit.

§. XXIII.

Comitia Ratisbon.

Unde ad Ratisbonenſia Comitia, quæ pacificandæ Germaniæ Cæſar A. 1640. indixerat, non vocatus eſt Marchio. Nunciatum illi tamen, non vocatis Ordinibus, ſecurum Ratisbonam eundi iter patere. Sed & ex Ratisbonenſibus Comitiis omnium Electorum nomine ad eum ſcriptæ ſunt literæ, (y) ut cum Cæſare rediturus in gratiam, vel ipſe Ratisbonam veniret, vel eodem mitteret legatum. Daturos eſſe operam Electores, ut æquis conditionibus reconciliatio fiat cum Cæſare. Eam occaſionem ſi prætermiſerit Marchio, ſeram nimis pœnitentiam eum eſſe acturum. At ille Suecorum confiſus amicitia, fortunam belli expectare, quam Cæſari, irato & minus forſan æquo, ſe committere maluit. (z) Hinc & amneſtiæ, Ratisbonæ A. 1641. ſancitæ, beneficio caruit. (a)

(y) Die 21. Dec. A. 1640.

(z) Oſtendunt id literæ ejus ad Electores A. 1641. die 10. Febr. ſcriptæ.

(a) Adamus Adami in *Relatione hiſtorica de Pacif. Weſtph.* Cap. IX. §. 4. pag. 176. inter eos, qui ab amneſtia Ratisbonenſi excluduntur, Marchionem recenſet.

FRID. V.

Biennio poſt Cæſareani caſtrum Badenſe Malberg occupant, diruunt, comburunt.

A. 1643. Bavari ex Pforzhemio oppido omnique Præfectura, ut & ex Præfectura Grabæ Miniſtros Eccleſiarum & Ludimoderatores Lutheranos expulerunt; ſubſtitutis Catholicis. Weſtphalica Pace Præfecturas has Bavari reſtituere noluerunt. Reſtitutæ tamen ſunt ex legibus Pacis & Sacerdotes Catholici recedere coacti.

Eodem anno Vinarienſis exercitus oppidum Badam & Eberſteinenſe oppidum Gernsbach diripuit, Steinbacum combuſſit, apud Dutlingam die 23. Novembr. a Cæſareanis victus & fere internecione deletus. (*b*)

§. XXIV.

Tractatus Pacis Weſtph.

Inter hæc apud Weſtphalos de pace tractatum. Friderici noſtri legatum deliberationibus intereſſe Cæſareani noluerunt, niſi Paci Pragenſi prius acceſſerit Marchio. At Suecorum, Gallorum aliorumque Principum interventu legatus admiſſus; fidem & obſequium Marchionis in Cæſarem atque Imperium teſtatus. (*c*) In Conventu hoc Bada-Durlacenſis Bada-Badenſi legato in Collegio Principum locum denegavit. (*d*)

(*b*) ENGELSÜSS *Weimariſcher Feldzug* pag. 190.

(*c*) ADAMUS ADAMI Cap. VII. §. 6. & 9.

(*d*) Vide Tom. III. pag. 108.

Sed & queſtus eſt Fridericus noſter de ſententia Cæſaris A. 1622. & de Vindobonenſi atque Etlingenſi tranſactionibus, omniaque in priſtinum ſtatum poſtulavit reſtitui, qualis nempe ante bellum Bohemicum fuerat. (e) Stauffenſem Dynaſtiam & ditiones Brisgoviæ cum reliquis Comitum olim Friburgenſium terris repetiit Marchio, legitimum eorum heredem ſe eſſe cauſſatus. Geroldseccianum denique in Ortenavia Dominium Annæ Mariæ conjugi ſuæ Geroldseccianæ reſtitui, ſibique & heredibus maſculis ac feminis inveſtituram ejus poſtulavit concedi; urgens porro, ut actionibus ſuper Dynaſtia Rœtelenſi aliisque ditionibus, in Camera contra Marchiones inſtitutis, renunciarent Auſtriaci, (f) Poſtulata March.

Ii 3

(e) Prodiit A. 1646. Diatribe, in qua ſententiam A. 1622. & transactiones, eam ſecutas, auctoritatem non habere oſtenditur. Scripti hujus titulus eſt: *Summariſche Information, wegen der in der Oberbadiſchen Sach vermeintlich vorgeſchützter exceptionum rerum judicatarum atque transactarum.*

(f) Adamus Adami Cap. XXVI. §. 17. pag. 516. In *Tractatibus Pacis Weſtphalicæ* menſe Aprili 1648. Volmarus contendit, Rœtelam pignoratitium eſſe feudum Auſtriæ, ſex mille florenis auri redimibile, prout in Camera Imperii judicatum, addens, quod eadem Camera Badevillam & Sauſenbergam ſuprematui Auſtriaco ſubjectam agnoverit. Additur, Marchionem ſex mille thaleros Monaſterii obtuliſſe Volmaro, id nimirum acturo, ut Rœtela relinquatur Marchioni, qui viciſſim Badevillam & Sauſenbergam Auſtriacæ Domui in feudum ſe oblaturum promiſerit. Non diſplicuerant hæc Volmaro, convenientius eſſe judicanti, certum habere Vaſallum, quam inimicum vicinum. Quum autem poteſtatem

FRID. V.

& quæ, ob everſum Hachbergæ caſtrum, data ſunt damna compenſarentur.

§. XXV.

Difficultas negotii.

Legatis Suecicis res fuerat curæ, qui vicies & ultra Cæſareis legatis rem propoſuerunt. (*g*) Poſt cauſam Palatinam vix alia Osnabrugenſem & Monaſterienſem Conventum ma-

ea de re tractandi non habuiſſet Volmarus, rem differendam eſſe dixit, donec Oenipontem ad Principem redeat. MEYERN *Acta Pacis Weſtph.* Tom. V. pag. 704.

(*g*) Sueci Formulæ Pacis, A. 1647. die 14. April. Cæſareanis oblatæ, hæc verba inſeruerunt: „ Fridericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis re-
„ ſtituatur in eum ſtatum, in ſacris & profania, in quo fuit ante hos
„ motus ejus Parens Georgius Fridericus, controverſiis de ſuperiori
„ Marchionatu Badenſi ex æquo & bono componendis. Reddatur quo-
„ que dicto Principi Friderico Dominium Stauffen & ditio Briſgoviæ,
„ cum reliquis Comitum Friburgenſium ditionibus & bonis, quæ olim
„ Domui Auſtriacæ ſequeſtrata; poſtmodum vero ad Marchiones Ba-
„ denſes, legitimos eorum heredes, jure devoluta ſunt. Renuncient
„ Archiduces Auſtriæ pro ſe & heredibus in perpetuum actionibus &
„ proceſſibus ſuper Dynaſtia Rœteln, aliiaque ditionibus in Camera
„ contra Marchiones inſtitutis. Satisfiat ſuæ Celſitudini ob everſionem
„ Caſtri Hochbergenſis ex æquo & bono; Principiſſæ quoque Badenſi
„ reſtituatur Dominium Hohengeroldseck, cum fructibus perceptis &
„ percipiendis omnique damno & intereſſe, eoque aperto inveſtiantur
„ dictus Dominus Fridericus ejusque heredes maſculi & fœminæ:
MEYERN *Acta Pacis Weſtph.* Tom. V. pag. 460.

jore motu exagitavit; Volmaro & Bavaro reſiſtentibus firmiter. (*h*)

Bada-Badenſis conqueſtus eſt, Friderici V. patrem & patruum ex Eduardi Fortunati terris LXXIII. tonnas auri per 28. annos detentionis percepiſſe.

Poſt multam actionem Cæſareani A. 1647. conſenſerunt denique, ut Marchia ſuperiore penes Wilhelmum manente, Vindobonenſis & Etlingenſis transactiones abolerentur, atque Præfecturæ Stein & Remchingen reſtituerentur Friderico. (*i*) Hunc

(*h*) Henniges *Meditat. ad Inſtr. Pac. Cæſareo Suec. Specim. I.* pag. 56.

(*i*) In formula Pacis menſe Majo A. 1647. a Cæſareanis exhibita, apud Meyern *Actor. Pacis Weſtph.* Tom. IV. pag. 561. hæc leguntur: „ Et „ quamvis Fridericus, Marchio Badenſis & Hochbergenſis præter re„ ſtitutionem, ſibi ex ſanctione amniſtiæ generalis competentem, etiam „ in Marchionatum Badenſem ſuperiorem reſtitui poſtulaverit, cum „ tamen ſententiam Cæſareæ Majeſtatis ea de re latam retractandam „ non eſſe placuerit, ad tollendas ulteriores controverſias, atque re„ ſtaurandam amicitiam viſum eſt, ut non obſtante transactione, deſu„ per Viennæ & poſtea Etlingæ confecta, Præfecturæ Remchingen „ & Stein, Guilielmo Marchioni Badenſi & Hochbergenſi in compenſa„ tionem fructuum perceptorum ceſſæ, dicto Marchioni Friderico re„ ſtitui adeoque tota illa fructuum perceptorum actio tolli & caſſari „ debeat, ea tamen conditione, ut Marchio Fridericus dicto Marchio„ ni Wilhelmo de annua penſitatione, ex avita hereditatis diviſione „ debita, ſatisfaciat', inque ejus compenſationem poſſeſſionem & Do„ mum Ridberg, oppido Edlingen adjacentem, cum omnibus ſuis ap-

Digitized by Google

FRID. V.

conciliationis modum & Galli, Marchionis fœderati, paucis mutatis, amplexi ſunt. (*k*)

§. XXVI.

Evangelicor. ſententia.

Evangelici Status, plurium annorum labore in rebus his componendis fruſtra adhibito, Marchioni noſtro, tempori ut ſerviret, publicæque ut cederet utilitati, confidenter & ſerio ſuaſerunt. Auxilium enim ulterius, nec a Suecis, nec a Gallis expectandum. Catholicos ad decus ſuum referre, Principum Secularium religionis ſuæ ſi numerus augeatur; ideoque ardentius pro Eduardinis pugnare. De amneſtia, ex cujus capite Marchio reſtitui voluerat, iidem Evangelici Status obſervarunt, quod ſi vel pleniſſimam ex hoc capite obtinuerit reſtitutionem, non aliam tamen utilitatem inde ad eum redituram, quam ut rei litigioſæ poſſeſſionem adeptus, omnibus adverſarii actionibus juris pateat, qui Cæſaris, Bavari & Catholicorum favore ſubnixus, amicæ diſceptationi

„ pertinentiis cedat, ſalvis Domui Auſtriacæ juribus, ſententiis & „ actionibus in ditiones Rœteln, Badenveiler & Sauſenberg compe- „ tentibus.

(*k*) Galli in Formula Pacis menſe Julio A. 1647. oblata, quam exhibet MEYERN *Act. Pacis Weſtph.* Tom. V. p. 146. præter Præfecturas Stein & Remchingen duas alias ex ſuperiore Marchionatu Friderico adjudicari, & penſitationem illam annuam, quam ex avita hereditatis diviſione Durlacenſes debebant, penitus aboleri petierunt.

Digitized by Google

ſceptationi rerum vix daturus ſit locum. In tribunalibus Imperii poſt longas rerum & temporum ambages, ambiguam prorſus fore victoriam, at certas ſine fine impenſas. Suadebant denique, ut acciperet oblata.

Eundem in ſenſum Sueci quoque literas ad Marchionem ſcripſerunt; ancipitem oſtendentes eventum; prudentius eſſe arbitrati, certa dubiis, utilia ſpecioſis ut anteferret. Reſtitit tamen aliquamdiu Fridericus, Præfecturas aliquot ſibi adjici poſtulans. Saxonici, Brunſvicenſes & Argentinenſes Marchioni pinguiores conditiones a Cæſareanis exorare ſtuduerunt, ſed irrito conatu.

§. XXVII.

Fridericus ergo cum perſpiceret, fruſtra ſe in contraria niti, conſenſit denique, ut articulo IV. Pacis Oſnabrugenſis paragraphus his verbis insereretur: (*l*) Summa reſtitut. Badenſ.

„ Fridericus, Marchio Badenſis & Hochbergenſis, ejusque
„ filii & heredes, cum omnibus, qui iisdem quocunque modo inſer-
„ vierunt, aut adhucdum inſerviunt, cujuscunque nominis aut
„ conditionis ſint, gaudeant & fruantur ſupra art. 2. & 3. deſcri-
„ pta amneſtia cum omnibus ſuis clauſulis & beneficiis, ejus-

(*l*) Pufendorf *Rer. Suecicar.* Lib. XIX. §. 1. Pfanner *Hiſt. Pacis Weſtph.* Lib. V. §. 16. ſeq. Meyern *Acta Pacis Weſtph.* Tom. IV. Lib. XXXIII. §. 30. Tom. V. Lib. XL. §. 24. ſeq. Adami *Relatio* Cap. XXVII. §. 17.

Digitized by Google

„ que vigore reſtituantur pleniſſime in eum ſtatum in ſacris &
„ profanis, in quo ante exortos Bohemiæ motus fuit Dominus
„ Georgius Fridericus Marchio Badenſis & Hochbergenſis, quoad
„ Marchionatum inferiorem Badenſem, qui vulgo ſub appella-
„ tione *Baden Durlach* venit, itemque quoad Marchionatum
„ Hochbergenſem, tum etiam quoad ditiones Rœttelen, Baden-
„ veiler, Sauſenberg, non obſtantibus, ſed annullatis quibus-
„ cunque interim in contrarium factis mutationibus. Deinde
„ reſtituantur Marchioni Friderico præfectura Stain & Ren-
„ chingen absque onere æris alieni, interea temporis a Mar-
„ chione Guilielmo contracti, ratione fructuum, intereſſe ac
„ ſumptuum per transactionem, Etlingæ A. D. 1629. initam, dicto
„ Guilielmo Marchioni Badenſi ceſſæ, cum omnibus juri-
„ bus, documentis litterariis, aliisque pertinentiis, ita ut tota
„ illa actio ſumtuum ac fructuum perceptorum & percipiendo-
„ rum cum omni damno & intereſſe, a tempore primæ occupa-
„ tionis numerando, ſublata & penitus extincta ſit: annua quo-
„ que penſitatio ex Marchionatu inferiori, Marchionatui ſupe-
„ riori pendi ſolita, virtute præſentium penitus ſublata, annul-
„ lata & annihilata ſit, nec eo nomine quicquam vel de præte-
„ rito vel de futuro in poſterum unquam prætendatur vel exi-
„ gatur. Alternetur etiam in poſterum inter utramque lineam
„ Badenſem, inferioris ſcilicet & ſuperioris Marchionatus Baden-
„ ſis, præcedentia & ſeſſio in Comitiis & Circuli Suevici aliis-

Digitized by Google

„ que univerſalibus vel particularibus Imperii aut quibuscunque „ Conventibus, pro nunc tamen eadem præcedentia penes Marchionem Fridericum, dum ſuperſtes erit, permanente. „

§. XXVIII.

Ita Osnabrugenſis Pax Fridericum V. in politicis & in ſacris ex capite amneſtiæ reſtituit; (*m*) ita quidem, ut res religionis in eo ſtatu perſiſterent, in quo ante Bohemicos motus fuerunt. Norma religionis ergo in Marchia Bada-Durlacenſi eſt annus 1618. qui in Palatinis quoque obtinet terris. Judicium de ea.

In Pacis tam ſolennis memoriam Fridericus noſter Caſtrum Otlingam, quod bis mille paſſibus diſtat Baſilea, haud procul a dextra Rheni ripa, quod tum temporis reſtaurare cœperat, *Fridlingam* appellavit.

At inter diuturni belli mala grave æs alienum contraxerat Marchio, Reſcriptum moratorium petere coactus, quod A. 1654. Cæſar illi & Wilhelmo agnato conceſſit.

§. XXIX.

A. 1649. d. 3. Januarii Fridericus V. a conjuge ſua, Anna Maria, ex Hohengeroldseccii Dynaſtis prognata, heres teſta- Jus in allodia Geroldseck.

(*m*) Speciatim Præfecturæ Pforzheim & Graben, quas Bavari retinere voluerant, Friderico reſtitutæ. Dominicani ac Franciſcani Monachi, ſedem qui fixerant Pforzhemii, ejecti fuerunt. *Theatrum Europ.* Tom. XXVII. pag. 716. & 1040.

Digitized by Google

mento ſcriptus, jus in allodia Geroldseccianæ gentis acquiſivit. Res, ut melius intelligatur, altius repetenda.

Geroldseccium, Ortenaviæ Caſtrum, ab altitudine rupis, cui impoſitum *Hohengeroldseck* dictum, Dynaſtiæ caput fuit, quæ ſuos olim habuit Dynaſtas, quos inter Theobaldus & Gangolfus, fratres, ſeculi XV. fine floruerunt. Hi A. 1484. a Philippo, Palatino Comite, bello petiti, arce ſua Hohengeroldſecciana & Præfecturis Prinzbach atque Schimburg dejecti ſunt; quæ per vicennium in Palatini manibus perſtiterunt. Superveniente bello Palatino-Bavarico, terræ hæ a Maximiliano Imp. receptæ, Chriſtophori, Badenſis Marchionis, commiſſæ ſunt fidei; donec A. 1511. ſententia Imperiali priſtinis ſuis Dynaſtis reſtituerentur. Hi accepti beneficii memores, terras illas, a Palatino quondam occupatas, & a Chriſtophoro Marchione cuſtoditas, Caſtrum nempe & Præfecturas memoratas & quidquid allodii jure tum temporis poſſidebant, A. 1534. Domui Auſtriacæ in feudum maſculinum obtulerunt; ita tamen, ut quæ beneficii nomine ab Imperio aliisque dominis tenuerant Dynaſtæ, tenerent in poſterum. Inveſtitura nonniſi decennio poſt Gangolfo & Walthero, fratribus Dynaſtis, a Friderico Imp. ut Archiduce collata eſt. (*n*)

(*n*) Utrasque tam oblationis quam inveſtituræ literas exhibet Libellus: *Gründliche und mit Urkunden belegte Vorſtellung derer hochfürſtl. marggrævlich Baden-Durlachiſchen Gerechtſamen auf die Allodien derer Herren zu Geroldseck* pag. 35. & 64.

Interjecto tempore Geroldseccii dimidiam vici Reichenbacenſis partem, ac Præfecturas Selbach, Kubach & Schutterthal, quas jam A. 1482. in Chriſtophorum Marchionem ſub lege retrovenditionis transtulerant, (o) reſtituto emtionis pretio, ad Dynaſtiam reduxerunt. Retrovenditio hæc A. 1539. evenit. (p) Acceſſit dein Dautenſteinenſe Caſtrum, una cum adjacentibus bonis; quod jam inde a ſeculi XV. temporibus, Lumbartiis, poſteaque Pleuſſiis feudi jure conceſſum, A. 1584. Geroldseccii redemerunt. (q)

§. XXX.

Jacobus Geroldsecciorum poſtremus, quum maſcula prole careret, Rudolfus II. Imperator, ut maximam Dynaſtiæ partem Domui ſuæ ſervaret, ſpem in Imperialia Geroldsecciorum feuda, Maximiliano fratri, Pragæ die 2. Aug. 1604. conceſſit. Mortuo deinde A. 1634. eodem Jacobo, feuda quidem ad dominos directos, ac ſpeciatim Imperii & Auſtriaca feuda ad Domum ſpectabant Auſtriacam, ſed allodia gentis Jacobi, ultimi vaſalli, filiæ debebantur; nempe Annæ Mariæ, quæ Friderico Solmenſi Co- Ab Anna Maria Geroldsecc. derivat.

(o) Inſtrumentum extat in ſcripto: *Gründliche und mit Urkunden belegte Vorſtellung &c.* pag. 41.

(p) *Idem* pag. 54.

(q) *Idem* pag. 90.

Digitized by Google

miti, nuptiis primis; Friderico noſtro Durlacenſi ſecundis fuerat conjuncta. Hæc vici Reichenbacenſis partem, quam memoravimus, ut & Præfecturas Selbach, Kubach & Schutterthal, una cum Dautenſteinenſi Caſtro, aliasque terras, (r) prima Auſtriacorum inveſtitura non comprehenſas, ſed allodiales, ſibi vindicavit; reluctante Auſtriaca Domo, quæ, Anna Maria ex poſſeſſione ejecta, anno ſequenti feudalium omnium & allodialium bonorum poſſeſſionem Craſtoni Adolpho Ottoni, Cronbergio Comiti, tradidit; cujus pater Adamus Philippus ante plures jam annos ſpem in iſta bona a Ferdinando Cæſare ut Auſtriæ Archiduce, obtinuerat. (s) Separationem allodii a feudo filia impetrare non potuit. Miſſi Cæſarei, cauſæ examinandæ deſtinati, literis die 19. Sept. Dautenſteinii datis, rem non liquere profeſſi, priſtina jura Annæ ſervarunt. (t)

Inter bellicas turbas ad Weſtphalicam usque Pacem de Geroldsecciana hereditate nihil memorabile actum. Quadriennio ante Weſtphalicam Pacem (1644.) Anna Maria, defuncto marito

(r) Catalogum horum bonorum allodialium refert auctor *ejusdem ſcripti* pag. 10. ſeqq.

(s) Linckius in *Diſſert. de Jure Sereniſſimæ Domus Durlacenſis in allodia controverſa ultimi Dynaſtæ Hohen Gerolsecc* pag. 6.

(t) Charta hæc extat in Diatriba: *Unterſuchung der Beſchaffenheit des Fleckens, Thales und Bannes Berghaubten &c.* pag. 64.

Digitized by Google

priore, novum ut ſibi defenſorem pararet, cum Friderico noſtro matrimonium contraxit.

§. XXXI.

Hic rem eo perduxit, ut in Inſtrumento Pacis, ubi de Badenſium reſtitutione agitur, (*u*) de Geroldsecciana Dynaſtia hæc verba infererentur: „De Baronatu Hohengeroldseck conventum eſt, ut, ſi Domina Principiſſa Badenſis prætenſa ſua jura in dicto Baronatu documentis authenticis ſufficienter probaverit, reſtitutio ſtatim post latam deſuper ſententiam fiat cum omni cauſa omnique jure, vigore documentorum competenti. Cognitio autem hæc ſiniatur a die publicatæ pacis infra biennium. Pace Weſtph. aſſertum.

Verum enimvero Friderici conjux finem litis non vidit. Brevi poſt enim e vivis exceſſit, poſtquam conjugem Fridericum Marchionem omnium bonorum & jurium ſuorum ſcripſerat heredem. (*x*) Hic legibus Weſtphalicæ Pacis ut ſatisfaceret, A. 1649. in Conventu Norimbergenſi, ubi de Executione pacis agebatur, ut & in Conventibus Ordinum Sueviæ, eodem anno & ſequenti celebratis, authentica ſua documenta produxit; ſed irrito labore. Marchio Annæ Mariæ heres.

Fridericus VI. Marchio, patri ſuccedens, A. 1667. à Leopoldo Cæſare Reſcriptum obtinuit, quod Regimini Auſtriaco ci-

(*u*) Art. IV. §. 27.

(*x*) Teſtamentum hoc extat in ſæpe allegato ſcripto: *Gründliche und mit Urkunden belegte Vorſtellung &c.* pag. 15.

Digitized by Google

teriori injunxit, ut amicam rei compoſitionem tentaret. Verum tergiverſante Cronenburgio, quem nec iterata Cæſaris præcepta commoverant, ad Judicium Aulicum lis denique delata eſt A. 1669. Ibi inter varias adverſæ partis machinationes ad A. 1692. res protracta.

§. XXXII.

Badenſes poſſeſſionem arripiunt.

Extincto tum ſine maſcula prole Cronenburgio Comite, Fridericus Magnus, Marchio, Friderici V. nepos, bonorum allodialium poſſeſſionem, nemine contradicente, adivit, Cæſaremque ea de re literis docuit. Cæſar duobus Reſcriptis, quibus bonorum quorundam reſtitutionem Friderico Magno injunxerat, ejusdem poſſeſſionem agnovit.

Verum Carolus Caſpar, Liber Baro de Layen, qui inveſtituram feudorum Geroldseccianorum, extinctis Cronenburgiis, obtinuerat, a Cancellaria Auſtriaca *Reſcriptum*, ut vocant, *immiſſionale* ratione allodialium bonorum A. 1695. impetravit. Marchio de injuria ſibi facta penes Aulicum Imperii Judicium conqueſtus, petiit ab eo, ut jurisdictionem, quam illud in hac lite ab A. 1669. ſibi jam vindicaverat, adverſus Cancellariæ Auſtriacæ conatus defenderet. Annuit Marchionis precibus Aulicum Judicium, amicoque decreto Calendis Febr. 1697. Cancellariæ injunxit, ne progrederetur ulterius.

At

Eadem dejecti.

At Regimen Oenipontanum minacibus literis poſſeſſione decedere juſſit Marchionem; quibus cum ille parum moveretur, armata denique trecentorum militum manu die 16. Aprilis poſſeſſio in Layanum translata eſt Comitem. Marchio expulſus, frequentes quidem ea de re Cæſari querelas exhibuit; intercedentibus quoque, propter inſolitum exequendi modum, Sueviæ Ordinibus; ſed ad hoc usque tempus in priſtino res ſtatu permanſit. (y)

§. XXXIII.

Jus in Dynaſt. Lahrenſem.

Geroldſecciana ſucceſſio cum Naſſovia quoque Domo litem Friderico V. concitavit, quæ, ut recte intelligatur, repetenda quoque ab ovo.

Inter Geroldſeccianos Dynaſtas & Naſſoviorum majores de Lahrenſi & Malbergenſi hereditate ab A. 1532. in Camera Imperiali longa & diuturna fuerat agitata contentio; (z) quæ pro

(y) Acta, quæ allegavimus, exhibet: *Gründliche Vorſtellung &c.* pag. 16. ſeqq. Scripto huic addi meretur libellus, noviſſime editus, cui titulus: *Pragmatiſche Geſchichte des Hauſes Geroldseck, wie auch derer Reichsherrſchaften Hohengeroldseck, Lahr und Mahlberg in Schwaben mit CCXIII. Urkunden, Francofurti & Lipſiæ 1766. in 4to.* ſectione III. De omni hac lite præter Linckium in citata Diſſertatione agit quoque Obrecht ad J. P. Art. IV. §. 27. Burgoldensis *ad J. P.* Part. I. Diſc. 30. §. 1. & Schwederus *in Theatro Prætenſionum* Part. II. pag. 34. Imhoffius in *notitia procerum* Lib. IV. Cap. VIII. §. 28. male patrimonialia Gerolseckiorum bona ad Badenſes perveniſſe tradit.

(z) De lite hac mentionem fecimus Tom. III. pag. 97. not. d. Actionum in

Geroldsecciis A. 1595. die 2. Junii deciſa, (*a*) & executio decreta. Naſſovii contra ſententiam hanc remedio reviſionis, quod vocant, quum ſibi proſpexiſſent, loca & bona, quæ Geroldsecciis una cum fructibus perceptis reſtitui debuerant, in Naſſoviorum manibus perſtiterunt.

Judicio reviſorio per triginta jam annos pendente, Ludovicus, Comes Naſſoviæ Saræpontanus & Jacobus Geroldseccianorum poſtremus, Henrico Limpurgenſi Dynaſta, & Maximiliano Pappenhemio arbitris uſi, A. 1625. die 3. Auguſti transactionem iniverunt, qua Jacobus hereditati Lahrenſi & ſpeciatim juri, ex ſententia Cameræ A. 1595. quæſito omnique actioni & liti penitus renunciavit. Viciſſim Naſſovius centum mille florenos, certis temporibus ſolvendos, eorumque annuas uſuras quincunces Jacobo promiſit, atque in debiti fidem Lahrenſis Dynaſtiæ partem dimidiam, quam indiviſim cum Badenſibus tenebat, & inſuper in ſubſidium allodialia quæcunque bona ſua eidem oppigneravit. Præter hos centum mille florenos, Naſſovius viginti quoque millium florenorum ſummam, quam Geroldseccius A. 1603. a Georgio Friderico Marchione mutuo acceperat, in ſe derivatam, intra

Camera Imp. a Geroldsecciis A. 1532. inſtitutarum formulæ leguntur in ſcripto, cui tit. *Höchſtgemüſſigte Vorſtellung derer Hochfürſtl. Baden-Durlachiſchen Gerechtſamen wider das Fürſtl. und Græſl. Hauſs Naſſau, die Herrſchafft Lahr betreffend* inter Docum pag.. 1. ſeqq. absque loco & ao. impreſſ.

(*a*) Sententia hæc extat in *ſcripto alleg. inter Documenta* pag. 4.

bimeſtre tempus una cum uſuris 5500. florenor. Marchioni ſe ſoluturum ſpopondit. Acceſſere 10000. floreni & 20000. alii, quos Naſſovius, partim numerata pecunia, partim ſtatis temporibus exſolvendos ſuſcepit.

§. XXXIV.

A Geroldsecc. adBadenſes pervenit.

Virtute hujus transactionis Naſſovius Badenſi, quæ promiſerat, præſtitit; Geroldseccio 10000. florenos quoque numeravit; ſed de reliqua ſumma novæ difficultates quum fuiſſent exortæ, A. 1634. d. 6. Junii, Friderici noſtri Marchionis interventu' Francofurti alia inter Jacobum Geroldseccium & Ludovici Naſſovii heredes inita eſt transactio; qua præcedens confirmata, additumque, ut præter ſummas memoratas, Naſſovius viginti adhuc florenorum millia, a Geroldseccio debita, in ſe ſuſciperet. (*b*) Naſſovii his transactionibus morem non geſſerunt. Poſtremum nomina, in illis expreſſa, una cum jure in reliquam allodialem Geroldseccianam hereditatem, ex teſtamento Annæ, Jacobi, Geroldsecciorum ultimi, filiæ, ad Fridericum noſtrum Marchionem tranſierunt. Hic denique A. 1652. die 13. Julii cum Johanne, Erneſto Caſimiro, & Johanne Ludovico, Comitibus, Ludovici Naſſovii filiis, Caroloburgi ita transegit, ut loco 213200. florenorum nonniſi 130000. florenos Naſſovii perſolverent Marchioni. Triginta florenorum millia tempore definito, reliquorum centies mille

(*b*) Utraque transactio extat in *ſcripto modo alleg.* pag. 5. ſeqq.

FRID. V.

florenorum quincunces uſuræ ex reditibus Dynaſtiæ Lahrenſis oppigneratæ, &, ſi non ſuffecerint, ex aliarum quoque Naſſoicarum ditionum reditibus Friderico pendantur, donec ſumma ſoluta. (*c*)

§. XXXV.

Marchio in poſſeſſ. immiſſus.

Verum enimvero poſtrema hac transactione ſtare quum noluiſſent Naſſovii, Fridericus denique, eadem neglecta, præcedentibus transactionibus inhærens, in Camera Imperii litem Naſſovio intendit, atque A. 1654. 15. Febr. mandatum obtinuit, quo Johanni Comiti Naſſoviæ Saræpontano injunctum eſt, ut in poſſeſſionem dimidiæ partis Dynaſtiarum Lahr & Malberg oppigneratæ, Fridericum immitteret, donec de 213200. florenorum ſumma, ut & de uſuris, ſumtibus & damno ſatisfecerit. (*d*)

Naſſovius nec huic, nec aliis, quæ ſucceſſerunt, ſatisfecit Mandatis. Camera Imperii ſententiæ ſuæ executionem decrevit, eamque Hugoni Eberhardo, Wormatienſi Epiſcopo, & Mariæ Eleonoræ, Palatinæ Simmerenſi, (*e*) Circuli Rhenenſis ſuperioris Rectoribus A. 1658. die 12. Nov. demandavit. (*f*) Immiſſio anno ſequente facta. (*g*) Marchio poſſeſſionem Lahrenſis Dyna-

(*c*) Transactio hæc *ibidem* legitur inter documenta pag. 13.

(*d*) Extat Mandatum in *Scripto alleg.* pag. 15.

(*e*) Vidua hæc erat Ludovici Philippi, Comitis Palatini, A. 1654. defuncti, tutrix filii Ludovici Henrici Mauritii, ætate minoris.

(*f*) *Scriptum alleg.* pag. 22.

(*g*) Agit de omni hac lite IMHOFIUS in *Notitia procerum Imperii* Lib. IV. Cap. VIII. §. 29. & DROLLINGERUS in *Lexico Baſilienſi ſub Friderico V.*

Digitized by Google

ſtiæ adivit; Proteſtantium ſacra in eadem introduxit; (h) poſſeſſionemque retinuit, usque ad A. 1724. quo Aulicus Cæſaris Senatus Naſſovio Saræpontanis Dynaſtiam hanc reſtitui juſſit. (i)

Hæc de Geroldseccianis & Lahrenſibus rebus, quas ordine non interrupto expoſuimus, evidentiores ut fierent. Nunc ad Fridericum noſtrum redimus.

§. XXXVI.

Inveſtituram ille feudorum Imperii a Ferdinando III. Imp. A. 1651. die 12. Aug. Vindobonæ per legatos accepit. In literis feudalibus & Badenſis & Hachbergenſis Marchiæ, ut & dimidia pars Comitatus Eberſteinenſis & Dynaſtia Uſenbergenſis memorantur. Quinquennio poſt Baſilienſia feuda ab Epiſcopo Johanne Franciſco recepit. Acta ab A. 1651.

His temporibus ex decreto Circuli Suevici Conventus minorum quatuor Circulorum, agebantur. (k) Fridericus, ad quem, ex jure Senioratus, ſecundæ partis ſpectabat directio, Ordinibus, qui eam partem componunt, Offenburgum A. 1651. menſe Novembri Conventum indixit, ad quem & Hanoviæ Comitem & Argentinenſes, aliosque vicinos Status, de re communi delibera-

Ll 3

(h) Petri *Suevia eccleſiaſt.* pag. 492.

(i) Vide infra in Carolo Wilhelmo Marchione.

(k) Diviſio hæc in quatuor Circulos minores (*in vier Viertel*) A. 1563. ordinatione Circuli Suevici inſtituta & Domui Badenſi ſecundæ partis tum delata directio, quam illa habet hodieque.

Digitized by Google

turos, vocavit. Legatus Friderici Præſes Conventum direxit, Ordinumque collegit ſuffragia. Aderant Bada-Badenſis, Furſtenbergicus, Zolleranus, ut & Civitatum, Rothwilæ, Offenburgi, Zellæ ad Hammerſpacum legati, Ordinum, qui ſecundam partem componunt, mandata ferentes. Ex vicinis Hanoviæ Comitis & Argentinenſium comparuerunt legati. Ab Advocatia Provinciali Ortenaviæ & a Civitate Spirenſi literæ venerunt, quibus cauſæ communi ſe non defuturos teſtati ſunt. Actum de rebus, ad politiam ſpectantibus. (*l*)

§. XXXVII.

Acta ab A. 1653.

A. 1653. poſt diuturnum exilium & innumera, quæ bellum poſt ſe traxerat mala, Conſilium Secretum in Caroloburgenſi palatio prima vice habuit Marchio. Placuit, filium ejus cognominem Fridericum ad Comitia Ratisbonam mittendum, quod infirma pater valetudine uteretur. (*m*)

(*l*) In Inſtructione, quam Wilhelmus Marchio dedit legato, hæc verba leguntur: „ Als vermœg bey dieſem Fürſtl. Hauſe herkommenen Alter„ nativ jetzmaligem vorſitzendem auf der weltlichen Fürſtenbanck eine „ Zuſammenkunft deren in den andern Viertheil dieſes lœblichen Schwæ„ biſchen Creyſes, auch anderer ausgeſeſſenen benachbarten Stænden, auf „ den 5ten dieſes nacher Offenburg ausgeſchrieben worden, um zu deli„ beriren, wie dem aller Orten geklagten und durchgehenden Unweſen, „ Hartnæckigkeit und Uberſetzung der Ehehalten, Dienſtbotten, Tag„ lœhner und Handwercksleuth zuvorkommen &c. „

(*m*) Quæ de alternandi ordine inter varias Domos Principales & ſpeciatim Badenſem in his & præcedentibus Comitiis geſta fuerunt, expoſuimus ſupra Tom. III. pag. 106.

Digitized by Google

Weſtphalica Pace obtinuerat Cæſar, ut promitterent ei Status, (n) belli ſumptuum cauſa in proximis Imperii Comitiis pecuniarium ei ſe decreturos ſubſidium. A. 1654. Ratisbonæ decretum, ut centum Romanorum, quos vocant, menſium ſumma ei ſolveretur. Eridericus noſter, ultra portionem ſuam, quæ quadragies & quinquies mille atque ducentorum florenorum fuerat, undecies mille & trecentos florenos ſolvit, quorum in ſequentibus Imperii Collectis habita ratio. (o) Inſigne parſimoniæ Marchionis documentum.

§. XXXVIII.

Lis cum Wirtenb.

A. 1655. Friderico cum Wirtenbergæ Duce gravis eſt exorta contentio, cujus ſumma huc redit. Erneſtus Fridericus Altenſteigam & Liebenzellam Joh. Friderico, Duci A. 1603. quum tradidiſſet, recepta Malſcha, Ottersvira & Steinbaco, Dux peculiari inſtrumento die 15. Dec. eodem anno Marchioni evictionem promiſit; eumque in finem Beſighemii & Mundelshemii præfecturas, in promiſſi fidem, ei oppigneravit; Malſcha, Ottersvira & Steinbacum, eccleſiaſtica bona quod eſſent, reſtitutioni obnoxia. (p) Addita conditio, ſi loca illa, vel in totum, vel ex parte amitterentur, ut Dux damnum præſtaret, atque ſi mora in eo fuerit, Beſighemii & Mundelshemii Præfecturas occupandi Marchioni jus eſſet.

(n) Art. XVI. num. XI.

(o) Teſtis eſt Ferdinandi III. Imp. apocha data ultimo Octobris 1655.

(p) Lege, quæ diximus ſupra in Erneſto Friderico pag. 213. ſeq.

Digitized by Google

Frid. V.

Wilhelmus Bada-Badenſis A. 1622. reſtitutus ditionibus, Malſchenſem quoque Præfecturam recepit; virtute juris antiqui, quod Bada-Badenſes in eam ſibi vindicabant. (q) Steinbacum vero, Durlacenſi undique cinctum ditione, in Friderici noſtri manibus tum quidem permanſit. Hic de Malſcha amiſſa apud Wirtenbergenſem conqueſtus eſt, ſed aliquamdiu quievit. Etlingenſi autem transactione A. 1629. Malſcha Wilhelmo cum fuiſſet relicta, Wirtenbergæ Ducem monuit Fridericus, ut, quam promiſerat, evictionem præſtaret. Acceſſit eodem anno Ferdinandeum, Reſtitutionis bonorum eccleſiaſticorum, Edictum, quo Wilhelmus Malſcham, Fridericus noſter Steinbacum Albæ Dominorum Abbati reſtituere coacti ſunt. Decrevit denique Weſtphalica Pax, ut Wilhelmus Malſcham, Fridericus Steinbacum, ex anni decretorii (1624.) lege reciperent; Friderico in tractatibus pacis fruſtra contendente, ut Malſcha quoque ipſi redderetur. Peculiari tamen Scripto juribus ejus proſpectum eſt.

§. XXXIX.

Pro Marchione decisa.

Recuperandæ hujus præfecturæ ſpe dejectus Marchio, Wirtenbergæ Ducem de damno ſarciendo denuo cœpit urgere. Hic e contra Marchioni in Camera Imperii litem intendit, (r) & ſubditis ſuis commercium vini cum Marchicis interdixit. At Camera eodem

(q) Adi Wilhelmum Tom. III. pag. 113.
(r) Ex lege *Diffamari*.

Digitized by Google

eodem anno die 4. Octobris Wirtenbergæ Duci injunxit, ut in Beſighemii & Mundelshemii Præfecturarum locorumque, ad eas ſpectantium, poſſeſſionem immitteret Marchionem, donec ei de damno, propter Malſcham & Ottersviram ablatas, ut & de expenſis ſatisfecerit. Commerciorum quoque libertatem eodem mandato reſtituere juſſus eſt Wirtenbergicus, qui Beſighemii tamen & Mundelshemii poſſeſſionem pertinaciter retinuit.

Fortius dein agitata fuit lis, atque lata denuo ſententia A. 1684. ut Wirtenbergicus duas illas Præfecturas, intra trimeſtre ſpatium, pro quantitate redituum Malſchæ & Ottersviræ traderet Marchioni, donec pacta impleſſet. Sententia A. 1731. die 28. Junii confirmata eſt, ſed Wirtenbergæ Dux variis juris remediis uſus, executionem avertit (s) donec Carolum Fridericum Marchionem inter & Carolum Eugenium Ducem, noſtra ætate, res tandem transacta eſt, ut ſuo loco docebitur.

§. XL.

Gesta reliqua.

A. 1657. mortuo Ferdinando III. Imperatore Bavarum inter & Palatinum de Vicariatu lites exortæ ſunt. Fridericus noſter, aliorum Principum exemplo, Vicarii titulum utrique conceſſit; Palatinus licet, miſſa legatione, Marchionem ad ſuas perducere partes ſtuduiſſet.

Tom. IV. Mm

(s) Conferantur *Acta in Sachen, ſo zwiſchen dem Hauß Baden-Durlach, Klægern, und dem Hauß Wirtenberg, Beklagten, an dem Cammergericht von*

FRID. V.

Eodem anno inter Principes Evangelicos de Monitis ad Capitulationem, futuro Regi præſcribendam, deliberabatur Francofurti, ubi Deputatorum Imperii illo tempore agebatur Conventus. Marchio noſter Georgio Wilhelmo Bidenbachio, quem Wirtenbergæ Dux ad Conventum illum miſerat, ſuas partes demandavit. Principum Monita, in compendium redacta, A. 1658. die 27. Apr. Moguntino exhibita fuerunt. In adornanda tamen Capitulatione Monita hæc ab Electoribus cum fuiſſent neglecta, Principes ſolenni ſcripto ſibi intercedendum putarunt. (*t*)

Leopoldus, Ferdinandi III. Cæſaris filius, Imperator electus eſt; ad quem, coronationis cauſa Francofurti agentem, Fridericus noſter filium miſit Fridericum, Cæſari novo ut ſua obſequia deferret.

§. XLI.

Teſtamentum ejus.

Decennio ante mortem (*u*) Fridericus noſter Baſileæ teſtamentum condidit, cujus præcipua capita cum teſtamento Georgii Friderici A. 1615. conveniunt. En ſummam ejus:

1. Teſtator vult, ut corpus ejus inter ſecundam & tertiam Conjugem collocetur in crypta.

A. 1655. verhandelt worden; die Abtrettung beeder Aemter Beſigheim und Mundelsheim &c. betreffend.

(*t*) Monita Principum exhibet LONDORP. *Act. publ.* Tom. VIII. pag. 257. Proteſtatio eorundem, die 8. Aug. facta, legitur *ibidem* pag. 383.

(*u*) A. 1649. die 31. Dec.

2. Sibylla filia & duæ ſorores, Anna & Eliſabetha ſucceſſioni renuntient.
3. Filii teſtatoris, Fridericus, Carolus Magnus & Guſtavus Adolphus ſint heredes. Ita tamen, ut Primogenitus regat ſolus, eique ſubditi præſtent homagium.
4. Indiviſibiles ſemper ſint Marchicæ terræ.
5. Succeſſio linealis agnatica denuo firmata.
6. Carolo Magno & Guſtavo Adolpho deſtinantur pro ſede Otlinga (*x*) & Dautenſtein.
7. Executores Teſtamenti, Tutores & Curatores conſtituti ſunt Eberhardus Wirtenbergæ Dux & Georgius, Landgravius Haſſiæ.

Ferdinandus III. Imp. hoc teſtamentum confirmavit die 25. April. 1654. duabus rebus exceptis, quarum prima eſt prohibitio tranſitus ad aliam religionem. Altera reſpicit auſtregas, quas Fridericus V. uti pater, inappellabiles conſtituit. Cæſar autem eas primæ inſtantiæ judicium appellat.

§. XLII.

Decennio poſt teſtamentum conditum, anno nempe 1659. **Obitus.** die 8. Sept. Fridericus V. vitam cum morte commutavit; ſexageſimum quintum ætatis annum quum omnino expleſſet.

(*x*) Quam Fridericus noſter dein Fridlingam vocavit, ut ſuperius dixi.

Digitized by Google

Chara-ꝺter.

Princeps a primo regiminis tempore ad Weſtphalicam usque Pacem, adeoque per totos viginti ſex annos perpetua fatorum varietate agitatus; at malis non fractus, conſtantis & intrepidi Principis elogium meritus eſt, ut pater. Mechanicis artibus maximopere delectatus; virtutibus togatis magis, quam militaribus, imbutus; modeſtus, boni publici amans; luxus & luxuriæ hoſtis; parvo contentus; parcus, non ſordidus; felix maritus & pater. (y)

§. XLIII.

Uxor prima.

Uxores habuit quinque. Ex tribus poſterioribus ſobolem non ſuſcepit. Prima fuit Barbara, filia Friderici, Wirtenbergæ Ducis & Sibyllæ Anhaltinæ; nata die 4. Dec. 1593. nupta die 21. Dec. 1616. Stutgardiæ; domum deducta die 11. Jan. 1617. Obiit A. 1627. die 8. Maji in patria, in quam, marito Vindobonam abeunte, ſeceſſerat. Corpus delatum eſt Pforzhemium, ibique conditum die 15. Jul. in crypta Marchionum. Fridericus conjux cum filio Friderico; Johannes Fridericus & Julius Fridericus, Wirtenbergæ Duces, funus duxerunt, cui & plurimorum Principum legati & magna Nobilium multitudo interſuit. (z)

(y) FEUQUIERIUS, Gallicus ad Germaniæ Ordines legatus, de eo ita ſcribit in *Memoires pour l'Hiſt. du Cardinal de Richelieu* Tom. I. pag. 394.
„ Pour la perſonne du ſusdit Marquis de Bade, il eſt Lutherien,
„ d'eſprit mediocre, d'aſſez bon cœur; attaché aux Suedois, tant
„ parce qu'ils l'ont remis dans ſes Etats, dont il étoit entierement
„ depouillé, que par le don, qu'ils lui ont fait des places, qu'ils te-
„ noient dans l'Alſace de là le Rhin; dont il preta le Serment à la dite
„ Couronne entre les mains du dit Chancelier, pendant la dite aſſem-
„ blée de Hailbronn.

(z) Editus eſt A. 1627. liber Durlaci, cui titulus: *Sereniſſimæ Principis ac Do-*

Digitized by Google

Mater hæc octo liberorum, quos ordine ſubjungimus. Liberi primi matrim.

Fridericus A. 1617. natus, qui patri ſucceſſit.

Juliana, nata die 4. Nov. 1618. obiit die 7. Julii 1623.

Sibylla nata d. 5 Febr. 1620. d. 8. Kal. Maji 1679. cælebs deceſſit.

Carolus Magnus, natus A. 1621. cujus vitam ſeparatim deſcribemus.

Barbara, nata Stutgardiæ die 6. Junii 1622. XVII. annorum puella die 18. Kal. Oct. 1639. defuncta.

Johanna, nata die 5. Dec. A. 1623. Johannem Banierium Campi Mareſchallum Suecicum A. 1640. die 26. Sept. Arolſæ maritum accepit, quo extincto, A. 1648. nupſit Henrico, Comiti de Thurn, Duci Suecico in Livonia, ubi in prœlio contra Ruſſos cecidit. Johanna A. 1661. menſe Febr. vitam commutavit cum morte.

Friderica, nata die 6. April. 1625. vigeſimo ætatis anno cælebs obiit A. 1645. die 16. Jun.

Chriſtina, nata die 25. Dec. 1626. mortua die 11. Jul. 1627. eodem, quo mater, die Pforzhemii ſepulta eſt.

§. XLV.

Secunda Friderici uxor fuit *Eleonora*, Alberti Ottonis, Comitis Solmenſis, in bello Juliacenſi A. 1610. occiſi, filia, nata Uxor 2. & liberi ex ea.

minæ Dominæ Barbaræ Marchioniſſæ Badenſis & Hachbergenſis funus. Ut & Panegyricus exequialis beatis manibus ejusdem Principis, Durlaci impreſſus A. 1628.

A. 1605. nupta Friderico Butzbachii apud Philippum Landgravium A. 1627. die 8. Octobris, mortua Hachbergæ A. 1633. die 6. Julii. Ex ea nati ſunt liberi ſequentes :

Anna Philippina, nata die 9. Septembris A. 1629. eodemque anno die 27. Decembris extincta.

Eleonora, nata & mortua die 15. Nov. 1630.

Guſtavus Bernhardus, de quo ſeparatim dicemus.

§. XLVI.

Uxores reliquæ.

Defuncta Eleonora, Fridericus ad tertias progreſſus eſt nuptias, ducta *Maria Eliſabetha*, filia Wolradi Comitis de Waldeck & Annæ Badenſis, Jacobi filiæ, nata A. 1608. menſe Septembri, deſponſata Marchioni A. 1633. menſe Novembri, mortua Baſileæ A. 1643. die 19. Febr.

Eam in thoro Marchionis excepit *Anna Maria*, Jacobi, ultimi Geroldſecciani Dynaſtæ, filia heres; vidua Friderici Comitis Solmenſis, per quam jus in Geroldſeccianam hereditatem ad Badenſes, ut ſupra docuimus, pervenit. Nata hæc A. 1593. die Simonis & Judæ, nuptias cum Marchione celebravit A. 1644. die 13. Febr. obiitque Baſileæ A. 1649. die 25. Maji.

Poſtrema denique Friderici uxor fuit *Eliſabetha Euſebia*, Alberti Comitis Furſtenbergici Filia, A. 1649. nupta, quæ marito diu ſupervixit, A. 1676. die 8. Junii Baſileæ extincta.

Digitized by Google

23.30 vol IV

STINAE.

F
C.
na
16.

Catharina Barbara, nata 4. Julii 1650. Canoniſſa Hervord. †1734.

Johanna Elisabetha, nata 6. Nov. 1651. Ux. Johannia Friderici Anſpac. March. 26. Januarii 1673. † 28 Sept. 1680.

Eleonora Friderica, nat. 6. Mart. den. 13. April. 1658.

.Sept.
c. 1697.

Carolus, nat. 30. Mart. 1680. † 30. Aug. ejusd. anni.

Fridericus Rudolphus, nat. 13. Maji 1681. † 18. Maji 1682.

Carolus Antonius, nat. 1683. † 31. Maji 1692.

Fr
cu
gn
tus
nu
✝
h.

Albertina Friderica, nat. 3. Jul. 1682. Uxor Chriſtiani Aug. D. Gottorp. Epiſcopi Lubec. 2. Septemb. 1704. † 22. Dec. 1755.

Christophorus, nat. 28. Septembris 1684. ✝ 2. Maji 1723. Ux. Maria Chriſtiana Felicitas, Joh. Caroli Aug. Leininga-Heidesh. Comitis filia 4. Decembris 1711. † 3. Jun. 1734.

Carola Sophia, nat. 1686. ✝ 3. Octob. 1689.

Maria Anna, nat. 3. Jul. 1688. ✝ 8. Mart. 1689.

Carolus Augustus Johannes Reinhardus, natus 14. Novembris 1712.

Carolus Wilhelmus Eugenius, nat. 13. Nov. 1713.

Christophorus, nat. 5. Junii 1717.

.helmus Ludo-
, natus 14. Januarii

.us Augustus,

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPUT VII.

FRIDERICUS VI.

A. 1659. -- 1677.

§. I.

Octodecim annorum regimen expoſiturus ſum Principis, patrem qui fortitudine bellica, avum felicitate & prudentia ſuperavit regendi; virtutibus & Imperatoria dignitate neutri ſecundus. Fridericum VI. intelligo; Principem, in quo plures invenias Principes & compendium virtutum. Introitus.

Produxit eum Caroloburgenſe Palatium die 16. Novembr. A. 1617. quo omnia apud Germanos atque Bohemos ad civile bellum, quod per totos triginta annos Germaniam agitavit, parata. Initia Marchionis.

Argentoratum à longo jam tempore Marchionum Badenſium prima fuerat ſtudiorum palæſtra. Hanc & Fridericus adoleſcens inviſit, atque ex ea A. 1634. Lutetiam profectus, totum ibi tranſegit triennium, omnibus diſciplinis imbutus & artibus, quæ Principem ad magna natum exornant. Ad militiæ artes ſe præſertim applicuit, cujus præcipuum theatrum ipſa tum fuerat Germania, bello ardenti, quo conſumebatur, conflagrans.

Digitized by Google

§. II.

Tyrocinium militiæ.

Bernhardus ille Dux Vinario-Saxo Lutetiam Pariſiorum venit A. 1637. de bello, contra Auſtriacam Domum continuando, communia cum Cardinali Richelio initurus conſilia. Ibi Fridericus noſter Saxoni ſe applicuit, firmiter ſibi proponens, a primis militiæ gradibus ad ſummum imperatoris culmen per obſequia, ſibi ſuccedentia eniti. Bernhardo irrumpente in Sequanos, A. 1639. in pugna diuturna ad pontem Burgundicæ Araris Fridericus gladio ſuo viginti hoſtes viginti duo annorum juvenis vel occidit, vel vulneravit. (a) Delemontium, Rinovia, Laufenburgum, vel defenſæ vel captæ, virtutis ejus teſtes celebrantur. Rheinfelda obſeſſa & capta, ubi Cæſareanorum quoque copiarum duces, Savellius, Enckenfortius, Verdanus, Sperreuterus, urbem ab obſidione liberaturi, ab obſeſſoribus intra biduum ter profligati, denique capti fuerunt, (A. 1638.) Marchionis juvenis virtutem ſuſpexit.

§. III.

Chiliarcha Leg. Schœn.

Prope Niddam Haſſorum Equeſtris Schœnianæ Legionis Chiliarcha creatus eſt (A. 1640.) poſtquam per biennium eam Sub-Chiliarcha duxiſſet. Eodem anno Vinarienſis exercitus ad Erfordiam Suecico, quem Banerius ducebat, ut & Haſſiaco exercitu auctus eſt. Caſtra hoſtium caſtris, natura arteque munitis, ad

(a) KECKIUS in *Oratione funebri Friderici VI.* pag. 10.

Digitized by Google

ad Salfeldam oppoſita, obſidione lenta expugnare fœderati decreverant. Sed poſt levia aliquot prœlia, in quibus Friderici noſtri virtus emicuit, orta diſſenſione, re infecta diſceſſum. (*b*) Interjecto tempore Fœderati ad Vildungam, Cæſarei ad Fritzlariam conſederunt. Marchio cum mille equitibus caſtra hoſtium prætergreſſus, non ſine vitæ periculo commeatum Caſſellas adduxit.

Paulo poſt idem noſter Fridericus a Banerio Suecici exercitus Duce ad Ludovicum XIII. in Galliam miſſus eſt, ut de belli communis, in Germania continuandi, ratione cum Richelio tractaret. E Gallia redux A. 1641. conflictui ad Merſeburgum interfuit; quo Cæſareani Salam ad Naumburgum transeuntes, magna repulſi ſunt clade. Eodem anno poſt obitum Banerii reportatæ a Cæſareanis ad Guelferbitum victoriæ, magna quoque pars tribuenda Friderico.

§. IV.

Bellum hoc Sueco-Germanicum variis itineribus, in Sueciam faciendis, ei dedit occaſionem, unde & matrimonii occaſio. Vinculum cum Suecis. Ibi enim Chriſtinam Magdalenam, Caroli Guſtavi, poſtea Sueciæ Regis, ſororem A. 1642. ſibi junxit uxorem. Poſt nuptias ex Succia Volgaſtum ſe contulit, Pomeraniæ oppidum, quod alluit Pena. Ibi relicta conjuge, per Galliam eodem anno ad exercitum in Alſatiam contendit atque dein expugnationi Rotvilenſi &

(*b*) Pufendorf. *Rer. Suecicar.* Lib. XII. §. 8. 9.

Digitized by Google

infauſto ad Dutlingam in Suevia interfuit prœlio; in quo Galli & Vinarienſes cæſi; præcipui Duces capti. (*c*) Fridericus autem, inſtituto per Galliam itinere, in Pomeraniam redux aliquamdiu quievit.

Chriſtina, Sueciæ Regina, A. 1645. Friderico noſtro Marchioni ejusque conjugi Chriſtinæ Magdalenæ præfecturam Uccermundanam, dum bellum duraret, utendam fruendamque conceſſit. Unde non ſemel Uccermundæ verſatus eſt Marchio, ubi & filius ejus Fridericus Magnus, in Principatu ſucceſſor, lucem adſpexit. (*d*)

§. V.

Geſta varia.

A. 1647. promovendis Domus ſuæ commodis Volgaſto Monaſterium & Oſnabrugam, ubi de pace tractabatur, ſe contulit. Eundem in finem ad Carolum Guſtavum, Weſtphalicæ pacis executioni intentum, Norimbergam profectus eſt A. 1649. ut commodis Domus ſuæ invigilaret. Inde in Pomeraniam reverſus, iter per Poloniæ regnum inſtituit. His omnibus peractis cum uxore ſua A. 1651. venit Durlacum.

Multiplices autem ingenii dotes & in rebus gerendis prudentiam Ferdinando III. Cæſari & Principibus Imperii Fridericus noſter probavit, quum A. 1653. Ratisbonam ad Comitia fuiſſet miſſus a Patre. Ferdinandus IV. Cæſaris filius tum electus & paulo

(*c*) IDEM Lib. XV. §. 34. pag. 521.

(*d*) A. 1651. Carolus Guſtavus affini ſuo Marchioni literis cavit, ne Præfecturam hanc dimittere teneretur, niſi viginti thalerorum Imp. millia ipſi fuerint ſoluta.

Digitized by Google

poſt coronatus eſt Rex Romanorum. Coronata quoque Eleonora Auguſta, Ferdinandi Cæſaris conjux. In feſtivitate hac Fridericus noſter Imperialis Pincernæ officio functus eſt.

§. VI.

Biennio poſt Carolus Guſtavus, Marchionis noſtri affinis, Sueciæ Regni ſolium conſcendens, bellum intulit Polonis. Tum vero in itineribus, in tentorio, in acie, in prœliis, Regi ſemper fuit ad latus, Suecici equitatus conſtitutus Magiſter. (e) Varſavia capta, cum Poloniæ Rex Regnum deſeruiſſet, miſſus eſt Fridericus, ut Sendomiriæ Provinciam in Caroli Guſtavi fide retineret. Sendomiria urbe anno ſequente per Polonos recepta, Sueciæ Rex, veritus, ne, auctis pedetentim hoſtium viribus, intercluderetur itinere, e Minori Polonia, ubi hærebat, in vicina Boruſſiæ loca ſe recipere ſtatuit. Bellum Polon.

Regi, Jaroslavia diſcedenti, equitum viginti quatuor turmas, dimacharum ſigna decem Fridericus obviam adducere juſſus, itinere in ſiniſtra Viſtulæ ripa facto, Janovizam pervenit, ubi Regem, victis prope Sendomiriam Lithuanis, per alteram Viſtulæ ripam deſcendere intellexit.

§. VII.

Varſoviam tunc receſſurus Marchio, die 28. Martii (1656.) in vicinia oppidi Varcæ in Czarneckium incidit, Polonorum Du- Pugna ad Warcam.

(e) Lieutenant Général de la Cavallerie.

cem, qui duodecim armatorum millium ducebat exercitum. Marchio copiis hoſti longe inferior, cum pugnam evitare non poſſet, ſuis in aciem diſpoſitis, ultra bihorium ſummo cum ardore pugnavit, cæſis aliquot hoſtium centuriis, donec obruti numero Sueci, plerique tirones, fugam arripuerunt. Quingenti eorum proxima nocte evaſerunt Varſoviam; quos ſequentibus diebus ſecuti ſunt multi, qui ſe in ſylvis abſconderant. Centum ſexaginta capti, reliqui ferro perierunt. Fridericus ipſe cum præcipuis aliquot ducibus & equitibus centum & octo Czierskam ſe recepit, ubi excitatis inter rudera murorum munitionibus, per biduum magna fortitudine vim Polonorum ſuſtinuit; deditionem, quam non ſemel imperaverant hoſtes, pertinaciter detrectans & extrema ſubire paratus, niſi Poloni, de victoria deſperantes, ac itinere Regis perculſi, ab obſidione receſſiſſent. Unde Fridericus, cum militibus ſuis Czierska egreſſus, inter volitantes Polonorum catervas, Varſoviam attigit ſalvus & ſoſpes. (*f*)

Rebus tam fortiter geſtis, Rex Fridericum ſupremi Mareſchalli Campi dignitate ornatum, una cum Stenbockio & Gardio caſtris præfecit ad Gedanum, atque inſignes duas Boruſſiæ Præfecturas paulo poſt illi contulit.

(*f*) PUFENDORF. *de rebus Caroli Guſtavi* Lib. III. Cap. X. GOTTFRIED LENGNICH *Geſchichte der Preuſſiſchen Lande unter der Regierung Joh. Caſim.* pag. 157.

§. VIII.

Enimvero litteris A. 1656. die 18. Sept. Frauenburgi datis, Rex Friderico noſtro, ejusque conjugi, ſorori ſuæ, variis nominibus *87656. thalerorum* ſummam ſe debere profeſſus eſt; (*g*) in cujus debiti ſecuritatem Staroſtiam Rheden illis oppignerat, ea conditione, ut hujus Staroſtiæ reditus ipſi, eorumque heredes percipiant, donec de ſumma prædicta illis fuerit ſatisfactum. Evictionem autem ſuo & Coronæ Suecicæ nomine promiſit Rex, ſi Staroſtia Pacis tractatibus ad Polonos redierit; ſimiles prioribus reditus Marchioni & heredibus ſe aſſignaturum promittens. Staroſtiæ Marchioni collatæ.

Eodem anno & die Carolus Guſtavus, Diplomate Frauenburgi quoque dato, Friderico noſtro, ejusque conjugi, in ſignum amicitiæ & benevoli animi, pro 50000. thalerorum Imperialium ſumma Staroſtiam Liepinko Boruſſiæ oppigneravit; qua ipſi & heredes eorum utantur fruantur, donec de ſumma memorata alio modo ipſis fuerit ſatisfactum. In utroque tractatu jus ſupremi imperii & tributorum Rex ſibi reſervavit.

Staroſtiæ hæ, poſtquam quadriennium in Friderici manibus perſtitiſſent, Pace Olivenſi A. 1660. ad Polonos redierunt.

Idem Carolus Guſtavus, antequam ſolium Suecicum con-

(*g*) Debita hæc a Chriſtina Regina, & a Maria Eleonora, Regina vidua, Guſtavi Adolphi quondam uxore, & a Johanne Caſimiro Palatino, Caroli Guſtavi patre, ut & ab ipſo Carolo Guſtavo originem habuerunt, uti ex litteris patet.

Digitized by Google

ſcendit, A. 1648. die 4. Aug. litteris Ockermundæ ſcriptis, eidem Chriſtinæ Magdalenæ ſorori, ex reditibus ſuis, annuam trium millium thalerorum penſionem, in heredes tranſituram, aſſignaverat, quam dein Rex factus, in quater mille thaleros annuos, ad heredes quoque tranſituros, atque ex Regis & Regni ærario ſolvendos convertit. (*h*)

§. IX.

Patri ſuccedit.

Continuatum inter hæc magnis moliminibus Polonicum bellum, atque Friderico noſtro Livoniæ, contra Ruſſos tuendæ, & urbis Rigæ, quam hoſtes obſidebant, cum delectis equitibus liberandæ, demandatum eſt munus; ſed antequam illud exequeretur, adverſa valetudo parentis, ad vitæ finem feſtinantis, ex ipſo victoriarum curſu eum revocavit in patriam; in quam redux A. 1659. die 18. Sept. patri ſucceſſit, eodemque anno die 22. Decembris Imperialium feudorum inveſtituram a Leopoldo Imperatore accepit. Johannes Conradus, Baſilienſis Epiſcopus, biennio poſt, Baſilienſia illi quoque contulit feuda.

Acta cum Suecis.

Biennio poſtquam ſolium Marchicum occupaſſet, Fridericus VI. Antonium Ottonem de Wittersheim, Aulæ ſuæ Magiſtrum, miſit in Sueciam, qui mortuo Carolo Guſtavo Rege, Suecicorum nominum ſolutionem urgeret. Regina vidua, Regnique tutores, decreto die 5. Dec. A. 1661. facto, nomina hæc ex parte agnoverunt, ex parte reprobarunt.

(*h*) Chartam Rex dedit Frauenburgi die 17. Sept. A. 1656.

Digitized by Google

§. X.

Regeſſerant nimirum, Staroſtiam Lipinko, pro 50000. thaleris oppigneratam, Olivenſi Pace redditam eſſe Polonis. Damni, ex redditione orti, reſarcitionem a Sueciæ Regno Badenſibus non magis deberi, quam aliis, quibus ejusmodi conceſſiones factæ fuerunt. Evictionem a Carolo Guſtavo promiſſam eſſe negarunt. At ſortem 87656. thalerorum Sueci validum nomen, Regi & Regno inhærens, declararunt; nonniſi de 24207. thaleris ad uſuras ſemiſſes ſe obligari, profeſſi; reliquam pecuniam, absque uſuris, certis portionibus ſe numeraturos promiſerunt. De dote 15000. florenorum Chriſtinæ, Friderici VI. filiæ, a Carolo Guſtavo Rege aſſignata, tutores nihil immutandum cenſuerunt; ſed mandata ad Melchiorem Heinzium, Præfectum Catharinoburgenſem, (*i*) expediverunt, ut reſiduos cenſus absque ulla cunctatione perſolveret. Reliquorum nominum examen ad legitimam Regis ætatem dilatum eſt. (*k*) Nomina a Suecis agnita.

Ex debitis his Domui Badenſi nihil ſolutum; quæ non ſemel ea de re cum Suecis, ſed ſine ſucceſſu, tractavit. Carolus Guſtavus, Friderici Magni frater, A. 1700. Holmiæ cum verſaretur, ſua & Domus ſuæ poſtulata repetiit. Cognitio rei Senatoribus commiſſa. Hi debita, A. 1661. a Regiis tutoribus agnita, ut Solutio negata.

(*i*) Catharinoburgi Præfectura in Alſatia inferiore, haud procul a Weiſenburgo ſita, patria fuit Caroli Guſtavi.

(*k*) De nominibus his vide vitam Chriſtinæ Magdalenæ, Friderici VI. conjugis & quæ de Carolo Magno ejusdem Marchionis fratre, infra differemus.

Digitized by Google

Frid. VI.

invalida rejecerunt & dubia. Non dubia autem cum aliis nominibus compenſare voluerunt. (*l*) Redeamus ad oram Rhenenſem.

§. XI.

Caſtrum Lands-cronæ.

Landſcronæ apud Alſatas Sundgovios Caſtrum Auſtriacæ & Badenſis Domuum fuit feudum avitum, in duas partes diviſum. Auſtriaca pars, quæ cum Ferretenſi Comitatu ad Auſtrios pervenerat, cum Alſatia Auſtriaca ad Galliam tranſivit Weſtphalica pace. (*m*) Reichii a Reichenſtein Badenſium partem tenuerunt in feudum. Fridericus VI. pactione, cum Ludovico XIV. facta, A. 1663. d. 28. Martii annua mille thalerorum penſione accepta, directo ſuo renunciavit dominio. Reichiis annua quoque ſatisfactum penſione, quam pro dominio utili hodieque accipiunt. Ita Marchica & Auſtriaca pars pervenerunt ad Galliam.

§. XII.

Bellum Turcicum.

Invaſerant eodem anno (1663.) Hungariam Turcæ; Forgatſchio Comite victo, inhiantes Germaniæ. Fridericus gravitatem periculi ſentiens, rebus domi ordinatis; venia ætatis pro filio herede obtenta; tabulis, ut non rediturus, confectis, Comitia Ratisbonæ, perpetua quæ tum eſſe cœperant, A. 1664. adiit; (*n*) ubi

(*l*) Quæ A. 1737. hac de re acta ſunt, Caroli Wilhelmi Marchionis Vita docebit.

(*m*) Inſtrumentum Pacis Monaſter.

(*n*) Fridericus una cum Wilhelmo Bada-Badenſi Marchione die 23. Jan. Ratisbonæ advenit. Müller *Staats-Cabinet Vte Eroeffnung* pag. 250.

Digitized by Google

ubi Cæſarem inviſit, (*o*) atque in Principum Senatu ante legatum Magdeburgicum, nequicquam renitentem, tulit ſuffragium; Principes præſentes abſentium legatis præferendos cauſatus. (*p*). Cæſar d. 11. April. Serenitatis (*Durchleuchtig*) axioma Badenſibus conçeſſit. Fridericus autem ſequente Julio menſe bellici contra Turcas Senatus una cum Epiſcopo Monaſterienſi, Bernhardo, in Comitiis conſtitutus eſt Præſes. (*q*) Aſſignatum ei 1500. florenorum in ſingulos menſes ſtipendium; (*r*) injunctumque Comitiorum decreto, ut una cum Monaſterienſi Antiſtite & Conſiliariis Bellicis, ab Imperio ſelectis, ad Cæſarem, tanquam ſupremum rei militaris moderatorem, ſe Vindobonam conferret, ibique conſiliis rerum gerendarum, Imperii nomine, intereſſet. (*s*) Vindobonam delatus, bellicis Leopoldi Imperatoris conſiliis quotidie præſens, in Hungariam aliquoties ſe contulit; exercitus Imperii curam habiturus. Sed Gothardiana victoria bello mox impoſuit finem, quum Turcæ, ſuis rebus timentes, pacem ipſi offerrent. (*t*)

(*o*) Die 30. Jan.

(*p*) Müller *loco alleg.* pag. 277.

(*q*) Londorp. *Act. publ.* Lib. IX. pag. 251.

(*r*) Vide Receſſus Imp. Tom. IV. pag. 12.

(*s*) Vide Inſtructio directorum Receſſ. Imp. Tom. IV. pag. 19. Londorp. *Acta publ.* Tom. IX. pag. 266.

(*t*) Vide ſupra Tom. III. pag. 153.

§. XIII.

Geſta varia.

Redux domum Fridericus noſter Mulbergæ vico, quem valde amaverat, ubi frequens ejus in Arce mora, oppidi jura donavit.

Vectigal, quod Wenceslaus Imperator A. 1397. Heſſoni Hachbergenſi, in vico Weisweil ad Rhenum conceſſerat, frequens cum finitimis, Baſilienſibus præſertim & Argentinenſibus, fuit litium materia. Deſcendens & aſcendens navis pro pondere, quod *Fæhrtel* vocatur, Turonenſem Groſſum ſolvere tenetur. (u) Nummi hujus valor temporis progreſſu dubius evenit. Georgius Fridericus, ſuo jam tempore rem ſollicite indagans, invenit, 84 Turonenſes Groſſos Colonienſem componere Marcam & 14½ ſemiuncias argenti puri continere. Sed hic computandi modus cum Civitatibus ad Rhenum minus placuiſſet, Fridericus noſter interpretationem privilegii a Cæſare petiit; qui Diplomate A. 1665. die 3. Junii dato, (x) Turonico nummo novem crucigeros monetæ Imperii ſubſtituit. Sed reluctati Baſilienſes, litem in Conſilio Aulico intentarunt Marchioni. Baſilienſium cauſam probarunt Helvetii. Intra ſexennium amica transactione res fuit ſopita.

A. 1665. in Camera Imperii lis intentata Marchioni, ratione æris alieni, quo Erneſtus Fridericus & Georgius Fridericus,

(u) Pondus intelligitur trecentarum Librarum.

(x) Extat hoc Diploma in LUNIG *Reichs-Archiv-Supplement zu einigen Fürſtlichen Hæuſern* pag. 138.

Marchiones, ſuperiorem oneraverant Marchiam. Marchiæ hujus cauſam qui agebant, Fridericum V. ex Vindobonenſis & Etlingenſis transactionum legibus ad damnum præſtandum & diſſolvendum æs alienum teneri contenderunt. Fridericus negavit; transactiones illas, Weſtphalica pace abrogatas omnemque damni actionem expreſſis Inſtrumenti verbis ſublatam extinctamque contendens.

§. XIV.

Iter Vindobon.

A. 1666. Fridericus Cæſaris Leopoldi ſolennitati nuptiarum interfuit Vindobonæ, cum magnifico comitatu, (y) Sed & eidem Cæſari, biennio poſt legatum mittenti, aliorum Electorum ac Principum exemplo menſes aliquot Romanos conceſſit.

Naſſovio Saræpontana Domus A. 1666. ad interceſſionem Comitiorum Imperii, (z) Moratorium, quod vocant, Reſcriptum a Cæſare obtinuit, ne in Judiciis Imperii intra duodecennale tempus ad ſolvenda debita urgeretur, & ne uſuræ, quarum dies vel jam venit, vel intra prædictum advenerit tempus, exigerentur. Reſcriptum hoc ad Dynaſtiam Lahrenſem, cujus poſſeſſionem, pignoris jure, haud ita pridem Badenſes adierant, (a) A. 1670. Ju-

(y) Conradus Samuel Schurzfleischius *Operum hiſtorico politicor.* pag. 304. ubi Friderici noſtri vitam ſatis prolixe deſcribit.

(z) Ordines Imperii ſolenni decreto cauſam hanc Cæſari commendarunt, qui Reſcriptum dedit die 26. Maji A. 1666.

(a) Vide ſupra in Vita Friderici V. ad A. 1659.

FRID. VI.

dicii Aulici decreto extenſum eſt. Naſſovius tamen in Comitiis Imperii, ubi de Reſcripto hoc, Cæſari commendando, agebatur, ad Cauſam Lahrenſem illud non pertinere declaraverat. Marchio, injuriam ſibi fieri arbitratus, anno ſequente a Camera Imperii (*b*) impetravit ſententiam, qua retinere juſſus eſt pignus, donec de integra ſorte & de uſuris ipſi fuerit ſatisfactum. Cauſa tamen Reſcripti eadem Cameræ ſententia ad Cæſarem, tanquam judicem competentem, cum fuiſſet remiſſa, Naſſoviis dein in Conſilio Aulico litem inſtaurandi nata occaſio; tam felici ſucceſſu, ut victi Badenſes, Dynaſtiam Lahrenſem ſine omni pretio Naſſoviis reſtituere cogerentur. (*c*)

§. XV.

Bellum Gallicum.

Pax, poſt ſex bellica luſtra, Weſtphalicis Pactis reſtituta Germaniæ, non per integra quinque luſtra duraverat, quum nova belli fax, A. 1672. apud Batavos orta, ab illis pedetentim ad Germanos prorepit; ab inferiore Rheno ad ſuperiorem aſcendens; quo utraque Marchia & Principatus vicini evidentibus periculis rurſus expoſiti, quod Philippopolis, Pacis Monaſterienſis virtute, Gallico munita præſidio, Badenſes fere terras attingit. Hiſpanus & Cæſar anno ſequenti ſe huic bello immiſcuerunt. Imperium A. 1674. eidem acceſſit.

(*b*) Cauſſa hæc jam ante agitata fuerat in Camera, ad cujus forum eam pertinere cauſatus eſt Marchio.

(*c*) Vide infra in Vita Caroli Wilhelmi.

Digitized by Google

Fridericus noſter, ab Imperio Archiſtrategus ſive Mareſchallus Generalis conſtitutus, eodem anno Ratisbonæ, una cum reliquis Ducibus, fidem ſuam Ordinibus adſtrinxit. (*d*) Decretum in Comitiis, ut Imperii copiæ, ad Electores Rhenenſes defendendos comparatæ, exercitui jungerentur Cæſareo, (*e*) quem Montecuculus ad Rhenum ſuperiorem ducebat. Ordines ſollicite injunxerunt Marchioni, ſtationes, ad Philippiburgum & in vicinia poſitas, ut bene muniret. (*f*) Sed eorundem Ordinum copiæ & bellici apparatus lente advenerunt. Sub finem anni Fridericus a Cæſare Vindobonam vocatus, bellicis, quæ ibi agebantur, conſiliis frequenter interfuit. (*g*) Marchio Dux Imperii.

§. XVI.

A. 1675. Cæſareus viginti quinque millium exercitus Montecuculo Duce cogendus erat ad Rhenum; eique adjungendæ Imperii copiæ, quæ duodecim millibus conſtare debuerant. Sed & hac æſtate bellica res Ordinum, Cæſare & Marchione fruſtra hortantibus, (*h*) adminiſtrata eſt ſegniter. (*i*) Turennio ad Sa- Geſta A. 1675.

(*d*) *Theatr. Europ.* Tom. IX. pag. 229. Penſionis menſtruæ loco mille quingenti floreni A. 1675. die 13. Febr. Friderico in Comitiis decreti. Receſſus Imp. Tom. IV. pag. 99.

(*e*) Müller *verwirrtes Europa* Tom. II. pag. 337. & pag. 348.

(*f*) Præſidiarii Galli e Philippiburgo Civitate inſignia vicinis Principibus damna inferebant. Unde jam A. 1674. in Comitiis decretum eſt, ut Fridericus una cum Imperii copiis eminus urbem obſideret. Vide Müller *loco alleg.* pag. 450.

(*g*) Müller *loco alleg.* pag. 448.

(*h*) Idem *loco alleg.* pag. 685. 705.

(*i*) Pufendorfius *Hiſt. Brandeburg.* Lib. XIII. §. 16. hæc ſcribit: „Pu-

ſpacum occiſo (*k*) pulſisque cis Rhenum Gallis, Fridericus, exercitum ducens Imperii, una cum Montecuculo & Hermanno Badenſi agnato, Hagenoæ obſidionem aggreſſus eſt, quam ſub adventum Condei, diſcedente Montecuculo, ex arcta in laxam commutavit. (*l*) Ea obſidione ſoluta, Philippiburgum, arcendis hoſtium excurſionibus, laxe cœpit obſidere, & erumpentes aliquoties præſidiarios magna virtute rejecit. Præſidiis dein Landaviæ Bruchſaliæque impoſitis, cum hiems appropinquaſſet, reliquas copias in hiberna deduxit. (*m*)

§. XVII.

Obſidio Philippiburgi.

A. 1676. Fridericus, abeunte in Hiſpaniam Bournonvillio, Campi Mareſchallus Cæſareus die IX. Martii creatus, (*n*) una cum Hermanno Badenſi ad ſuſcipiendam Philippiburgi obſidionem unanimi deſtinatus eſt voce. (*o*) Ille ultimo menſis Aprilis urbem e longinquo obſidere cœpit; civitatis rivo in aliam partem deflexo. (*p*) Junior filiorum Marchionis, Carolus Guſtavus, pri-

„ blicus Imperii exercitus tenuis, & vix pontibus ad Argentoratum
„ tuendis ſufficiens; & quia multi Ordines ſuos ex eo exercitu milites
„ dimittebant, ac ſtipendia negligenter ſolvebant, metus erat, ne iſte
„ plane dilaberetur. „

(*k*) Adi Tom. III. pag. 168.

(*l*) WAGNER *Hiſt. Leopoldi* Part. I. pag. 389.

(*m*) *Theatrum Europæum* Tom. XII. pag. 677. MÜLLER *loco alleg.*

(*n*) IDEM Tom. XI. pag. 907. ſeq.

(*o*) LUDOLFFI *Schaubühne* Tom. V. pag. 149. MÜLLER Tom. III. pag. 110.

(*p*) MÜLLER *l. c.* pag. 30.

mum in præſidiarios impetum fecit. Idem Fridericus paulo ante Stolhovam & Offenburgum munitionibus firmaverat, ductoque in Alſatiam exercitu, variis velitationibus fatigaverat hoſtes. Philippiburgi obſidio a Friderico cum mediocri copiarum numero ſuſcepta eſt; tarde progredientibus Circulorum copiis. Sed ſine Junii viribus auctus, majori rem ardore aggreſſus eſt; poſtquam in Conſilio bellico, Raſtadii habito, de arctiore obſidione inter Duces conveniſſet. (q) Carolus VI. Lotharingiæ Dux, durante obſidione, in tractu Spirenſi ad Luteram, quam variis muniverat operibus, cum exercitu ſtetit, aditum ut intercluderet Gallis, qui urbem hanc, Germaniæ clavem, quam magnæ provinciæ præferendam Turennius reputabat, ſumma vi tueri decreverant. Luxemburgi Dux, Franciæ Mareſchallus, cum quinquaginta millium armatorum exercitu urbi obſeſſæ in auxilium venit. Sed Lotharingum, ſuis ſe munitionibus continentem, aggredi non auſus, in Brisgoviam ſe recepit. Copias, quas cum commeatu in urbem introducere tentaverant Galli, Fridericus noſter, miſſo Schulzio Duce, disjecit.

§. XVIII.

Obſeſſoribus Rhenus, ripas ſuas non ſemel ſupergreſſus, contrariari videbatur. Ordines commeatum, pecuniam, tormenta, copias lente ſubmiſerunt, qua de re frequentes Marchionis ad Eichſtadienſem Epiſcopum, Cæſaris ad Comitia legatum, Deditio urbis.

(q) *Theatr. Europ.* Tom. XI. pag. 856. Müller *loco alleg.* pag. 110.

teſtantur querelæ. Cæſar ipſe repetitis vicibus Ordines tam ſingulos, quam univerſos, ſui officii commonefecit. (r) Inſtitit tamen propoſito ſuo Fridericus, difficultatibus obſidionis, quæ identidem ei occurrebant, audacior factus, ſuaque virtute rem eo perduxit, ut Fayus, urbis Præfectus, ad incitas redactus, die 17. Sept. Philippopolin ei traderet; qui Imperii nomine eam recepit, atque adeo Germaniæ reſtituit eo ipſo die, quo A. 1644. eam occupaverant Galli. (s)

§. XIX.

Obitus Marchionis.

Philippiburgo capta, Briſacum quoque expugnare decreverat Marchio. Sed obſidione diſpendioſa & gravi nuper finita, reddenda erat Cæſari ratio, antequam nova ſuſciperetur. Quin & de belli continuandi modo prius erat deliberandum. Media ergo hieme profecturus Vindobonam, ad Cæſaream Aulam, in itinere morbo correptus, rediit ad ſuos & paucas intra ſeptimanas in Caroloburgenſi ſuo Durlaci Palatio A. 1677. die 31. Jan. quinqua-

(r) Singulas has Friderici & Cæſaris litteras vide apud Müllerum *lib. alleg.* Tom. III. pag. 111. 115. & in *Appendice Documentor.* pag. 6. ſeqq. Plures alias Friderici noſtri litteras, quibus de ſtatu obſidionis Cæſarem & Eichſtadienſem Epiſcopum identidem reddidit certiores, exhibet idem Auctor *loco alleg.* pag. 131. 140. 141. 143. Add. Londorpius *Acta publ.* Tom. X. pag. 384. ſeq.

(s) Leges deditionis hujus die 9. Septembris conſcriptæ ſunt, quibus inter alia cautum, ut intra octiduum ſi non advenerint auxilia, urbs die 17. Sept. Friderico traderetur. Quincy *Hiſtoire Militaire de Louis le Grand*

Digitized by Google

quaginta novem annorum (*t*) heros laureatus, novas ſibi laureas parans deceſſit; febre ex viſcerum torminibus orta, magnos inter belli apparatus occumbens; poſtquam non longo regimine ſeculi famam expleſſet; conſtanti Imperatoris Leopoldi & Aulæ ejus, quam ſepties inviſerat, florens amore.

§. XX.

Multiplices corporis & animi dotes ſe in eo conjunxerant. Character ejus. Statura ſublimis, imperatoria dignitas, majeſtas ex ore, geſtu, inceſſu, elucens; ſummis & infimis eum venerabilem reddiderunt. Terrarum ſuarum ſecuritati conſulens, Hachbergæ Caſtrum ex ruderibus ad priſtinum robur muniri, Rœtelanum, Canderenſe, Sauſenburgicum, Badevillanum, Pforzheimenſe, Staffortenſe, Grabenſe, ita refici curavit, ut ſubitaneo tumultu perculſis ſervirent perſugio. Mulbergenſe non refici tantum, ſed perfici & exornari voluerat. Caroloburgi Palatium, Durlaco adhærens, ita extulit, tantumque adauxit, ut ab eo tempore Fridericiburgum re-

Tom. I. pag. 491. ſeq. Hode *Hiſt. de Louis XIV.* Tom. IV. pag. 59. Basnage *Annales des Provinces Unies* pag. 703-709. *Theatrum Europ.* Tom. XI. pag. 860. Müller *verwirrtes Europa* Tom. III. pag. 146. ſeq. ubi & litteræ Friderici ad Eichſtadienſem Epiſcopum occurrunt, die 10. & 15. Sept. perſcriptæ, quibus totius rei geſtæ ſeriem illi exponit & rogat, ut penſionis, ipſi debitæ, in Comitiis ratio habeatur.

(*t*) Duorum menſium, 24. dierum.

ctius, quam Caroliburgum appellaſſes. Lateritiam, quam ſtruxerat Carolus, marmoream Fridericus reliquit. Elegantia Palatii & Aulæ ab exteris certatim laudata. Aulam ornarunt præcipue duæ amitæ, Anna & Eliſabetha, Georgii Friderici filiæ, tanto dignæ parente; quarum ſcientiam linguarum exterarum & multifariæ doctrinæ cognitionem populares laudaverunt & exteri. (*u*)

Vita privata. Privatam ejus vitam ſi ſpectes, & regimen, nemo clementior eo atque benignior fuit. Ille publicas qui injurias nunquam, facile condonavit privatas. Popularis fuit, affabilis, religioſus datæ fidei cuſtos; remunerator virtutis. Omnis otii, niſi literarii, oſor; parcus ſomni; in ſeram noctem lectionis amator; qui hebdomadibus ſingulis Commentarios ſibi juſſit afferri omnium rerum, quæ in Aula, in Cancellaria, in Tribunalibus, in Camera fuerunt peractæ. Muſis intimus apud eum fuit acceſſus; præſertim illis, quæ elegantioris literaturæ præſidium tenent.

§. XXI.

Numophylacium. Numiſmaticus theſaurus ab eo collectus eſt ingens, in quo Regum, Conſulum, Imperatorum, urbium, coloniarum, græci atque latini, ex omni metallo moduloque nummi comparent. Eminet tamen aurea Imperatorum & Cæſarum ſeries. Præter numismata Marchio quoque noſter Cimeliothecæ ſuæ inſeruit ex Romana ſupellectile veteri, ſacra atque profana. Item varii ge-

(*u*) Chappuzeau de quo paulo poſt.

neris vaſa, ex amethyſto, achate, onyche, jaſpide; ut & gemmis, e Marchico ſolo effoſſis, ſculpta, ſcyphos ex auro Rhenenſi Marchico fuſos. Inæſtimabilis hæc gaza eſt Domus Badenſis; ex qua præſtanti ſuo Numismatico Operi plures ineditas inſeruit Ezechiel Spanhemius. (*x*) In comparando & ordinando hoc antiquitatis theſauro Fridericus noſter præſertim uſus eſt opera Caroli Patini, qui inſigni apud eum gratia floruit, atque A. 1671. tertiam Itinerum ſuorum *Relationem* eidem Marchioni Argentina adſcripſit. (*yz*)

Nec prætereundum ſilentio, quod in pluribus Germaniæ illius ævi Aulis elegantiorum literarum regnaverit genius. Apud Palatinos Carolus Ludovicus; apud Brandeburgicos Fridericus Guilielmus, Electores; Brunsvigæ Antonius Ulricus; apud Wirtenbergenſes Fridericus Auguſtus, in colligendis hujus generis theſauris fuerunt diligentes.

§. XXII.

In bello, quo Philippopolin obſedit Fridericus, Nummophylacium cum Bibliotheca Domus, quæ & valde tum aucta, Baſileam translata eſt, ubi ab eo tempore perſtitit ad annum usque 1765. quo omnem hunc literarium theſaurum Baſilea in Carlsruhenſe Palatium ſuum Carolus Fridericus juſſit transferri. Baſileam translatum.

(*x*) Libri rubrum: de uſu & præſtantia Numiſmatum.

(*yz*) Relations hiſtoriques & curieuſes de Voyages, à Bale 1673.

Præditum tot virtutibus & dotibus Fridericum VI. cur non appellemus Badenſium *Auguſtum.* Marchia felix, ſi primum illum Imperii Romani fundatorem diuturnitate quoque vitæ Marchio noſter æquaſſet.

Marchionis hujus vitam KECKIUS (*a*) FECHTIUS (*b*) & ARNOLDUS, (*c*) Oratores, ſermone latino delinearunt. SCHURZFLEISCHIUS (*d*) in Badenſium Marchionum ſerie Friderici VI. inprimis hiſtoriam late tractavit. CONRINGIUS (*e*) & CAPPUZOVIUS (*f*) eum in tranſitu laudarunt.

(*a*) JO. CHRISTIAN. KECKIUS Conſiliarius, Marchioni ob eruditionem carus, in *Panegyrico Friderici VI. poſt mortem ejus habito.*

(*b*) In programmate invitatorio ad KECKII Orationem.

(*c*) GERHARDUS' ARNOLDUS, Rector Gymnaſii Durlac. in *Laudatione funebri, tum quoque habita.* Scripta hæc impreſſa Durlaci 1677. fol.

(*d*) *Operum politico-hiſtor.* pag. 297.

(*e*) CONRINGIUS in *Theſauro Rerumpubl.* Part. IV. pag. 1236. ita de eo:
„ ditiones ſuas marmoreas facere nititur; Princeps affabilitate ac hu-
„ manitate amabilis, curioſus, Sereniſſimo vultu & ſano corpore præ-
„ ditus; Eccleſiæ pariter ac reipublicæ feliciter præeſt, Auguſtanam
„ Confeſſionem maſcule propagans; Princeps Martia laude illuſtris &c.
„ Aulam habet concinnam, perpolitam, venuſtam, elegantem, in qua
„ Nobiles Aulici valde civiles.

(*f*) Libri rubrum: *L'Allemagne Proteſtante* à Geneve 1671. 4to. Auctor fuit præceptor Arauſii Principis. Hic ita de eo pag. 92. „ Ce Prince eſt de
„ la riche taille & de grande mine avec beauconp d'embonpoint. Il
„ eſt très affable & très civil, curieux de belles choſes & tous les

Digitized by Google

§. XXIII.

Conjux Friderici VI. fuit Chriſtina Magdalena, Johannis Caſimiri, Comitis Palatini Bipontini, filia, ex Catharina, Caroli IX. Regis Sueciæ, Guſtavi Adolphi Regis ſorore, prognata; quæ Nicopiæ A. 1616. die 14. Maji lucem aſpexit. Princeps aliquot annorum cum parentibus in Germaniam migravit. Sed poſt turbas, in Palatinatu exortas, A. 1622. cum iisdem in Sueciam rediit. In Aula Guſtaphi Adolphi, avunculi, educata A. 1631. Regem ejusque conjugem, Mariam Eleonoram, in Germanica expeditione ſecuta eſt; ſed extincto Rege, una cum Regina vidua & Catharina matre A. 1633. in Sueciam redux, in Aula Chriſtinæ Reginæ aliquot annos peregit; matre A. 1638. orbata, ob inſignes virtutes ingeniique præſtantiam, inter alias illuſtres feminas Chriſtinæ Reginæ educationi a Senatoribus Regni (*g*) præfecta eſt; usque ad A. 1642. quo matrimonium cum Friderico no- Conjux ejus.

Pp 3

„ traits de ſon viſage marquent ſes bonnes inclinations. Il mange
„ delicatement. Sa table eſt des meilleurs d'Allemagne & ſervie à la
„ françoiſe, la qualité l'emportant ſur la quantité de viande par les
„ bons ragouts.

(*g*) Hi Chriſtinæ Magdalenæ tum ad legitimam usque Reginæ ætatem annuam trium millium thalerorum aſſignarunt penſionem, quam Chriſtina Regina A. 1647. ad vitam Marchioniſſæ extendit.

ſtro contraxit. Nuptiæ die 30. Nov. celebratæ ſunt Holmiæ. Decies mille florenorum dos & ex bonis maternis decem mille thaleri eidem Chriſtinæ Magdalenæ promiſſi ſunt. Renunciavit illa in commodum ſtirpis Bipontinæ maſculorum, omnibus juribus in Ducatum Bipontinum & in ſucceſſionis Juliacenſis partem, quam Bipontini petebant, & in alia bona feudalia, in Imperio ſita. Conditio addita, ut maſcula Bipontinorum prole extincta, Chriſtinæ Magdalenæ reviviſcerent jura. Bipontinus ramus cum Guſtavo Samuele, ultimo Duce, quum A. 1731. interiiſſet, in Juliacenſis ſucceſſionis partem jus aliquod per eam ad Badenſes pervenit. (*h*)

§. XXIV.

Liberi.

Ex Conjuge hac Friderico noſtro ſoboles VIII. liberorum prognata eſt. Tres inter filios fuit *Fridericus Caſimirus*, A. 1643. die 27. Novembris natus Volgaſti; qui intra quintum nativitatis menſem ibidem deceſſit, atque ſepultus eſt; quod ibidem quoque vixerat pater.

Excepit eum in ordine filiorum *Fridericus Magnus;* patris ſucceſſor & *Carolus Guſtavus*, quorum vitam ſeparatim exponimus. Filiæ *Eleonora Catharina* & *Eleonora Friderica;* illa A. 1647. hæc A. 1658. infantes extinctæ.

(*h*) Vide infra in Vita Caroli Wilhelmi.

Digitized by Google

Chriſtina A. 1645. die 22. Aprilis nata, Alberto, Marchioni Brandeburgico, lineæ Onolsbacenſis, A. 1665. nupſit. Poſt mortem Alberti, Fridericum Ducem Saxo-Gothanum ſecundis nuptiis A. 1681. die 14. Aug. maritum accepit. Sexageſimum annum agens A. 1705. deceſſit. Princeps herois; Carolo Guſtavo, Sueciæ Regi, avunculo, inprimis dilecta, qui Diplomate A. 1656. die 8. Octobris Frauenburgi dato, decies mille Imperialium ſummam, futuræ dotis loco, illi adſcripſit. Interea ſemiſſes nongentorum annuorum florenorum uſuras ex Bipontini Ducatus Cleburgica parte, quam Carolus Guſtavus ſibi ſervaverat, eidem pendi juſſit Chriſtinæ. Hæc A. 1665. cum Alberto Onolsbacenſi nupſiſſet, Carolus XI. Sueciæ Rex & Regni tutores conſenſerunt, ut Præfectura Catharinoburgica pignoris loco traderetur Chriſtinæ, donec, Rege ad legitimam ætatem provecto, decies mille Imperialium ſumma ſolvatur. (*i*) Chriſtina, Friderico Saxoniæ Duci ſecundis nuptiis juncta, literis Altenburgi die 3. Nov. 1697. ſcriptis, pro ſe & heredibus omne jus ſuum in hanc ſummam ut & in penſiones atque uſuras reſiduas fratri tradidit Friderico Magno Marchioni, literasque donationis Caroli Guſtavi, Sueciæ Regis, hoc anno illi transmiſit. Marchia tum flammis vaſtata, Chriſtina liberalitate hac ſua ſolata eſt fratrem; addens pecuniam omnem,

(*i*) Docent hoc litteræ Regis & tutorum ad Adolfum Johannem Palatinum, Caroli Guſtavi Regis fratrem, partis Kleburgicæ Biponti Ducem ſcriptæ die 15. Nov. 1665.

a Suecis ſolvendam, in rem Marchiæ verti debere. Catharinæburgicæ Præfecturæ poſſeſſionem Fridericus Magnus per aliquod tempus arripuerat, pignoris jure, quod ei conceſſerant Sueci, uſurus. Sed ex quo Chriſtianus, Comes Palatinus Birckenfeldenſis, Bipontini Ducatus adminiſtrationem ſuſcepit, Præfectura hæc ex Friderici manibus exivit.

§. XXV.

Filiæ reliquæ.

Chriſtinam excepit Catharina Barbara, Friderici VI. & Chriſtinæ Magdalenæ filia, A. 1650. die 4. Julii nata, tres inter ſorores corporis animique dotibus eminuit; artibus & ſcientiis imbuta, Cæſaris Lepoldi aditura thorum, niſi paternis ſacris adhæſiſſet conſtanter. Canonicarum denique Hervordienſium adſcripta Collegio, anno hujus ſeculi 1734. deceſſit, condito die 13. Febr. A. 1726. teſtamento, quo Carolum Wilhelmum, Marchionem, omnium bonorum & jurium ſuorum ſcripſit heredem.

Johanna Eliſabetha, tertia Friderici VI. filia A. 1651. die VI. Nov. Caroloburgi nata, Johanni Friderico, Onolsbacenſi Marchioni, A. 1673. die 26. Januar. elocata, (k) obiit die 28. Septembris 1680. (l)

§. XXVI.

(k) Nuptiæ Caroloburgi celebratæ; evocatis Vaſallis Marchicis, qui ſervitia conſueta obierunt.

(l) Vid. Oratio de Sereniſſimorum Marchionum Badenſium origine ac magnitudine &c. memoriæ Johannæ Eliſabethæ &c. in Gymnaſio Heilbronnenſi conſecrata.

Digitized by Google

§. XXVI.

His liberis in lucem emiſſis, Chriſtina Magdalena, mater, A. 1662. die 4. Aug. deceſſit. Die 18. Januarii condidit teſtamentum, quo ex 87656. Imperialibus, a Corona Suecica debitis, Carolo Guſtavo, Marchioni, filio ſuo poſtgenito, XL. florenorum millia prælegavit. Reliqua Sueciæ debita, inter eum & tres filias, Chriſtinam, Catharinam Barbaram, & Johannam Eliſabetham, æquis portionibus, dividi juſſit. Chriſtina inſtrumento, Altenburgi A. 1698. die 6. Martii dato, omnia jura ſua in nomina, a matre relicta, Friderico Magno Marchioni pro certa pecuniæ ſumma reliquit. Catharina Barbara, Canonicarum Hervordenſium Collegio adſcripta, ſuam Suecicorum debitorum partem teſtamento, quod memoravimus, in Carolum Wilhelmum Marchionem transtulit. Johanua Eliſabetha, Johanni Friderico, Onolsbacenſi, quæ nupſerat, portionis ſuæ jura in Onolsbacenſem Domum transmiſit. Caroli Guſtavi jura in filiam ejus Chriſtinam Julianam, & cum ea in Iſenacenſem Domum tranſierunt.

Teſtam. Chriſtinæ Magd.

Mortua Chriſtina Magdalena, Fridericus VI. ex Johanna, dicta de Munzesheim, genuit quoque Fridericum & Joh. Bernhardum, & illis Nobilium Ordini a Cæſare adſcriptis, Munzesheim (*m*)

(*m*) Vicus hic antiquum Eberſteinenſis Comitatus allodium una cum parte Comitatus A. 1283. emtione ad Badenſes pervenit. Vaſallis, qui a Comiti-

Digitized by Google

vicum in feudum conceſſit; unde Barones a Munzesheim, qui hodieque durant, genus ſuum duxerunt & nomen. Vicus A. 1761. initis die 28. Julii cum Familia pactis ad Marchiam rediit.

bus Eberſteinenſibus hunc vicum acceperant, extinctis, Fridericus Marchio A. 1326. Alberto Hofwartho equiti, ex Kirchheimenſi valle oriundo, vicum hunc in feudum conceſſit. Vid. *Cod. Diplom.* Tom. V. pag. 396. Hofwartiis cum Johanne Philippo A. 1675. deficientibus, feudum ad Marchionem rediit, qui filios naturales de eodem inveſtivit. Lites de Collectatione equeſtri in hoc vico diuturnæ, de quibus agit BURGERMEISTERI *Theſaurus juris equeſtris* Tom. II. num. 33. pag. 70. ſeq. transactione, anno 1727. inita, ſopitæ, at poſtea renatæ, a Judicio Imperiali Aulico anno 1757. deciſæ ſunt. Plura de hujus feudi Eberſteinenſis hiſtoria habet GE. ERN. LUD. PREUSCHEN Ser. Marchioni Carolo Friderico a Secretioribus Aulæ Conſiliis *in denen Carlsruher nützlichen Sammlungen* Part. I. pag. 387. ſeq.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

CAROLUS MAGNUS

Friderici VI. Frater.

§. I.

Carolus Magnus, Friderici V. Marchionis & Barbaræ Wirtenbergicæ filius, A. 1621. die 27. Martii lucem adſpexit, indolis non mediocris Princeps, qui a prima ætate bellicis ſtudiis totum ſe dedidit, ſummis illius ævi Ducibus, ob erectum ingenium, carus, magnos inter Duces ipſe locum haud dubie habiturus, ſi longiore vita illi frui licuiſſet. Annum ætatis decimum quartum cum ageret, in præcipua Europæ regna inſtituit iter. Lutetiæ Pariſiorum inprimis aliquamdiu verſatus eſt; Fratri ſuo Friderico adhærens, cum quo A. 1637. in Bernhardi Vinarienſis ſe contulit caſtra; tirocinium militiæ tanto ſub Duce facturus. Bernhardo intra biennium ex-

Caroli initia.

Digitized by Google

CAROL. MAGNVS.

tincto, Johanni Banierio, illi Suecorum heroi, Johannam, Caroli noſtri ſororem, in matrimonium ducenti, ſe adplicuit; turmæ equitum ſub Slangii legione ab eo præfectus.

§. II.

Geſta ſub Suecis.

Banierius ineunte A. 1641. memorabilem illam verſus Danubium expeditionem ſuſcepit, qua Cæſarem & Imperii Ordines, de Pace Ratisbonæ tractantes, primo impetu vel intercipere, vel trepida fuga disjicere conſtituerat. Sed remittens gelu, facultatem transeundi Danubium Banierio ademit. Guebriani miles hibernam expeditionem faſtidiens, ab ejus exercitu diſceſſit. Hinc irruente cum validis copiis Piccolomineo, Banierius feſtinato per Bohemiam receptu, ſibi conſulere coactus eſt, tribus legionibus relictis, inter quas Slangii legio, in qua Carolus militabat Badenſis. Hæ Neoburgi ad Sylvam, tertio a Chamo milliari, a Piccolomineo circumſeſſæ, poſt acerrimam quatuor dierum defenſionem, dejectis circumcirca mœnibus, ad unum omnes in deditionem venerunt. Carolus noſter cum aliis copiarum ducibus ductus Ratisbonam. (a) Sed anno ſequente libertati reſtitutus, ad exercitum Suecicum rediit, quem poſt Banierii, A. 1641. defuncti, obitum Leonardus Torſtenſonius ducendum acceperat. Tribunus militum ab eodem creatus, in Jancovienſi Bohemiæ prœlio, quo duplici clade proſtrati A. 1645. Cæſarei, miræ fortitudinis ſibi

(a) PUFENDORF. *Rer. Suecicarum* Lib. XIII. §. 9. *Theatrum Europæum* Tom. IV. pag. 609. *Florus* WASSENBERGII *Germ.* pag. 354.

gloriam peperit. (*b*) Sed & in reliquis Torſtenſonii, & qui eum paulo poſt excepit, Caroli Guſtavi Wrangelii expeditionibus non minori virtute pugnavit.

Compoſita apud Weſtphalos Pace, in Marchiam redux Carolus, otio & muſis vacavit; militare recuſans Imperium, quod varii Europæ Principes non ſemel ei obtulerunt.

§. III.

At a Carolo Guſtavo, Rege Sueciæ, ad bellum Polonicum cum fratribus A. 1655. evocatus, lateri Regio fere ſemper adhæſit; Legati (*c*) ab eo dignitate ornatus. Quo & inſecuto Danico bello fortitudinem ſuam & in rebus gerendis peritiam ſummopere Regi probavit. Turmam ille ducens equeſtrem omnibus Regis geſtis interfuit, ſpectator & actor. A. 1656. menſe Majo aliquot legiones e Pomerania Regi adduxit, profligata Polonorum manu, quæ Wejero Duce iter morabatur. Excipiendo Marchioni ad Coronovam Rex caſtra admovit. (*d*) In atroci illo ad Varſoviam prœlio; quo immenſus Polonorum exercitus, poſt triduanam pugnam, a Carolo Guſtavo proſtratus eſt, Carolus noſter in dextro cornu ſecundam regiorum aciem duxit. (*e*) Sunt qui tum Regi vitam a Marchione ſervatam fuiſſe ſcribunt. (*f*)

Bellum Polon.

Qq 3

(*b*) Idem Lib. XVII. §. 6. ſeqq. *Theatr. Europ.* Tom. V. pag. 545.
(*c*) *General-Feldmarſchall-Lieutenant.*
(*d*) Pufendorf. *de rebus Caroli Guſtavi* Lib. III. pag. 148. 150.
(*e*) Idem *loco alleg.* pag. 158.
(*f*) Spener in Libro, cui Tit. *Herſtammung beyder Hæuſer Baden und Hol-*

Digitized by Google

§. IV.

Regis dona.

Rex A. 1657. die 13. Maji diplomate, in caſtris prope Oſtrozana dato, Carolo Magno Marchioni, equitatus Suecici Locumtenenti Generali, in remunerationem officiorum, in bellis Germanicis atque Polonicis magna aſſiduitate & eximio Regni commodo præſtitorum, Præfecturam Boruſſicam, quæ *Tenuta Meſelenz* vocatur, jure caduci Regi apertam, titulo pignoris & pro ſumma 40000 *thalerorum* cum pacto antichretico tradidit, ea conditione, ut ipſe Carolus Magnus & maſculi ejus heredes Præfecturam hanc tenerent, donec de ſorte 40000 *thalerorum* alia ratione ipſis fuerit ſatisfactum. Suprematum vero Rex ſibi reſervavit.

Interjectis aliquot diebus, Rex Carolum noſtrum cum aliquot equeſtribus legionibus ad Steenbockium proficiſci juſſit, ut juncti, pontem navalem, Plotzcæ exſtructum, tranſirent, ac recta in Johannem Caſimirum Regem ac Czarnecium, circa Lowicium hærentes, tenderent, eosque vel opprimerent incautos, vel a Boruſſiæ invaſione averterent. (*g*) At irruptio Danorum in Bremenſem Ducatum & Auſtriacorum cum Polonis conjunctio, hæc interverterunt conſilia.

ſtein, fol. pag. 19. DROLLINGER. *Lex. Baſil. voce Carolus Magnus.* ANONYMI *Leben der Marggraffen von Baden* pag. 463.

(*g*) PUFENDORF. Lib. IV, pag. 261.

Digitized by Google

§. V.

Suecus Danicum bellum aggreſſus, Carolum noſtrum Marchionem e Polonia ſecum abduxit. Holſatiam Julio menſe invadens, cum Danorum copiæ adventare dicerentur, exercitum prope oppidum Mölln eduxit in aciem, Carolo noſtro Marchione dextram equitatus alam ducente. Holſatia pleraque atque Jutia ſubacta, Rex anno ſequente (1658.) ſub finem Januarii per glaciem in Fionam tranſiens, in Branſæa inſula aciem ita diſpoſuit, ut Marchio Badenſis & Claudius Tottius dextrum cornu, Fabianus Berendius una cum Rege ſiniſtrum curarent. Succeſſit (30. Jan.) atrox ad Iſvernæſum Fioniæ pugna, in qua Wrangelius primum agmen & quatuor alas primæ duxit aciei, reliquas ipſe Rex cum Carolo Magno Marchione & Tottio direxit. Carolus noſter primum cum tribus alis impetum in quatuor Danorum alas, ſibi oppoſitas, fecit, tam felici ſucceſſu, ut eas penitus proſterneret. Dani fere omnes, qui cædem effugerant, in deditionem venerunt. (*h*) Poſt victoriam hanc Rex tota potitus Fionia, per mare Balthicum, glacie opertum, & Langelandiam ac Lalandiam inſulas, Carolo noſtro comitatus Marchione, in Selandiam irrupit tantumque Danis terrorem injecit, ut inſequente Februario menſe funeſtam illam Roſchildienſem pacem inire cogerentur. Bellum Dan.

(*h*) IDEM *loco alleg.* Lib. V. pag. 369. ſeq.

Digitized by Google

Carol. Magnvs.

§. VI.

Geſta reliqua.

Cum Carolo Marchione Rex Gothenburgum in Sueciam abiit; ſed ob difficultates, circa pacem enatas, menſe Junio ejusdem anni in Sleſvicenſem Ducatum ad exercitum rediit, quem paſſim in Danici regni provinciis diſtribuerat, paci exequendæ intentus. (i)

Flensburgi cum hæreret Rex, literis A. 1658. die 21. Junii datis, profeſſus eſt, ſe Carolo noſtro octoginta quondam manſos (k) alimentorum loco aſſignaſſe, ſed manſis his in alium dein uſum converſis, quinque millium thalerorum ſummam, ex contributionibus Fionicis pendendam, ſubſtituiſſe. Verum cum nec hac ratione promiſſa pecunia fuiſſet ſoluta, Carolus Guſtavus denique bis mille thaleros ex Camera ſua perſolvit Marchioni & in ſecuritatem trium millium thalerorum, qui reſtabant, illi litteris cavit. Nomen hoc illatum rationibus, quas A. 1661. Suecici Regni Curatoribus obtulit Marchica Domus. Curatores hanc ſummam quam primum ſe ſoluturos declararunt. At ſummam illam quadragies mille thalerorum, pro qua Boruſſiæ Præfectura, *Tenuta Meſelenz*, Marchioni oppignerata, ut & Scanderburgi aliorumque Jutiæ feudorum collatio, nihil plane ad Sueciæ Regnum pertinere ſtatuerunt Curatores; ejusdem pretii illam eſſe dicentes, cujus collatio Staroſtiæ Li-

(i) Idem *loco alleg.* pag. 405.

(k) Pfluge.

Lipinko, Friderico VI. Marchioni ejusque Conjugi Chriſtinæ Carol. Magnus.
Magdalenæ ſuo tempore facta.

§. VII.

Recrudeſcente A. 1658. Danico bello, cum Sueciæ Rex Obitus. e Sleſvicenſi Ducatu in Selandiam denuo arma transferret, Carolus noſter, valetudine minus proſpera uſus, ad patrem ſibi redeundum eſſe duxit Caroloburgum, ubi eodem anno die 8. Nov. ex febre continua anno ætatis XXXVII. deceſſit. Corpus ejus majorum tumulo illatum Pforzhemii die 29. Novembris.

Uxorem Carolus noſter habuit Mariam Julianam, Georgii Uxor. Friderici, Comitis Hohenloici, filiam, A. 1622. die 23. Martii natam, cum qua A. 1650. hie 21. Jan. Schillingsfurſtii prope Roteburgum ad Tuberum ſolennia nuptiarum peregit. Septendecim illa annis marito ſuperſtes, A. 1675. Fridlingæ, ubi vidua ſedem fixerat, vitam commutavit cum morte.

§. VIII.

Ex matrimonio hoc quatuor liberi prodierunt, quorum Liberi. duo infantes extincti ſunt.

Carolus Fridericus, natus Fridlingæ A. 1651. die 11. Jan. cum adoleviſſet, exteras regiones peragravit. Romæ A. 1671. menſe Majo, Guſtavi Adolphi patrui exemplo, ſacra mutavit, a Friderico, Cardinali Haſſiaco, Ludovici V. Haſſo-Darmſtadien-

Digitized by Google

ſis Landgravii filio, inductus. Hic Ordini Melitenſi, cujus Magnum Prioratum per Germaniam ipſe gerebat, Carolum Fridericum adſcripſit. (*l*) Roma Carolus Vindobonam profectus eſt, ubi ſplendide eum habuit Cardinalis Landgravius, qui eodem paulo poſt advenerat. (*m*) Tirocinium militiæ edidit in Belgio atque in cruento ad Seneffam prœlio, Gallos inter & Belgas A. 1674. commiſſo, magna fortitudine pugnavit. Pnevmonico dein morbo correptus, die 5. Octobris 1676. Baſileæ deceſſit.

Carola Sophia, Caroli Magni filia, A. 1652. die 13. Sept. Caroloburgi quæ lucem adſpexerat, Emiconi Leininga-Hartentenburgico Comiti A. 1676. nupta, intra biennium fatis conceſſit.

Eleonora Barbara, Wollinii in Pomerania A. 1656. die 12. Junii nata, anno ſequente 4. Novembris diem obiit.

Friderica Chriſtina, A. 1658. nata; Martio menſe anni ſequentis extincta eſt.

(*l*) *Diar. Europ.* Part. XXIV. pag. 131.

(*m*) *Diar. Europ.* Part. XXV. pag. 735.

Digitized by Google

CAPUT IX.

GUSTAVUS ADOLPHUS

Abbas Fuldensis et Campidonensis appellatus Bernhardus Gustavus.

§. I.

Friderici V. Marchionis Durlacenſis, filius natu minimus, Guſtavus Adolphus, natus A. 1631. die 24. Dec. ex Conjuge Eleonora, Comitiſſa Solma-Laubacenſi, a Guſtavo Adolpho, Sueciæ Rege, nomen accepit; (*a*) ejusque veſtigia ab initio ſecutus, ſeſe deſtinaverat bello. Venetis copias auxiliares adoleſcens contra Turcas adduxit. Cum fratribus ſuis, Friderico & Carolo Magno A. 1655. Polonico interfuit bello, præſertim prœlio, quod habitum fuit ad Warkam. Anno ſequenti cohortem pedeſtrem, Regis Sueciæ deſtinatam cuſtodiæ, Præfectus accepit. Munimento Morungen- Geſta ejus milit.

(*a*) Stollbergenſis Comes, Guſtavi Adolphi Regis Sueciæ nomine, de fonte baptiſmatis eum ſuſcepit.

Digitized by Google

GVSTAV. ADOLPH.

ſi Boruſſiæ per aliquod tempus cum militari Imperio præfuit. A. 1650. fratris ſui Caroli Magni turmam equeſtrem accepit.

Polonico bello Caroli Guſtavi, Sueciæ Regis, morte finito, Marchio juvenis Bataviam Italiamque inviſit, donec Turcicum in Hungaria bellum oriretur. Tum vero in Comitiis Ratisbonenſibus A. 1664. ſupremus Excubiarum Præfectus publico Imperii nominatus Decreto, (*b*) memorabili ad D. Gothardi Fanum prœlio interfuit, duobus ſub eo equis occiſis, graviter vulneratus in facie, victoriæ reportatæ nuncium Cæſari attulit. Pace reducta, cum Eccleſiaſtica toga ſagum commutavit.

§. II.

Mutatio ſacror.

Monendus eſt Lector, quod jam A. 1660. die 24. Aug. in Alſatia apud Franciſcanos Hermelshemii, prope Molshemium, ad Catholica ſacra Guſtavus noſter Adolphus occulte tranſiverit. Publice ea profeſſus eſt Romæ A. 1663. (*c*) Tum vero novum *Bernhardi Guſtavi* ei impoſitum eſt nomen; in memoriam B. Bernhardi Marchionis. Nec reticuit cauſſas, quæ eum permoverant, ut ſacra mutaret; (*d*) nec omnes propalavit.

Dignit. eccleſiaſt.

A bello Turcico redux, Rhinovienſe monaſterium intrans, Benedictinæ ſeſe regulæ dicavit; altiora petiturus. Rhinovia enim tranſiens Fuldam, a Joachimo Abbate, Leopoldo Cæſa-

(*b*) *Receſſ. Imp.* Part. IV. n. 3. pag. 16.

(*c*) IMHOF. *Notit. proc. Imp.* pag. 339.

(*d*) Sex motiva, ut vocantur, edita tum fuerunt in lucem lingua latina, 8vo.

Digitized by Google

re petente & annuente Summo Pontifice, in ſucceſſorem aſſumtus eſt (*e*) d. 19. Mart. 1668. reſervans ſibi Canonicatus, quos in Colonienſi, Argentinenſi, & Leodienſi Eccleſiis poſſederat. Eodem tempore Coadjutor Campidonenſis creatus.

Cum fratre Friderico VI. A. 1668. d. 20. Julii transactionem inivit; virtute cujus debita Guſtavi Adolphi ſolvenda frater ſuſcepit; promittens 5000. florenos ei quoque ſe perſoluturum quotannis, donec beneficiis eccleſiaſticis majoribus fruatur. Ceterum nihil aliud ſibi reſervavit Guſtavus Adolphus, quam jus ſuccedendi, ſi utraque deficeret linea Badenſis.

§. III.

Tirocinium ſacrum in S. Petri prope Fuldam monaſterio cum peregiſſet, vacantem morte Salentini de Sinzig Præpoſituram in Holzkirchen accepit, & denique A. 1671. d. 4. Jan. Joachimo, Abbati Fuldenſi, in dignitate ſucceſſit. Apoſtolicus apud Helvetios Nuncius ordinare eum debuerat Lucernæ. At mutato propoſito, Suffraganeus Spirenſis die 12. Aprilis ceremoniam Badæ peregit. (*f*) Clemens IX. eum Cardinalem creavit. Birretum Leopoldus Imp. d. 19. Apr. 1672. ei porrexit Vindobonæ. (*g*)

Abbas Fuld. & Card.

Rr 3

(*e*) Schannat. *Hiſtoria Fuldenſis* Part. III. pag. 290.

(*f*) Idem *loco alleg*. Part. III. pag. 293.

(*g*) *Theatrum Europæum* Tom. XI. pag. 53.

Digitized by Google

GVSTAV. ADOLPH.

Novus Abbas vix regimen adierat, quum Judæos omnes, quorum mille quingenti computabantur, intra trimeſtre tempus Abbatiæ ditionibus excedere juſſit. (*h*)

Eodem anno nova cum fratre Friderico VI. transactione, pro certa pecuniæ ſumma, omnibus, quæ habere potuerat, juribus renunciavit.

Abbas Campid.

A. 1673. poſt Romani Abbatis obitum Campidonæ factus eſt Abbas; Sigeburgenſis (*i*) quoque Benedictinorum monaſterii, in Bergenſi Ducatu, Adminiſtrator electus.

§. IV.

Supellex ejus direpta.

Paulo poſt Epiſcopatum Leodienſem ambivit; ſed excidit auſis. Profectus eſt quidem cum ſplendido comitatu Leodium. Verum poſt aliquot menſium moram, inſigni pecuniæ ſumma expenſa, A. 1675. rediturus Coloniam, pro ſupellectile ſua, Leodio Coloniam devehenda, literas ſalvi conductus ab Eſtradæo, qui Gallici præſidii Præfectus erat Trajecti ad Moſam, obtinuit. Nihilominus ſupellex ejus capta eſt a Gallis & Trajectum allata. Ipſe non absque inſigni difficultate evaſit Coloniam. Scripſit ad Regem. Rex ipſi reſpondit, literas ei ſalvi conductus datas ad negotia ſua perficienda, non vero, ut publicis & bellicis ſe immi-

(*h*) *Diarium Europ.* Part. XXIII. pag. 444.

(*i*) Siegeburg, Siegeberg vulgo Sieberg & Sieburg A. 1060. ad flumen Siegam ab Annone Archiepiſcopo Colon. conſtructum.

ſceret negotiis. In ſupellectile hac inventæ ſunt merces prohibitæ, multa ſclopeta, quibus aliquot cohortes poterant armari.

§. V.

Confilia ejus.

Accuſatus fuit Cardinalis, quod Leodii conſilia clandeſtina pro Imperatore & Hiſpanis contra Electorem Colonienſem, Gallicis partibus addictum, foverit, ut nempe Electorem non modo Leodienſi Epiſcopatu, ſed & Electoratu ipſo privaret. Rem manifeſtarunt Literæ Chartæque plures, in ejus ſupellectile repertæ, quarum nonnullas, typis impreſſas, publicavit Eſtradius, ut litteris ſalvi conductus Cardinalem abuſum eſſe, publice doceret. (*k*)

Obitus & ſepultura.

Bernhardus Guſtavus, ſpe ſua dejectus, in lentum, ſed pertinacem, incidit morbum. (*l*) Interfuit tamen A. 1676. electioni Innocentii XI. qui eum Cardinalem Presbyterum, titulo S. Suſannæ, creavit. (*m*)

§. VI.

Poſt Romanum hoc iter non diu rebus humanis ſuperfuit Bernhardus Guſtavus. In itinere enim, quod Hammelburgum

(*k*) Marquis de Beauvau *Memoires du Duc Charle IV. de Lorraine* pag. 436. Müller *verwirrtes Europa* Tom. II. pag. 689. *Theatr. Europ.* Tom. XI. pag. 679.

(*l*) Fuerunt qui damnum hoc CCC. florenorum millia exceſſiſſe crediderunt. Schannat *loco alleg.* pag. 294.

(*m*) Idem *loco alleg.*

Digitized by Google

GVSTAV. ADOLPH. ſuſceperat, A. 1677. die 26. Dec. obiit. (*n*) Cor ejus ad Campidonenſes delatum; exta in Oratorio, quod exſtruxerat, Fratrum Minorum Hammelburgi recondita; corpus autem Eccleſiæ Fuldenſi illatum, in qua Placidus a Droſte, Abbas ſucceſſor, ei ſplendidum Monimentum erexit; quod exhibet Schannatus.(*o*) Nummum memorialem, in honorem ejus cuſum A. 1672. inter Badenſes nummos ſuo loco exhibemus.

(*n*) Elogium ejus edidit PROBSTIUS S. J. Fuldæ 1678.

(*o*) *Loco alleg.* pag. 295. Inſcriptio monumenti hæc eſt: Anno Chriſti MDCLXXVII. die XXVI. Decembris obiit piiſſime Sereniſſ. & Eminentiſſ. Dom. Bernardus Guſtavus S. R. E. Cardinalis Presbyter, Abbas Fuldenſis, S. R. Imperii Princeps Divæ Ang. Archicancellarius per Germaniam & Galliam Primas, Marchio Badenſis & Durlacenſis, cujus anima requieſcat in ſanctiſſima Pace. Huic pius ſucceſſor Placidus Abbas ejusdem Eccleſiæ, S. R. Imp. Princeps hoc monnmentum fieri curavit. Stat ſua cuique dies, breve & irreparabile tempus omnibus eſt vitæ.

CA-

CAPUT X.

FRIDERICUS MAGNUS.

A. 1677. - - - 1709.

§. I.

Marchiam bellicis oppidorum & vicorum incendiis, caſtrorum & agrorum vaſtationibus horridam, Friderici Magni repræſentat hiſtoria; plena calamitatum, plena terroris; omnium Domus Badenſis Epocharum triſtiſſima. Marchia plures per annos denudata incolis; Marchia in eremum converſa. Introitus.

Infantia & adoleſcentia Marchionis fuerunt tranquillæ & omnino felices. Natus eſt Uckermundæ in Pomerania A. 1647. (a) quo belli Germanici tricennalis teda cepit extingui & per totos viginti quinque annos manſit extincta. Unde in profunda pace crevit & adolevit Fridericus Magnus; a patre pacis artibus innutritus & altus, quibus per totam dein vitam deditus fuit, ab indole bellica omnino alienus. Initia Marchionis.

Linguarum exterarum cognitione imbutus, ab A. 1664. per quinquennium præcipua Europæ Regna, Galliam, Italiam,

(a) Die 23. Sept.

Belgium, Angliam Germaniamque peragravit, ita tamen, ut per temporum intervalla ad lares ſuos reverteretur. In Aula præſertim Gallica multis exceptus fuit honoribus. Septentrionalem Germaniam A. 1669. adiens, Huſumum, Sleſvicenſis Ducatus oppidum, ſe recepit, ubi Maria Eliſabetha, Friderici III. Holſatiæ Ducis vidua, tum degebat cum filia, Auguſta Maria, viginti annorum Principe, egregiis virtutibus prædita, quam Fridericus Magnus, interventu Ludovici VI. Haſſiæ Landgravii, anno ſequente ſibi conjugem delegit.

§. II.

Bellum Batav.

Bellum Batavicum anni 1672. in Germaniam pedetentim cum prorepere cœpiſſet, Fridericus VI. cum omni ſua Aula ſe Baſileam recepit A.1674. Filius cum patre ſeſqui anni ſpatio ibi verſatus eſt exul.

Ludovicus XIV. anno præcedente cum in Alſatiam veniſſet, Fridericus VI. Marchio Croneckium a conſiliis intimis ad eum miſit Briſacum, ipſe Regem aditurus Philippiburgi, quo eum venturum eſſe fama ferebat. Sed mutato itinere Rex cum per Lotharingiam in Regnum rediret, Fridericus noſter, juſſu patris, Lunevillam ſecutus eſt Regem, omnibus ab eo benignitatis teſtimoniis exceptus. Rex litteris, die 7. Sept. ad patrem ſcriptis, inſignes filii Principis dotes plurimum extulit.

A. 1676. mutata belli fortuna, domum rediit juvenis Marchio; domeſticis vacans negotiis, bellica dum tractat pa-

Digitized by Google

ter. Obſidioni tamen Philippiburgi, a patre eodem anno ſuſceptæ, interfuit.

§. III.

Patri A. 1677. in hereditarias ditiones ſucceſſit; quas perpetua inter bella & calamitates viginti tres annos rexit; fatorum adverſitate, non interrupta, agitatus. Regiminis initio novam Aulæ ſuæ faciem induxit, creato Mareſchallo, qui omnia procuraret, quæ ad Aulam Principis ſpectant; ceremoniis præeſſet; exciperet exteros, eosque in Principis conſpectum adduceret. Sub jurisdictione ejus omnes Aulæ officiales conſtituti, ſolo ſtabuli Magiſtro excepto, cujus ſeparatum officium manſit. Novæ huic dignitati præfectus eſt Croneckius, qui a conſiliis intimis fuerat Marchioni. Cancellaria quoque novam tum formam accepit, ordinatis quinque Collegiis; *Conſilio* nempe, quod vocant *Secretius, Conſilio Aulico, Conſilio Eccleſiaſtico, Camera Quæſtoria & Collegio Deputatorum.* In Conſilium ſecretius duos recepit Viros nobiles, & unum litteratum, cui poſtea plures acceſſerunt. Regimen adit.

Eodem anno (1677.) Nobilitatis immediatæ Imperii Marchionem adierunt legati, petentes, ut intuitu Münzeshemii ad onera publica, ratam ſuam contribueret partem, quod ille conſtanter recuſavit. Geſta varia.

§. IV.

Feudorum Imperii inveſtituram ſolennem die 22. Auguſti a Leopoldo Cæſare accepit. In litteris feudalibus dimidia illa Inveſtitura Cæſ.

FRID. M. Comitatus Eberſteinenſis excipitur pars, quæ anno præcedente, inita cum Spirenſi Epiſcopo pactione, ad Wilhelmum, Lineæ Eduardinæ Marchionem, tranſierat. (*b*) Eadem pactione ſeptem Eberſteinenſes vici pro feudis Spirenſibus cum agniti fuiſſent, Fridericus noſter, ne id fraudi ſibi eſſet, litteris A. 1678. die 19. Jan. ad Electorem Trevir. & Spirenſem Epiſcopum datis, interceſſit. At brevi poſt eodem anno Ludovicus Wilhelmus, Wilhelmi Marchionis filius, conſenſit, ut Linea Durlacenſis ad ſimultaneam Inveſtituram dimidiæ illius Eberſteinenſis Comitatus partis, a Wilhelmo comparatæ, admitteretur; quod & intra ſexennium evenit, ut litteræ Leopoldi Imperatoris, A. 1684. die 7. Dec. utrique Marchioni conceſſæ, teſtantur. (*c*) Admiſſio hæc Durlacenſium ad ſola dein feuda cum reſtringererur, de feudi determinatione longa utramque inter lineam nata eſt controverſia; quæ multis tractatibus litibusque in Judicio Imperiali Aulico, hoc & ſuperiore ſeculo anſam ſubminiſtravit. Res inter Marchiones hodiernos noviſſimo ſucceſſionis pacto compoſita eſt. Eo pacto allodialia quævis bona, utrinque acquiſita, adeoque & Eberſteinenſia, cum feudis ad Bada-Badenſem Lineam A. 1676. translata, mutuæ ſucceſſionis capacia ſunt.

(*b*) Vide Tom. III. pag. 127.

(*c*) Inveſtitura A. 1753. a Franciſco Imp. renovata eſt. In litterishis inveſtituræ, ut & in litteris Leopoldi Imp. bannum foreſtale & bannum ſanguinis præſertim inter dimidiæ hujus feuda recenſentur.

Digitized by Google

Anni 1678. initio Rœtelæ, Brombaci & Hachbergæ Caſtra a Cæſareanis occupata & præſidio munita fuerunt. Galli die ſexto Februarii cum 1500. militibus Rœtelam obſidere voluerunt. At præſidio 300. militibus Cæſareanis aucto, redierunt Friburgum; triginta militibus Fridlingæ relictis, qui Caſtrum hoc, adhibitis ruſticis, ſolo æquarent.

§. V.

His temporibus Tractatus Pacis cum agerentur Neomagi, Fridericus noſter, miſſo ad Conventum illum legato, (*d*) petiit, ut propter damna bello accepta, ſpes in feudalia & allodialia Dynaſtiæ Geroldſeccianæ bona, extinctis Cronenburgicis, ipſi concederetur. Ordinum Imperii Legati, Ratisbonæ agentes, & Cæſar ipſe æquum cenſuerant, ut damnorum Marchionis ratio iniretur. (*e*) At poſtulata ejus improbarunt Angliæ Sueciæque legati, iniquum eſſe rati, Auſtriacæ Domui illud onus imponi. Ordines, Gallico bello afflictos, a Gallis indemnes eſſe præſtandos, Cæſarei contenderant legati. (*f*) Sed Pacis Neomagenſis decreto illata invicem damna oblivione ſepulta ſunt. (*g*) De executione Pacis Pax Neomagenſis.

(*d*) Johannes Chriſtophorus Heilbronnerus eo miſſus eſt.

(*e*) Londorp. Tom. XI. Lib. XI. pag. 472.

(*f*) Vid. *Projectum Pacis Cæſareo-Gallicum, a legatis Cæſareis mediatoribus exhibitum 6. Decembris 1678.* Art. 2. in *Actes & Memoires des negotiations de la paix de Nimmegue* Tom. III. pag. 250.

(*g*) Vid. *Art. I. Inſtr. Pacis in Actes & Memoires loco alleg.* pag. 404.

Digitized by Google

cum ſuſciperetur deliberatio, Fridlinga aliaque Caſtra & loca Durlacenſium, a Gallis detenta, reſtituendorum inſerta ſunt Indici. (*h*) Sed & in ipſo executionis tractatu conventum eſt, ut Cæſareum ex Hachbergæ Caſtro abduceretur præſidium. (*i*)

§. VI.

Nova Marchiæ facies.

Neomagenſis Pax Marchiæ utrique Badenſi novam faciem induxit, ſed aliam, quam Friderici noſtri ſperaverat pater. Pater, Philippopoli Gallis erepta, Briſacum quoque in poteſtatem ſuam redigere decreverat, Gallos omnino repulſurus a Rheno, Caſtris ſuis & arcibus, quas ille reparaverat & omnibus rebus inſtruxerat, ut frueretur ſecurus. Sed de Briſgovia & Ortenavia aliter diſpoſuerant fata. Enimvero Nemetenſium Philippopolin vix ſubegerat Fridericus, quum apud Briſgovios Galli ſubegerunt Friburgum, eamque una cum Briſaco, quam per totos jam quadraginta annos poſſederant, Neomagenſi Pactione retinuerunt. Unde Gallica ditio ad Martianam uſque ſilvam extenſa & Marchicarum terrarum pars Gallicis terris vel vicina vel mixta. Excitatæ mox novæ munitiones ad Rhenum, Huninga & Fortalitium Ludovici. Illa haud procul Baſilea, ipſo pacis Neomagi compoſitæ anno; hoc ſeptennio poſt in inſula Rheni, e regione Stolhovæ, ſrena & compedes Rheno injecerunt. Argen-

(*h*) Vid. *Deſignatio a Gallia reſtituendorum, exhibita a DD. Legatis Cæſareis Domino Legato Gallico 12. Junii 1679. in Actes & Memoires loco alleg.* pag. 538.

(*i*) *Actes & Memoires* ibid. pag. 546.

Digitized by Google

toratum, biennio poſt conditam pacem, Galliæ Regno acceſſit. Kehla, propugnaculum præſtans, ad dextram Rheni, in ipſo Ortenaviæ aditu exſtructa, omnem quoque provinciam hanc aperuit Galliæ. Dominantibus ita per Briſgoviam & Ortenaviam munitionibus Gallicis, Rœtelanæ, Sauſenbergicæ, Badevillanæ & Hachbergicæ ditiones, quibus Dynaſtia Lahrenſis tum quoque accenſebatur, ut & ſuperior ac inferior Marchiæ devenerunt limitrophæ Gallis. Ab eo tempore de finibus & finitimorum jure, de ripa, de inſulis Rheni, de navigatione, de pontibus repetita hinc inde a Marchionibus gravamina. Primo quoque belli motu Marchicæ terræ ab exercitibus, vel Gallicis vel Germanicis, occupatæ. Marchiones ad exteros confugere coacti ſunt. Tantam rerum converſionem terris Badenſibus attulit Pax, Neomagi concluſa. Infelicior poſt eam Marchia, quam ante Pacem Weſtphalicam fuerat.

§. VII.

Adeo exhauſta tum belli calamitatibus Marchia, ut ingraveſcente pedetentim ære alieno, Fridericus noſter moratorium, quod vocant, Reſcriptum a Cæſare A. 1680. petere cogeretur. Petitum hoc Collegia Electorale & Principum die 27. Nov. Cæſari commendarunt; ita quidem, ut ad octo vel decem annos illud concederetur Marchioni. (*k*) Reſcript. morator.

(*k*) Londorp. *Acta publ.* Tom. XI. pag. 92. & 286.

Res monetar.

Hæc dum aguntur, de corrigendis rei monetariæ defectibus Ulmæ Ordines Sueviæ deliberarunt. Marchiones Badenſes a Seculi XVI. temporibus nunc monetaria officina communi, nunc Stutgardiana ſunt uſi. Peculiarem denique fabricam Domus quum conſtituiſſet Badenſis, injunctum eſt ei die 7. Maji A. 1681. Circuli Suevici decreto, ut duæ Marchicæ Lineæ communem monetæ officinam haberent, locumque, de quo inter eos convenisſet, Principibus Circuli, jus convocandi habentibus, indicarent. (*l*) Poſt Decretum hoc Durlacenſes, litteris ad Bada-Badenſes ſcriptis die 6. Oct. proficuum eſſe judicarunt, ut exercitium monetandi inter Lineas alternet, quoties moritur Marchio, & ut Emmedingæ, ubi ædificia & inſtrumenta monetaria magnis nuper ſumtibus Durlacenſis noſter ordinaverat, interim maneat officina, atque in ordine monetandi ab eodem Marchione initium fiat. Ludovicus autem Bada-Badenſis, poſthabito Circuli Decreto, convenientius eſſe duxit, utraque Linea peculiari ut officina utatur, at monetandi jus per ſingula decennia alternatim exerceat. Initium faciat ille, cui ſors prærogativam tribuerit. Intervenientibus mox belli motibus, monetaria res omnis ſuſpenſa. Fabricam Badæ conſtitutam non novimus.

§. VIII.

Reuniones Gallicæ.

Gallicæ, quæ vocantur, Reuniones illo tempore magnos in Imperio motus concitaverant, in quibus de Pacis Weſtphalicæ

(*l*) Vide ſupra in Carolo II.

Digitized by Google

& Neomagenſis interpretatione agebatur. Germanos inter & Gallos A. 1682. hal itus eſt Francofurti Conventus, ad quem Fridericus noſter ſuum quoque miſit legatum; quem Brunſvico-Calenbergici legati ſequi juſſit conſilia. Sed irritus fuit ille Francofurtenſis Conventus. Res ad Comitia Imperii Ratisbonam remiſſa. (*m*)

Eodem tempore cum Wirtenbergico lites Veyhingæ compoſitæ atque inter alia commerciorum libertas utrinque conceſſa eſt.

Fridericus litteris, die 24. Apr. (1682.) ad Comitia datis, monuit, ut ratio haberetur promiſſi, quod de ſarciendis belli damnis, durante Pacis Neomagenſis negotio, ei fecerant Ordines, a quibus ille petiit, Cæſarem denuo hac ſuper re ut monerent. (*n*) Negotium minus proſpere ſucceſſit. Marchio menſe Novembri anni ejusdem a Comitiis petiit, Marchica portio in Matricula Imperii tertia ut parte minueretur. Præter enim belli nuperi mala, perſtiterat adhuc in Matricula Imperii vetus ille cenſus, quem Marchiones perſolverant Imperio, antequam Erneſtus Fridericus quatuor illas Præfecturas, de quibus ſuo loco diſſerui, in Wirtenbergicam transtulit Domum. (*o*)Nec refragati ſunt Imperii Ordines, ſed anno ſequente Cæſarem orarunt, ut Cir-

(*m*) Acta hujus Conventus exhibet Londorp. *Acta publ.* Tom. XI. pag. 333.

(*n*) Londorp. *loco alleg.* pag. 472.

(*o*) Idem *loco alleg.* pag. 505.

FRID. M.

culi Suevici Directoribus imperet, Circularis Marchionis cenſus ut ea, qua petierat, ratione diminuatur. (*p*)

§. IX.

Geſta varia.

Immediata Imperii, quæ vocatur, Nobilitas magnis tum motibus aditum ad publica Comitia, & ſuffragium in iisdem petierat. Rem quovis modo impedire laboravit Fridericus noſter, eumque in finem cum Wirtenbergico aliisque Principibus A. 1684. convenit Stutgardiæ. Res in ipſo partu ſuppreſſa.

A. 1685. Calendis Octobribus ab Epiſcopo Baſilienſi, Johanne Conrado, Brisgoica feuda ſua Fridericus ſuſcepit.

Anno ſequente d. 20. Sept. Ratisbonam ſcripſit, Gallos, facto prope Huningam ponte, trajeciſſe Rhenum & in Germanica ripa Marchicaque ditione, contra Pacis Neomagenſis ac Induciarum Ratisbonenſium, nuper (1684.) conditarum, leges, firmando ponti, munimentum exſtruxiſſe. (*q*)

A. 1687. die 2. Julii Fridericus noſter cum Friderico Carolo, Wirtenbergici Ducatus Adminiſtratore, ratione partis Badenſium in oppido Heimsheim, quam A. 1444. Jacobus Marchio a Diterico de Gemmingen coëmerat, transegit, eamque cum omnibus juribus, ad hanc partem ſpectantibus, in Wirtenbergicum Ducatum transtulit. Marchio Wirtenbergicas partes vici Dürrn, (*r*) decimas in Langenalb & Lehningen, una cum villa in

(*p*) *Ibid.* pag. 598.

(*q*) IDEM Tom. XII. pag. 618.

(*r*) Reliquam partem vici Dürrn Carolus Magnus Leutrum ab Ertingen A. 1730. Carolo Wilhelmo, Marchioni, vendidit.

Dürrenwetterſpach, compenſationis loco, accepit. Diuturna de Heimshemio lis ita tandem ſepulta.

Eberſteinenſem Comitatum a Ludovico Wilhelmo Marchione centum florenorum millibus A. 1688. Fridericus Magnus coëmit. Emtioni venditioni, die 30. Aug. peractæ, primarias inter conditiones pactum de retrovendendo adjectum eſt. Ludovicus Wilhelmus, præſtatione onerum publicorum in ſe derivata, ſuffragium in Comitiis & Circuli Suevici Conventibus ut & Advocatiæ in Monaſterium Albæ Dominarum & venandi jura per totum Comitatum ſibi reſervavit. In rebus eccleſiaſticis nihil ſe mutaturum promiſit Marchio; a reddendis rationibus immunis; omnes percepturus reditus; Gronsfeldicæ portionis, a Badenſibus haud ita pridem coëmtæ, adminiſtratione penes Wolckenſteinium Comitem, condominum, dum vivat, manente.

§. X.

Idem funeſtus ille Germaniæ annus eſt, (1688) quo Ludovicus XIV. formidabilem Gallorum exercitum, duce Delphino, miſit ad Rhenum, ubi Philippopolis obſeſſa & capta. Bellum Gallicum.

Anno ſequenti omnes terræ Badenſes, Palatinæ, Wirtenbergicæ, Spirenſes, Wormatienſes, omnisque adeo ſuperior ora Rhenenſis flamma & ferro deleta, æquata eſt ſolo; urbibus in buſta, agris in deſerta converſis. Fridericus Magnus cum numeroſa prole ſua Baſileam confugit, unde menſe Martio triſtiſſimæ ſortis

nunciũ ad Comitia Imperii miſit. (s) Villaregius, Campi-Mareſchallus mandata cum accepiſſet, ut Palatium Durlacenſe, quod Caroliburgum vocatur, cum oppido combureret, incendii avertendi cauſa ad Delphinum profectus eſt. Hic autem Duraſium, Franciæ Mareſchallum, primarium exercitus Gallici ducem, adeundum eſſe dixit, qui hac ſuper re acceperat Regis mandata. Sed Villaregius retulit repulſam & aliquoties retulit. Hic denique executionem rei commiſit Melaco. Interea temporis Numophylacium & omnis rei antiquariæ theſaurus cum Bibliotheca & Tabulario, translatus eſt Baſileam.

Pforzhemio, Durlaco, Etlinga combuſtis, incendium Badam quoque, Raſtadium, Steinbacum, Stollhovam, Kuppenhemium corripuit; Leopoldi Wilhelmi Marchionis vidua, Maria Franciſca, ex Fürſtenbergicis nata, quæ ſola aderat, ardentiſſimis precibus & miſſis ad Regem Ludovicum XIV. literis nequicquam renitente. Dies 24. Aug. D. Bartholomæo ſacer, Badam abſumſit, illatis primo facibus Monialium S. Sepulcri Cœnobio, inde Collegio Sodalitatis Jeſu, dein Eccleſiæ Collegiatæ, toti oppido, denique & ipſi Marchionum Palatio, unde nominis gentisque origo. Ludovicus & Hermannus, Marchiones, nepos & pa-

(s) LONDORP. *Acta publ.* Tom. XIV. pag. 215. Fridericus Magnus Marchiæ ſuæ ſtatum ipſe depingit in Libello, quod Legato Suecico, Pacis Conciliatori A. 1697. die 20. Jul. exhibuit in *Actes & Memoires de la Paix de Ryswic* Tom. II. pag. 202.

truus, eo ipſo tempore virtutis ſuæ documenta in Hungaria contra Turcas ediderant. (*t*)

§. XI.

Geſta varia.

A. 1690. d. 16. Aug. Fridericus Magnus de damnis, bello acceptis, denuo ad Comitia Imperii ſcribens, petiit, ut immunitate ab oneribus publicis ad tempus ipſi conceſſa, res eo deducatur in futuro Pacis negotio, ut non omnes ei modo reſtituantur ditiones, ſed & indemnis præſtetur. (*u*)

Triennio poſt die 4. Julii Fridericus Baſileæ gravi morbo decumbens, teſtamentum condidit, quo jus primogenituræ & ſucceſſionem linealem agnaticam, in Durlacenſi Linea pridem ſtabilitam, denuo firmavit, eamque ad ſuperiorem quoque Marchiam Bada-Badenſem extendit, Lineæ ſeniori extinctæ ubi ſucceſſerit junior. Præterea de alienatione terrarum, de matrimoniis Principum, de educatione liberorum, filiarumque elocatione, de appanagiis, aliisque de rebus deceſſorum ſuorum renovavit decreta. Annum decimum octavum completum, legitimam Principum, regimen adeuntium, ætatem conſtituit. Tutelam denique liberorum ſuorum conjugi & Carolo Guſtavo fratri commiſit, quibus Georgium Fridericum Brandeburgicum & Ludovicum Guilielmum Bada-Badenſem Marchionem ſubſtituit. Executor teſtamenti Carolus XI. Sueciæ Rex, a Marchione conſtitutus eſt.

(*t*) Idem *l. c.*
(*u*) Idem Tom. XVII. pag. 603.

A. 1696. die 14. Junii Fridericus a Wilhelmo Jacobo, Baſilienſi Epiſcopo, recens creato, Briſgoica Eccleſiæ Baſilienſis feuda ſuſcepit.

§. XII.

Tractatus Riſvic.

Inſtitutus eſt denique A. 1697. Risvicenſis Pacis tractatus, cui a Conciliis Aulicis Marchionis interfuit HENRICUS WILHELMUS MALERUS, qui promovendis Principis ſui commodis, varios Legato Suecico, Pacis Conciliatori, Libellos exhibuit, (x) quibus non reſtitutionem modo ablatorum, ſed & ingentium damnorum compenſationem flagitavit. Inter reſtituenda occurrit

1. Præfectura ſeu Parochia Kutzenhauſen, Hagenoam inter & Weiſſenburgum ſita, a Carolo Guſtavo Sueciæ Rege A. 1656. Friderici Magni fratri, Carolo Guſtavo, donata, ſed Reunionum Gallicarum legi A. 1680. ſubjecta, fiſcoque regio bellicas inter turbas addicta. (y)

2. Rodt vicus inſignis, infra Landaviam, quem Zillenhardii nobiles a Badenſibus in feudum maſculinum tenebant. Briſacenſis Reunionum Camera nihil in hunc vicum ſibi juris vindicaverat. Badenſes, Zillenhardios inveſtientes, jus collectandi, aliaque ſuprematus ſibi reſervaverant jura, quæ ad præſentis usque belli initium tranquille exercuerunt.

(x) Extant in *Actes & Memoires des Negociations de la Paix de Ryswick* Tom. II. pag. 195. 201. 265. 268.

(y) Vide vitam Caroli Guſtavi Marchionis.

Digitized by Google

3. Omnis ager, in Rheni inſula & dextra ejus ripa, cui Huningenſia ſuperſtructa ſunt munimenta, a vicinorum ditione cippis diſtinctus, quem Marchici juris eſſe Galli agnoverant. Accedunt prædia in inſulis & altera Rheni ripa, ad Marchionem ejusque ſubditos ſpectantia; a nemine unquam negata aut vocata in dubium. Hæc in eo, in quo ante bellum fuerant, ſtatu relinqui cupit Marchio.

4. Penſio annua ob Caſtrum Landscron A. 1663. conſtituta. (z) Poſt Pacem Neomagenſem Rex Galliæ penſionem hanc ultro reſtituerat Marchioni. Idem nunc a magnanimitate Regis expectans, e Catalogo reſtituendorum, cui ab initio penſionem inſeruerat Legatus, expungi curavit. (a)

5. Feuda, nobilibus Alſatiæ a Marchione conferri ſolita, quæ in variis juribus & bonis, nullam cum ſuprematu affinitatem habentibus, conſiſtunt. Feudorum iſtorum jura Marchionibus, tam Reunionum, quam belli tempore illibata permanſerant; quæ ut & ei relinquantur in poſterum, Marchio rogat.

6. Aedes, quas Argentinæ poſſederant Durlacenſes, a Carolo II. Marchione A. 1562. coëmtæ, (b) ſed a Præfecto Gallico poſt captam Urbem, invito Marchione, & expulſo ejus domeſtico, occupatæ. Fridericus noſter A. 1683. Civitati quidem vendi-

(z) Vide §. 11. Vitæ Friderici VI.

(a) Vide *Actes & Memoires* pag. 266.

(b) Carolus II. A. 1562. ædes has die 3. Febr. a Ludovico Wolfgango de Renchen, Cive Argent. aureis quater mille ſexcentis & ſexaginta coëmerat.

FRID. M.

derat Domum. At idem reſtitutionem ejus vehementer nunc urſit.

Denique bello omnino ſubverſus cum fuerit Marchionatus, imminuto ad quartam partem ſubditorum numero; reditus Principis diſtracti; inſtrumenta publica igne conſumta; ſtativis, tranſitu militum, prædis & rapinis multiplicia data ſint damna, quæ novem florenorum excedebant myriades; (c) æquum eſſe duxit Marchio, ut ejus rei ratio haberetur in Pacis negotio; Galliæ Regem interpellans, ut vel in totum vel ex parte ipſum indemnem præſtaret. Legati quoque Cæſarei damna, Gallico bello illata, a Gallis eſſe ſarcienda contenderant. (d)

§. XIII.

Pax Ryſvic.

Sed omnium harum rerum oblivio decreta eſt Pace. (e) Abolitis Reunionibus extra Alſatiam, (f) omnium bonorum & jurium, quæ ante bellum habuerat, reſtitutio Marchioni conceſſa. (g) Speciatim munimenta e regione Huningæ in Marchica ditione exſtructa, ſolo ac ædificiis Marchioni relictis, deſtructa ſunt.

(c) Aeſtimationem damnorum, quam Suecico Legato, Conciliatori Pacis, Fridericus exhibuit vide in *Actes & Memoires* loco alleg. pag. 213.

(d) *Ibid.* pag. 31.

(e) Art. II. in *Actes & Memoires* Tom. IV. pag. 16.

(f) Art. IV. *ibidem* pag. 17.

(g) Art. IV. hæc verba leguntur: „ Gaudeat etiam Domus Marchica Badenſis „ omni jure & beneficio Pacis hujus adeoque etiam Weſtphalicæ & Neo- „ magenſis, inprimis vero Articulorum IV. & V. hujus Tractatus. „ Articuli hi de reſtitutione ex capite amneſtiæ agunt.

Digitized by Google

ſunt. (*h*) Argentoratum in tractatibus pacis Galliæ cum addictum fuiſſet, de reſtitutione ædium Marchionis nulla facta eſt mentio.

In omni Marchia ſua ædes vix reperit Marchio, in quibus, bello finito, figeret ſedem. Pforzheimenſe, Durlacenſe, Mulbergenſe, Stafforticum, Emmedingenſe, Sulzburgenſe, Badevillanum, Rœtelenſe Caſtra perierant incendio. Baſilienſe Palatium in feſtivitate, quam Pacis Riſvicenſis cauſſa inſtituit Marchio, cum omni ſupellectile & copia rerum fortuito quoque abſumtum eſt igne. Marchio, vix flammis ereptus, relicta Baſilea, in Grecingenſem ſe arcem prope Durlacum recepit; quæ ſola non ſubiit flammas.

§. XIV.

Arx Grecing.

Arx hæc vico cognomini, quem Pſinza perluit, adjacens, diu neglecta, a Friderico Magno reſtaurata eſt. Colli, molliter edito, impoſita, ſuper quem mons vicinus (*i*) dominatur. Antiquum hoc Domus Badenſis patrimonium jam A. 1274. Rudolphus Marchio inhabitavit, qui in Godeſavienſe Monaſterium libe-

(*h*) Art. XXIII. hæc habet: „ Curabit Rex Chriſtianiſſimus ſuis impenſis ſolo „ æquari munimenta e regione Huningæ in dextra ripa & in inſula „ Rheni exſtructa, fundo cum ædificiis Domui Badenſi reddendo: pons „ quoque illic Rheno ſuperſtructus deſtruatur. „

(*i*) *Der Thurnberg.* Grezinga hæc Marchica non confundenda eſt cum Wirtenbergica Ducali.

Frid. M.

ralis, Chartam ei tum dedit, quæ ſcripta eſt *in Caſtro Grechingen.* (*k*)

A. 1275. Rudolphus I. Romanorum Rex, Rudolphi Marchionis hoſtis, hoc Caſtrum confregit. Neglectum per aliquot ſecula Chriſtophorus Marchio A. 1514. reſtauravit; quod æra ſupra portam ſiniſtræ turris, lapidi inciſa, docet. Carolus II. Marchio, reſtaurator Caſtrorum, Grecingæ Caſtrum A. 1576. reſtituit.

Sub Marchione noſtro ſplendidius evaſit; promovente Conjuge ejus Auguſta Maria. Hæc de receſſu ſuo, maritus ante illam ſi decederet, ſollicita, poſt Pacem Neomagenſem A. 1681. ſuis ſumtibus reſtauravit hanc arcem, atque ita diſpoſuit, uſibus ejus ut videretur aptiſſima. Finis ſtructuræ impoſitus A. 1699. Nova conditrix voluit a nomine ſuo ut Caſtrum Auguſtæ, *Auguſtenburg* appellaretur. Juniorum Scriptorum, ut & incolarum, recepta opinio eſt, Caſtrum, a Rudolpho I. Cæſare deſtructum, in monte, ubi turris eſt, extitiſſe. Turris, quæ in monte comparet, ſpeculatoria fuit; a Caſtro pendens; ſimilis ſpeculæ, quæ a veteribus quoque Marchionibus Pforzhemii ſupra montem exſtructa, hodieque comparet; cujus generis multas Alſatia & omnis olim Germania vidit.

(*k*) Apud Gamansium *Mſ.* pag. 189. vid. Tom. II. *Hiſt. Bad.* pag. 6. Chartæ huic ſubſcripſit Miles, *Eberhardus de Grecingen.*

Digitized by Google

§. XV.

Fridericus poſt diuturnum exilium, in patriam redux, ſuis civiumque opibus reſtaurandis totus incubuit. Durlacum & Pforzhemium oppida reſtituit; Durlacenſibus in afflictæ fortunæ ſolatium immunitates plurimas conceſſit; Mulbergæ, a patre inſtauratæ, privilegia confirmavit, adauxit; priſtinum ubique ordinem ac diſciplinam reduxit. Durlacenſe Gymnaſium magnis ab eo reſtitutum eſt ſumtibus variæque doctrinæ ac linguarum doctoribus denuo inſtructum. Reſtauratio Marchiæ.

Caroloburgenſe Palatium, ubi a Caroli II. temporibus Durlacenſes habitaverant Marchiones, A. 1698. reædificare Fridericus magnamque in molem erigere aggreſſus eſt, ſed in ipſo operis conatu cum novum ob Hiſpaniæ Regni ſucceſſionem bellum oriretur, interruptum & ſuſpenſum eſt opus; quarta vix parte perfectum; habitabile tamen, cui Marchiones ſucceſſores nihil novi adjecerunt.

§. XVI.

Proteſtantes A. 1685. e Gallia pulſi, quum magno numero in Helvetiam confugiſſent, neque tantam multitudinem caperet Regio, multi in vicinis Germaniæ Principum terris ſedem quæſiverunt. Guilielmus III. Angliæ Rex, humaniſſimis A. 1698. litteris, & anno ſequente Fœderati Belgii Ordines Fridericum noſtrum Marchionem literis quoque ſollicitarunt, ut expulſis præberet re- Coloniæ Gallicæ.

Digitized by Google

fugium. Exules ab A. 1699. benigne recepit Marchio; iisque publicum religionis ſuæ exercitium, templa & ſcholas aliasque libertates conceſſit. Plures exulum Durlaci, Pforzhemii, Mulbergæ, Grabæ, Stafforti, Steinæ, Aurbaci, Mutſchelbachii ſuas ſedes fixerunt. Dein & tractum inter Grabam & Blanckenloch, ut & ſteriles campos in Neureuthano Præfecturæ Mulbergicæ agro, ipſis excolendos tradidit; unde Gallicæ coloniæ apud Bada-Durlacenſes exortæ, quæ ad noſtra uſque tempora durant. Gallicus prope Grabam vicus nomen Fridericianæ Vallis (*Friedrichsthal*) a Marchione noſtro accepit. Illi vero, Novales qui excoluerunt, campos (*Neureuth*) in vico hujus nominis primum habitarunt, dein, ob diſſidia cum incolis exorta, novum quoque in vicinia vicum exſtruxerunt, qui, ut a Germanico ejus nominis vico diſtingueretur, Novalia Gallica (*Welſchneureuth*) vocatus eſt. Duabus his Coloniis Fridericus peculiari Diplomate A. 1699. inſignia privilegia contulit. (*l*) Præter libertatem religionis; immunitatem ab oneribus publicis in decennium, & quod inprimis memorandum, a ſervitute juris Germanici, in Badenſium ditionibus conſueta, exemtionem perpetuam illis indulſit; qua poſtrema tamen exemtione non gaudere debent, qui extra duas has colonias aliis in vicis conſederint; niſi, qui annuum florenum in ſignum libertatis Marchioni dependerint.

(*l*) Diploma hoc 10. Dec. 1699. Caroliburgi datum proprie Friderici Vallem

Digitized by Google

§. XVII.

Munim. Kehl.

A. 1700. d. 30. Jan. Leopoldus Imp. Friderico Magno totique Lineæ Durlacenſi ſpem ſuccedendi in feudo Munimenti *Kehl*, ad dextram Rheni ripam prope Argentoratum ſito, Bada-Badenſis ſi linea extingueretur, conceſſit. (*m*)

Lites de nono Electoratu.

Gliſcebant inter hæc lites de nono Electoratu, quibus implicitus quoque Marchio, ſolenne illud Principum fœdus, cui Ratisbonæ jam A. 1693. acceſſerat, in Conventibus Goslariæ & Norimbergæ A. 1700. habitis, conſenſu ſuo firmavit. (*n*) Goslariæ Herbipolitanus, Monaſterienſis, Conſtantienſis, Fuldenſis, Gothanus, Brunſvico-Guelpherbytanus, Haſſo-Caſſellanus, Anhaltinus & Badenſes Lineæ utriusque legati, ad dignitatem Ordinis Principum conſervandam, varia inter ſe pacta inierunt. Placuit in ſuſcipienda inveſtitura Cæſarea, mittendis excipiendisque eorum legatis, exæquandos eſſe per omnia Electoribus Principes. Eorum legatis decernendos eſſe honores, Electoralibus pares. Ut *Sereniſſimi* axioma Principibus æque ac Electoribus tribuitur, ita & *Excellentiæ* utrorumque legatis æquo jure tribuendum. Actum præterea de modo excipiendi Cæſarum, Regum, Electorum, ipſo-

ejusque incolas reſpicit, ſed Fridericus peculiaribus litteris, eodem anno datis, illud ad Welſchneureuthanam quoque coloniam extendit.

(*m*) Tom. III. pag. 225. ſeq.

(*n*) De omni hac lite fuſe egimus ſupra Tom. III. pag. 228.

Digitized by Google

rum Principum ceterorumque Ordinum legatos, qui ad Principum Aulas mittuntur. De his aliisque ejusdem argumenti rebus ampliſſima præcepta ſcripto conſignata ſunt. Cœptum Goslariæ opus, paulo poſt Norimbergæ, quo translatus fuerat Principum Conventus, perfectum. Placita hæc a plerisque Principibus ſenſim in uſum deducta ſunt. (*o*)

§. XVIII.

Bellum Hiſpan.

A. 1701. controverſia de Hiſpanica ſucceſſione in bellum cruentum totius fere Europæ erupit, quo crebris Gallorum incurſionibus patuit Marchia. Poſt Fridlingenſe anni ſequentis prœlium omnem Rœtelenſem Dynaſtiam deprædati ſunt hoſtes. Hachbergenſis quoque Marchia & Dynaſtia Badevillana occaſione Briſacenſis & Friburgenſis obſidii omnino vaſtatæ. Fridericus A. 1702. Baſileæ quæſivit aſylum, ubi Aulam, nuper combuſtam, reædificari curaverat. (*p*) Totum triennium Baſileæ tum ſubſtitit Marchio; nonniſi A. 1705. reverſus in patriam.

Fridericus noſter cum Ludovico Badenſi, agnato ſuo, a tenera ætate amicitiam coluit, quæ ſucceſſu temporis aucta, effecit, ut de

(*o*) Darmſtadienſis Landgravius A. 1724. Carolum Wilhelmum Marchionem hortatus eſt litteris, ut ex præſcripto Goslarienſis & Norimbergenſis Receſſuum aliorumque Principum exemplo easdem cum Electoribus cemonias admitteret. A. 1725. de adornando jure ceremoniali perpetuo in Comitiis deliberatum eſt.

(*p*) Antiquitus Hachbergæ Marchiones habitaverant Baſileæ. A. 1409. Rudolfus domum habuerat in platea, cui nomen a ſpecula eſt.

Digitized by Google

reſtituenda inter utramque lineam concordia & unione perpetua renovanda, A. 1706. duos hos inter Principes haberentur tractatus. Unionis formula in has leges concepta. Amicitia perpetua inter utrumque Marchionem eorumque ſucceſſores obtineat, & mutua contra hoſtes defenſio. Tutela legitima utramque inter lineam obſervetur, neque tutorem legitimum teſtamento a tutela excludere, ſed alios tantum ei addere, liceat tutores. Unius lineæ maſculis extinctis, ſecundum pacta antiqua & Pacis Weſtphalicæ leges, linea ſuperſtes ſuccedat. Succeſſio hæc ad nova quoque ſingularum linearum adquiſita pertineat. Terrarum alienatio prohibita. Filia Princeps unica, quæ una linea extincta ſuperfuerit, thaleros quinquagies mille; duarum filiarum ſingulæ tricies mille, plures ſi fuerint, vicena millia thalerorum accipiant ſingulæ. Clenodia & bona mobilia iisdem relinquantur. Religio in priſtino ſtatu permaneat. Sed pragmaticæ hujus in Badenſi Domo Sanctionis perfectionem interveniens anno ſequente Ludovici Badenſis obitus impedivit. Complementum ejus filio juniori, qui nunc regnat, levi cum immutatione, ſervatum.

§. XIX.

Stolhovienſe vallum A. 1707. cum perrupiſſet Villarſius, primum Gallorum impetum, non absque inſigni fortunarum ſuarum diſpendio, inferior experta eſt Marchia. Fridericus noſter denuo Baſileam aufugiens, eodem tamen anno in Marchiam rediit. Geſta reliqua.

Comitatus Novi Caſtri in Helvetia, Mariæ, Longuevillanorum poſtremæ, obitu eodem tempore quum vacaſſet, inter alios competitores quoque comparuit Marchio, qui præter cognationem cum Longuevillanis, antiqua pacta, de ſuccedendi jure inter Hachbergenſes, Longuevillanorum majores & Badenſes Marchiones inita, pro ſe allegavit. Cæſar Bernatibus Friderici noſtri cauſam commendavit, ſed irrito conatu. Comitatus ille, ut conſtat, ad Brandeburgicam Domum pervenit.

Anno ſequente Eberſteinenſem Comitatum, quem ante decennium Marchio noſter ſub reluendi conditione coëmerat, Bada-Badenſibus agnatis, Ludovici Wilhelmi filiis, accepta centies mille florenorum ſorte, reſtituit. Eidem immunitatis a tributis Imperii; compenſandorum, quæ bello acceperat, damnorum, ſpes facta eſt Comitiali decreto.

Gertrudenbergæ apud Batavos A. 1709. cum ageretur de pace, Fridericus ſua quoque poſtulata Legatis exhibuit. Conventus inter ipſa primordia ſua abruptus, ac continuatum eſt bellum, cujus finem Marchioni noſtro videre non licuit.

§. XX.

Obitus & Character.

Eodem enim Pacis tentatæ anno die XXVI. Julii, ſexageſimum ſecundum ætatis annum agens Fridericus Magnus ſingulari cum conſtantia deceſſit; Pforzhemii in crypta majorum ſepultus. Princeps vere bonus & probus; quem tamen in illa tempora ſervaverat

verat cœlum, quibus terribiliora nullum ævum vidit Badenſe. Memoriam ejus apud poſteros durabilem reddiderunt lenitas ejus & amor in cives; quorum commodis, quantum per temporum iniquitatem licebat, ſollicitus proſpexit. Paluſtria prope Durlacum loca ut redderet ſicca, Foſſam conſtruxit, merito quam *Fridericianam* appelles, qua derivatis in Albam, & cum ea in Rhenum, ſtagnantibus aquis, loca ſiccavit, regionemque, minus fertilem, reddidit graminum & herbarum feracem. Literas amavit Princeps literatus; Mathematicis præſertim ſtudiis delectatus. Tres ille priores Marchici juris partes, quæ proceſſum civilem & cauſas matrimoniales pertractant, ſub incudem revocatas, pluribus locis emendari juſſit. Interveniente tamen bello propoſitum illud caruit. ſucceſſu (*q*) A Rege Daniæ Elephantini Ordinis ornatus eſt torque. (*r*)

(*q*) FRIDERICI GOTTLIEBII L. BARONIS DE LOEWENSTERN *Commentatio* PRAESIDE FERDINANDO CHRISTOPHORO HARPPRECHTO Tubingæ A. 1691. defenſa atque Friderico noſtro Marchioni adſcripta ſub Rubro: *Juris communis & provincialis Marchico-Badenſis Differentiæ principes in materia contractuum ſucceſſionis ex teſtamento & ab inteſtato, ut & in criminalibus, ſive ad Juris Marchico-Badenſis Partem* IV. V. VI. VII. Tres priores partes omiſit LOEWENSTERNIUS, quod Friderici eas emendandi conatus, ardente tum bello, fuerat interruptus.

(*r*) Factum id occaſione matrimonii, quod cum Holſatica Principe contraxit Fridericus.

§. XXI.

Sponſalia prima.

Ducturus erat in matrimonium Carolam Eliſabetham, Caroli Ludovici, Electoris Palatini, filiam; quæ dein Aurelianenſium Duci Philippo fratri Ludovici XIV. nupſit. Sponſalia jam fuerant contracta. Sed ad Electorem futurum ſocerum, magno cum comitatu, Sobernhemium quum proficiſceretur Fridericus, in milites Palatinos, qui ob turbas de Wildſangiatu hinc inde tum vagabantur, incidit; qui Marchicos equites, quos Lotharingos putaverant, male tractarunt. Marchio, apud ſocerum ea de re conqueſtus, Electorem facinus ſuorum excuſare intelligens, negotium de matrimonio abrupit.

Matrimon. cum Holſat. Principe.

Interjectis aliquot annis Fridericus animum adplicuit ad Auguſtam Mariam, Friderici Ducis Holſatiæ filiam, A. 1649. Gottorpii natam, cum qua Huſumi in Sleſvicenſi Ducatu, ubi Maria Eliſabetha, ſponſæ mater, ſedem habebat, A. 1669. menſe Decembri, ſponſalia præſens contraxit. (*s*) Nuptiæ varias ob cauſas in annum ſequentem dilatæ. Fridericus A. 1670. Huſumum redux, die 15. Maji matrimonium inivit. Chriſtianus Albertus, Holſatiæ Dux, ſponſæ frater, feſtivitati interfuit. Brevi poſt Marchio conjugem ſolenni ceremonia ad Caroloburgenſe ſuum Palatium deduxit, (*t*) atque cum ea per triginta ſex annos felici

(*s*) *Diarium Europ.* Part. XXI. pag. 200.

(*t*) Occaſio hinc nata PHILIPPO JACOBO SPENERO, ut librum conſcri-

Frid. M.

matrimonio vixit. Utramque inter fortunam Uxor marito ſemper comes adhæſit; cui ſuperſtes vitam produxit ad A. 1728. quo octogenaria fere ſenex Auguſtæburgi apoplexia periit.

§. XXII.

Numeroſam Marchioni undecim liberorum ſobolem dedit, quorum ſex in tenera ætate defuncti ſunt. Liberi.

1. Fridericus Magnus, natus die 13. Jan. 1672. proximo die 24. Febr. deceſſit Lauſannæ; in Cathedralis Eccleſiæ Baſilienſis crypta ſub Choro depoſitus.
2. Friderica Auguſta, nata die 21. Maji 1673. anno ſequente die 25. Julii extincta.
3. Chriſtina Sophia, nata die 17. Dec. 1674. denata die 22. Jan. 1676.
4. Claudia Magdalena Eliſabetha, nata 15. Nov. 1675. die 18. April. 1676. fato functa.
5. Catharina, nata die 10. Oct. 1677. Johanni Friderico Leininga-Hartenburgico Comiti A. 1701. die 19. Junii nupſit; A. 1746. die 11. Aug. defuncta.
6. *Carolus Wilhelmus*, patri in Marchia Durlacenſi ſucceſſit.

beret, cui Tit. *Herſtammung beyder Hæuſer Baden und Holſtein*, impreſſum Francofurti A. 1672. fol. cura Meriani, qui Imagines Principum utriusque familiæ & feſtivitatis nuptiarum, quæ Durlaci celebratæ, æri impreſſas adjecit.

7. Johanna Eliſabetha, nata A. 1680. die 3. Oct. Eberhardo Ludovico Wirtenbergico Duci A. 1697. die 16. Maji nupta, A. 1757. die 2. Jul. e vivis exceſſit Kirchhemii, haud procul a veteri Teccæ Caſtro, in Wirtenbergico Ducatu; ubi vidua vixerat.

8. Albertina Friderica, nata die 3. Julii 1682. Chriſtiano Auguſto Duci Holſatiæ lineæ Gottorpienſis, Lubecenſi Epiſcopo die 2. Sept. 1704. matrimonio juncta, A. 1755. die 22. Dec. mortua Hamburgi; Princeps fortunata, cui filium Adolphum Fridericum Regem Sueciæ, & ex filia neptem Catharinam, futuri Ruſſiæ Imperatoris uxorem, nunc Imperatricem, videre contigit.

9. Chriſtophorus, de quo ſeparatim agemus.

10. Carola Sophia, nata 1. Martii 1686. vix triennio transacto, die 3. Oct. 1689. deceſſit.

11. Maria Anna, nata die 3. Julii 1688. denata die 8. Martii 1689.

Digitized by Google

CAPUT XI.

CAROLUS GUSTAVUS

Friderici Magni Frater.

§. I.

Carolus Guſtavus Friderici VI. filius junior, natus d. 27. Sept. 1648. nomen ſuum ab avunculo Carolo Guſtavo, dein Sueciæ Rege, accepit. Artibus ille & diſciplinis, quæ Principem decent, imbutus, una cum fratre Friderico Magno Marchione per Belgium, Germaniam, Angliam, Galliam atque Italiam fecit itinera. Initia ejus.

Exorto dein Belgico bello, Suevicæ Legionis Chiliarcha creatus, exercitum Imperii, cui pater ſummo cum imperio præerat, ſecutus eſt, magnisque ſe objiciens periculis, in obſidione Philippiburgi primum in præſidiarios impetum fecit. (a)

Xx 3

(a) Vita Friderici VI. §. 17.

Digitized by Google

CAROL. GVSTAV. Præfect. Kuzenhuſan.

Kuzenhuſanam Præfecturam, in inferiore ſitam Alſatia, jam A. 1656. a Carolo Guſtavo, Sueciæ Rege dono acceperat. A. 1680. die 22. Martii Senatus Alſatiæ ſupremus, ſedens Briſaci, eum vocavit, ut ratione hujus Præfecturæ poſſeſſionis ſuæ titulum ederet ac ſupremum Regis agnoſceret dominium. (*b*) Exhibuit ille tabulas donationis Sueciæ Regis, quæ tamen non impediverunt, quo minus Præfectus & incolæ Kutzenhuſani paulo poſt Weiſſenburgi homagium Regi præſtare cogerentur. Denique in bello Gallico, quod paullo poſt enatum, Præfectura hæc fiſco regio addicta eſt; Carolus Guſtavus contra Gallos pro Imperio quod tulerat arma.(*c*) At Pace Riſvicenſi Kuzenhuſana Præfectura, ſalvo ſupremo Regis imperio, Marchioni reſtituta.

§. II.

Geſta militar.

Inter hæc Carolus Guſtavus Suecicæ ſe addixerat militiæ, primarii vigilum Præfecti (*d*) munere ei delato. Sed apud Suecos omnia tranquilla dum eſſent, A. 1684. Circuli Suevici copias in Hungariam Cæſari contra Turcas adduxit atque in oppugnatione Vivarini A. 1685. ſtrenue fortiterque pugnavit. (*e*)

(*b*) *Recueil des Arrets de la Chambre de Metz & de Briſac* pag. 252.

(*c*) Vide *Actes & Memoires des Negotiations de la Paix de Ryswic* Tom. II. pag. 268.

(*d*) General-Wachtmeiſter.

(*e*) WAGNER in *Hiſtoria Leopoldi* Tom. I. pag. 654.

Digitized by Google

Eodem anno die 27. Nov. literis, Vindobonæ ad Comitia Imperii datis, petiit, ut in creandis proxime exercitus Germanici Ducibus ratio ſui haberetur, Præfecti Vigilum ſibi dignitate collata, quam eo certius ſperare ſibi liceat, quod in bello Hungarico nuper non ſine laude rem geſſerit. (*f*)

Nec diu poſt ad altiorem militiæ gradum aſcendit, ſupremus tormentorum Præfectus (g) Circuli Suevici creatus, cujus quatuor Legiones A. 1688. contra Turcas in Hungariam, rebusque ibi feliciter geſtis, in Germaniam reduxit menſe Nov. Circuli nomine ad eum tum ſcriptæ ſunt litteræ, ut breviſſimo, quo poterit, tutiſſimoque itinere Sueviam peteret, hibernaque ſua ad Danubium poneret, copiasque omnes retineret conjunctas. (*h*)

A. 1694. cum Ludovicus Badenſis Rhenum tranſire decreviſſet, hoſtes ut redderet ſecuros, Carolum Guſtavum cum parte copiarum ad Schreckam conſidere juſſit, ut ibi tranſiturus crederetur. Stratagemate hoc decepti ſunt hoſtes. Ludovicus tribus leucis ſupra Schreckam libere Rhenum tranſivit. (*i*)

(*f*) Londorp. *Act. publ.* Tom. XII. pag. 472.

(*g*) General-Feldzeugmeiſter.

(*h*) Londorp. *Acta publ.* Tom. XIV. pag. 280.

(*i*) Quincy *Hiſtoire militaire de Louis le Grand* Tom. III. pag. 39. & *Theatrum Europ.* Tom. XIV. pag. 599.

Digitized by Google

CAROL. GVSTAV.

A. 1700. in Sueciam iter ſuſcepit, ut a corona Suecica debitorum ſolutionem urgeret, ſed parum profecit. (*k*)

§. III.

Obitus. Uxor & liberi.

Obiit Carolus Guſtavus A. 1703. die 24. Octobris; Princeps, extra vitia poſitus; bonitatem mentis, lenitatem morum, cum fratre habens communes. Conſtans inter eos concordia. In gratiam eos inter ſe unquam rediiſſe non reperimus. In rebus militaribus dignum ſe proſapia, ex qua natus eſt, ab ineunte ætate præſtitit; in Aula Cæſarea gratia pollens.

Uxorem habuit Annam Sophiam, Antonii Ulrici, Ducis Brunſvico-Guelpherbytani filiam, A. 1659. die 29. Octobris natam, quam A. 1677. ſibi matrimonio junxit. Ex ea ſequentes liberi prodierunt.

Chriſtina Juliana, nata die 12. Sept. 1678. Johanni Wilhelmo Duci Saxoniæ Iſenacenſi nupſit A. 1697. defuncta die 10. Julii 1707.

Carolus, natus 30. Martii, denatus 30. Aug. 1680.

Fri-

(*k*) Vid. Vita Frid. VI. §. 10.

Digitized by Google

Fridericus Rudolfus, natus die 13. Maji 1681. anno ſequente die 18. Maji vita exceſſit.

Carolus Antonius, natus die 29. Jan. 1683. novennis puer die 31. Maji A. 1692. extinctus eſt.

§. IV.

Hereditas ejus.

Carolus Guſtavus moriens filiam, Chriſtinam Julianam, ſcripſit heredem; unde inter Johannem Wilhelmum, Iſenacenſem, maritum ejus, & Fridericum Magnum, Marchionem, difficultates prognatæ. Quum Iſenacenſi nuberet Chriſtina, ſecundum ſtatuta Domus, renunciavit juribus, ſi quæ habuerat. A. 1704. die 3. Martii transactio Pforzhemii inita eſt, qua Marchio, in amicitiæ pignus inter utramque Domum, fratris hereditatem, ſpeciatim mobilia Francofurti depoſita, jus in 40. millia florenorum, a Suecis debita & Carolo Guſtavo a matre prælegata, aliaque nomina & actiones, eidem Marchioni competentes, Chriſtinæ Julianæ ejusque conjugi transſcripſit; Alſaticam Kuzenhuſæ præfecturam, a Carolo Guſtavo, Sueciæ Rege, Chriſtinæ Magdalenæ, ſorori, Friderici VI. conjugi, ipſique Carolo Guſtavo donatam, eidem Chriſtinæ Julianæ & Iſenacenſi relinquens. Alienationis caſus ſi aliquando eveniret, reluendi jus ſibi Marchio ſervavit. (*l*) Ex ap-

(*l*) Alienatio, vivo adhuc Friderico Magno, facta. Præfectura venditione in

Digitized by Google

Carol. Gvstav.

panagio patris filiæ quæ ſolvenda ſupererant, Marchio certis & ſtatutis temporibus ſe ſoluturum promiſit.

Hanoicam Domum tranſivit; Badenſibus reluendi jure non uſis. Johannes Fridericus, Leininga-Hartenburgicus Comes, A. 1715. a Carolo Wilhelmo literis petiit, ut reluendi jus in ipſum tranſcriberet. Facultatem præſcriptione ſublatam eſſe, Marchio reſpondit.

Digitized by Google

CAPUT XII.

CAROLUS WILHELMUS.

A. 1709 - - 1738.



§. I.

Carolum Wilhelmum fingens alma rerum mater Natura, dubia fuiſſe videtur, Herculem an Amorem formaret. Formavit utrumque. In eo ornando Veneres & Gratiæ fuerunt Naturæ miniſtræ. Poſt atrox belli ſeptennalis Europæi incendium, pace Neomagi terra marique concluſa, Carolus Wilhelmus lucem aſpexit Caroloburgi, die 28. Januarii A. 1679. vera Pacis propago. Erectam & vividam indolem mirati ſunt doctores, qui ſcientias & artes inſtillabant ephebo. Ortus ejus.

Adoleſcens Lauſannam & Genevam miſſus eſt A. 1690. quum Palatia, Arces, Caſtella, urbes, oppida, vici & villæ Marchionatus Badenſis, bellico nuper incendio flagrantes, adhuc fumaſſent. Elegantioribus ibi literis incubuit ſtrenue; ut juvenis privatus. Ex Helvetia redux, A. 1692. profectus eſt Trajectum ad Rhenum; politicis & Juris publici diſciplinis, Principi regenti futuro præſertim neceſſariis, operam daturus. Tantus ardor fuit Studia literar.

Digitized by Google

CAROL. WILHEL.

Principis ephebi, ut ab ore Profeſſorum aſſiduus hæreret auditor, ipſeque ſententias & præcepta eorum avidus ſuo calamo exciperet; domum reportaturus theſauros, quos ſuo tempore in Marchiæ ſuæ ſinum effunderet. Scripta hæc hodieque in ſcriniis Aulæ ſervantur.

§. II.

Itinera Anglic.

Trajecto in Angliam vicinam mari, A. 1693. bis iter ſuſcepit. Primum cum Gemmingio, ſuo Ephoro, ſolus, ubi Regiam Aulam, Magnates, Viros illuſtres & doctos omnis generis, Urbes, Emporia, Portus, Academias adiit, nihil viſu dignum omittens; menſe Junio redux Trajectum.

Fine anni Ludovicus Bada-Badenſis quum in Angliam tranſiret; de belli ad Rhenum, contra Gallos gerendi, ſumma deliberaturus cum Rege, juvenis Marchio agnatum comitatus eſt; tanti Herois veſtigia in ipſo quoque ſecuturus itinere. Helvœtſluſii duo Marchiones quum conſcenderent navem, exorta fuit tempeſtas, tranſitum quæ prohibitura videbatur. At neceſſario tranſeundum. Liberis tum carebat Ludovicus Wilhelmus. Carolus Wilhelmus ſedecimo ætatis anno, cum unico fratre, unica ſpes fuerat Domus. Gloria & ſpes tantæ proſapiæ credita tum ventis & fluctibus maris. Julii Cæſaris exemplo Heros Badenſis navarchum excitare tum poterat, Ludovicum vehis & Ludovici fortunam. Ad Withaliam appulit navis undecimo Januarii. Amicitiæ teſtimonia, honores, quibus a Rege & ab omni ejus Aula exce-

Digitized by Google

Carol. Wilhel.

ptus eſt Ludovicus Wilhelmus, in ejus vita expoſui. (a) Rediit ad Batavos die 14. Martii 1694.

Primum iter in Angliam Principi noſtro fuit utile; alterum fuit glorioſum. Agnatus & comes itineris tanti Herois ſpem Anglis injecit Principis, non Domui tantum ſuæ, ſed & univerſæ Germaniæ futuri ornamento.

§. III.

Ex Britannia redux agnatum in caſtra ſequi decrevit. Interfuit tum quoque bello patruus, Carolus Guſtavus, in Circulo Suevico tormentorum Præfectus. Tantis ſub præſidibus tirocinia militiæ A. 1694. fecit Carolus Wilhelmus; a Muſis ad Bellonam progreſſus; in cujus ſchola ille tam celeriter ac in altera profecerat. Tirocin. militiæ.

Vix reverſus e caſtris, ante finem anni, Italiam petiit; admiranda veteris & junioris ævi monumenta viſurus. Ad infimam uſque penetravit Italiam; peregrinator curioſus; in reditu Caſaliæ urbis obſidioni interfuit. Florentia terræ motu quaſſata, domus, quam Princeps noſter inhabitaverat, concidit, quum ex ea vix pedem promoviſſet. Iter Ital.

Denique aliud majoris momenti iter per præcipuas Germaniæ ſeptentrionalis Regiones Daniæque Regnum Carolus Wilhelmus A. 1696. medios inter belli tumultus ſuſcepit; profecturus in Iter Suecicum.

(a) Tom. III. pag. 213.

Digitized by Google

Sueciam, ut ibi Regem & Regiam matrem, materteram ſuam, inviſeret, quæ ſui ex ſorore nepotis fortunæ & gloriæ generoſe invigilaverat. Appulit ibi Martio menſe.

§. IV.

Spes matrim Suecici.

Hedwigis Eleonora, Caroli Guſtavi, Regis Sueciæ, vidua, ex Holſatiæ Ducum familia prodiens, Hedwigi Sophiæ, primogenitæ Caroli XI. Regis filiæ, nepti ſuæ, Carolum Wilhelmum deſtinaverat maritum. Rex & omnis Regia Aula florentiſſimum ſeptendecim annorum adoleſcentem omnibus amicitiæ teſtimoniis excipiebant. Matrimonio hoc Regia Suecica Domus cum Marchica Badenſi perpetuo ſanguinis vinculo jungenda videbatur. At res caruit ſucceſſu. Princeps maritandus, non ſatis cautus, & liberius vivens, diſplicuit Suecis, ubi ſeveriores illo tempore mores regnabant.

Enimvero monitore & conſilio egens juvenis Princeps, comites habuerat, experientia rerum deſtitutos & conſilii inopes, in quibus præſidium ille nullum invenit, ſibi ſoli relictus. Amiſſa matrimonii ſpe, poſt ſeptem ibi menſium moram, Holmia profectus eſt.

Res, ut geri debuerat, ſi geſta fuiſſet, Regium in Domo Badenſi jam diadema ſplenderet. Bipontino-Palatinis apud Suecos extinctis, virtute matrimonii hujus ſucceſſiſſent Badenſes; Haſſo-Caſſellanis & Ducibus Holſatiæ excluſis, qui jus ſuum a Caroli XI. filiabus deducunt, quarum ſenior Hedwigis Sophia,

Digitized by Google

Carolo Wilhelmo deſtinata, dein nupſit Friderico IV. Holſatiæ Duci, unde Holſatici juris in Suecicam coronam origo. (*b*)

§. V.

Quam Suecia Carolo Wilhelmo recuſaverat conjugem, ei obtulit Wirtenberga; reciproco utriusque Domus matrimonio læta; quæ Principem Virginem Durlacenſi Domui dedit, ut ex eadem Principem pro Wirtenbergica acciperet Domo. Ceremonia duplex A. 1697. peracta; tempore, quo Pace Riſvicenſi reddita fuit Germaniæ quies; inſecuta Caroli II. Regis Hiſpaniæ morte de novo turbanda. Matrim. Wirtenb.

Enimvero novi ſeculi ortus novæ quoque tempeſtatis bellicæ epocha fuit, quæ tredecim per annos per Europam detonuit; cujus prima fulmina plerumque ad Rhenum & in Marchia vibrantur. Fida hæc Rheni & Germaniæ cuſtos; novennalibus belli præcedentis furoribus agitata, nondum reſpiraverat, quum novum in ea belli reſurgeret theatrum; in quo Carolus Wilhelmus omnium judicio ſtrenuus comparuit athleta; magno agnati ſui, Ludovici Badenſis, animatus exemplo. Bellum de ſucceſſ. Hiſpan.

(*b*) Domus Durlacenſis, extincto Carolo XII. Sueciæ Rege, jus in Sueciæ Regnum alio ex fonte derivavit Gottfridus Ruhlmannus, Conſiliarius Schwarzburgicus, qui ſcripto, A. 1722. typis vulgato, oſtendere ſtuduit, in Regium Sueciæ ſolium Carolo Wilhelmo Badenſi potius, quam Carolo Friderico, Holſatiæ Duci, & Guſtavo Samueli Bipontino jus competere, gradu proprior quod eſſet. Jus Badenſe autem a Chriſtina Magdalena Bipontina, Caroli IX. Regis nepte, Friderici Magni matre, Caroli Wilhelmi Marchionis avia, deducit.

Digitized by Google

Conſcribendus ad defenſionem miles, parandæ legiones, conſtituendi militares Præfecti. Sueviæ Ordines, quibus virtus Marchionis juvenis nota, Tribuni militum ſummique vigiliarum Præfecti munus ei contulerunt unanimes.

§. VI.

Obſidio Landav.

A. 1702. bellum a Cæſare & Imperio declaratum eſt Gallis. Landaviæ obſidio a Ludovico Badenſi, belli duce, ſuſcepta; in qua ſingularem egregiæ fortitudinis ſibi laudem Marchio noſter comparavit. Hoſtis die 14. Aug. ex urbe erumpens, ex vallis, quæ circumdabant urbem, jam ejecerat Cæſareos. Carolus Wilhelmus, revocatis in pugnam militibus, tanta vi repulit hoſtes, feſtinato ut curſu repeterent urbem. Marchio fortiter dimicans, grave vulnus in femore accepit, ex quo diu decubuit. (c) Joſephus, Romanorum Rex, literis ad Carolum datis, magnam ei fortitudinis laudem adſcribit.

Prœlium ad Fridling.

Reſtitutus a vulnere, ad copias, quæ tuendæ Brisgoviæ ad Fridlingam ſubſtiterant, eodem anno ſe contulit. Galli, cum valido exercitu Rhenum ad Huningam transgreſſi, tanta vi Cæſareos, viribus inferiores, adorti ſunt, ut equitatu primo impetu pul-

(c) MARTINIERIUS in *Hiſtoria Ludovici XIV.* Principem noſtrum in oppugnanda urbis obſeſſæ foſſa una cum Comite Sueſſionenſe & Comite Kœnigseggii periiſſe perſcripſit. Eadem habet QUINCY *Hiſt. militaire de Louis le Grand* Tom. III. pag. 589. ROUSSET *Hiſtoire militaire du Prince Eugene* Tom. II. pag. 62. & ipſe AUCTOR *Theatri Europæi* Tom. XI. pag. 1151.

Carol. Wilhel.

pulſo interfectoque Furſtenbergio Comite, copiarum duce, acies inclinaret ad fugam; quæ Caroli noſtri virtute reſtituta eſt. Ille cum Wilhelmo Friderico, Cnolsbacenſi Principe, ordines turbatos refecit, magno ardore pugnam inſtauravit, dubiamque fere reddidit victoriam Gallis; (*d*) ſed magna virtute pugnans, grave vulnus accepit.

Fortitudine Caroli Sueviæ Ordines moti, ſummum copiarum Circuli Legatum (*e*) eum eodem anno renunciarunt.

§. VII.

A. 1703. Kehlenſe propugnaculum expugnatum a Gallis; in mediam penetraturis Germaniam; niſi Princeps noſter cum Ludovico Wilhelmo, agnato ſuo, exercitus ductore, vallo a Nigræ ſilvæ ſaltibus per Buhlam ad Stolhovam & ad Rhenum usque conſtructo, impetus hoſtium & incurſiones retardaſſet. Denique cum Stirumio Comite, Campi Mareſchallo, qui ad Danubium caſtra habebat, Princeps noſter ſuas copias junxit. Vallum Stolhov.

Galli, vallo Stolhovienſi neglecto, per Kinzingæ vallem in Sueviam penetraverant; Stirumium vigeſimo Septembris ex improviſo aggreſſi. Diſſipatus fuerat equitatus Cæſareus; impedimenta direpta. At Carolus Wilhemus cum Principe Anhaltino Deſſaviæ copias pedeſtres ingenio ſuo & arte militari, mediis ex hoſtibus, levi detrimento accepto, recepit.

(*d*) Conferatur Tom. III. pag. 240.

(*e*) General-Feldmarſchall-Lieutenant.

Digitized by Google

CAROL. WILHEL.

Rebus tam glorioſe geſtis, promeruit juvenis heros, ut Leopoldus Imperator die 20. Nov. ſupremum exercitus ſui eum conſtituerit Legatum. (*f*)

Prœlium ad Spirbach.

Tallardus, Gallici exercitus dux, eodem tempore Landaviam obſedit. Landgravius Haſſiæ & Naſſoviæ Comes ad liberandam urbem copias adduxerunt e Belgio; Marchionem noſtrum invitantes, ut expeditioni huic accederet ſocius. Acceſſit, & cum parte copiarum prope Manhemium ſubſtitit; Rhenum tranſire non auſus, donec de ſententia Ludovici Badenſis, ad quem ſumma rerum ſpectabat, per nuntios certior fieret. Inter hæc Tallardus gravi ad Spirbacum prœlio Germanicum exercitum oppreſſit. Marchio, reductis copiis, in ſequenti hieme Stolhoviani valli curam & cuſtodiam habuit.

§. VIII.

Prœlium ad Hochſtad.

Ineunte A. 1704. Tallardus ad Huningam ſuperaverat Rhenum, novas Bavaro ut adduceret copias. Carolus Wilhelmus Eugenii Principis, qui Tallardum obſervaturus ad Danubium acceſſerat, ſecutus eſt caſtra, atque inter equitum Præfectos celeberrimæ ad Hochſtadium pugnæ die 13. Aug. magna cum laude interfuit. (*g*) In dextro enim cornu collocatus, Gallorum aciem, opportunitate loci ſuperiorem, quarto impetu fregit & tanta ipſe

(*f*) General-Feldmarſchall-Lieutenant.

(*g*) Adi Tom. III. pag. 258.

Carol. Wilhel.

pugnavit audacia, ut ſignum militare, manu ſua detractum ſignifero, ad ſuos pertulerit.

Marchio tormentor. Præfect.

Poſt Hochſtadienſe prœlium altera Landaviæ a Cæſareanis ſuſcepta eſt obſidio. Carolus Wilhelmus die 20. Sept. hoſtes ex ea identidem erumpentes, in urbem rejecit, eaque capta, durante hieme, ad Stolhoviani valli cuſtodiam rediit. A. 1705. Suevici Ordines eum tormentorum Præfectum renunciarunt ſupremum.

Vallum Lauterb. propugnat.

Maxima inde Cæſarei exercitus pars ſub Wirtenbergæ Duce Treviros petiit, ut junctis cum Marlborughio armis, ad Moſellam transferretur belli theatrum. Marchioni noſtro & Thungio, Campi Mareſchallo, Rhenenſis ſuperior tractus cum Lauterburgico vallo commiſſus eſt, ut modica utrumque manu defenderent. Villarſius, Julio ineunte, cum juſto exercitu aggreſſus eſt vallum; ſed re infecta in Alſatiam ſe recipere coactus eſt. Paulo poſt Cæſarei in Alſatiam irruptionem fecerunt. Marchio commeatuum curam ſuſcepit.

§. IX.

Geſta reliqua.

At A. 1706. ipſe cum Thungio copias in Alſatiam duxit; a Germania ut averteret Gallos. Ob paucitatem ſuorum prœlio tamen decertare non auſus, intra munitiones ſe continuit. Thungius, a Ludovico Badenſi Raſtadium, ubi ægrotabat, evocatus, Carolo Wilhelmo ſoli tradidit militare imperium; quod feliciter geſſit; omnes Villarſii eludens conatus. Sed poſt Thungii redi-

CAROL. WILHEL.

tum Duces Cæſarei, quod appropinquaverat hiems, relictis Alſatiæ caſtris, cum exercitu Rhenum tranſierunt.

Ludovici Badenſis obitus A. 1707. Germaniam vehementer afflixerat. Galli duabus ex partibus vallum, Rhenum inter & Silvam Nigram, perrumpere ſtuduerunt. Villarſius fine Maji cum triginta millium armatorum exercitu illam ejus partem, quæ oppidum Buhlam tangebat, aggredi conſtituit. Tantis viribus impar Carolus Wilhelmus, quum duo tantum peditum millia & ſexcentos fere equites ſub ſignis haberet, Wirtenbergæ Ducis imploravit auxilium; qui alteram valli partem, verſus Rhenum prope Stolhovam quinque millibus armatis defenderat. Sed alia via tranſierant hoſtes. (*h*) Marchio vigeſimo tertio Maji quarta vigilia, militibus paucis in vallo relictis, ipſe cum maxima equitatus parte diſceſſit, equitibus imperans, ut ad primum hoſtium impetum, reliquis peditibus poſt terga receptis, ſequerentur. Ita incolumis cum omnibus copiis Carolus Wilhelmus Pforzhemium evaſit, ubi ceteris ſe ducibus, qui a vallo quoque diſceſſerant, conjunxit. Inde brevi poſt cum duabus cohortibus miſſus eſt Ulmam; urbem conſilio & manu Præfectus ut regeret. Paulo ante Cæſar, literis die 12. Maji datis, ſupremi rei tormentariæ Præfecti ei munus commiſerat.

A. 1708. Bellum molliter geſtum eſt. Vallum ad Etlingam conſtructum, cujus defenſionem Marchio ſuſcepit. Anno ſequenti pater ejus deceſſit.

(*h*) Conf. Tom. III. pag. 270.

Digitized by Google

§. X.

Tum vero a bellicis octo annorum curis ad terrarum ſuarum regimen, quod felicibus auſpiciis adiit, converſus eſt belli dux; eo feliciore cum converſione rerum, quod Germanicus ad Rhenum exercitus neceſſariarum rerum copia plerumque carebat; qua de re Ludovicus Wilhelmus, ut in Vita ejus edocui, toties fuerat conqueſtus. Regimen adit.

Carolus VI. A. 1711. electus eſt Cæſar. Poſt electionem ex Hiſpania in Germaniam transeunti, Oenipontem usque obviam Marchio proceſſit, indeque Venetias iter inſtituens, ſequenti demum anno rediit domum.

A. 1712. Suevicam, cui præerat huc usque, Ordinum Legionem, fratri ſuo Chriſtophoro tradidit.

Apud Helvetios atrox hoc tempore civile flagraverat bellum, ab Abbate S. Galli excitatum; qui Toggenburgenſium motuum auctor fuit atque promotor. Carolus Wilhelmus vicinus & amicus Helvetiæ, omnem operam dedit, ut bellum, magno animorum ardore geſtum, componeretur. Pacifica ſua ut interponeret conſilia, Cæſar ipſe, Palatinus Elector, Wirzburgenſis Epiſcopus & Wirtenbergæ Dux, Marchionem ſuis litteris hortati ſunt.

Inter hæc Galli, compoſita cum Anglis & Batavis Ultrajectina pace, quum in Germaniam belli molem converterent, Marchicæ terræ ab exercitibus utrimque multa mala perpeſſæ ſunt,

Digitized by Google

quæ ſuis conſiliis ſuaque autoritate Princeps, quantum in ipſo erat, correxit.

§. XI.

Prælim. Pacis Raſtad. Pacificationi, inter Gallos atque Imperium Raſtadii celebratæ, interſuit, ſuis ipſe rebus intentus. At Badam Ergoviæ, ubi pax conſummata, ſuos miſit Legatos.

In omni hujus belli decurſu non modo Ludovici Badenſis, agnati ſui, ſed & Eugenii, herois illius Sabaudi, amicitia uſus eſt familiari.

Literæ Eugenii Princip. Primæ quum emicuiſſent pacis ſcintillæ, Sabaudus, Raſtadii verſatus, die 5. Januarii A. 1714. literas dedit ad Carolum Wilhelmum, quibus ei ſignificat, Galliæ Regem pronum eſſe ad pacem ineundam cum Cæſare, & quidem conditionibus minus duris, quam fuerant Ultrajectinæ. Primum hac ſuper re nuntium ab Aulæ Electoralis Palatinæ Adminiſtris ſe accepiſſe, eumque in finem cum Villarſio, Franciæ Mareſchallo, nuper die 26. Decembris A. 1713. Raſtadii inſtituiſſe colloquium. Addit, ſpe tamen ſe fuiſſe deceptum; Gallos enim Landaviam & Fortalitium Ludovici velle retinere, nec reddere Friburgum, niſi eis Briſacum & Kehla, aut Philippiburgum reddantur, vel certe munimentis priventur. Bavariæ & Coloniæ Electorum reſtitutionem, cum reparatione damnorum, ante omnia peti. Conditiones has rejeciſſe ſe ſcribit Sabaudus, & Raſtadio paraſſe diſceſſum; at a Villarſio ſe fuiſſe retentum, qui Regis ſui expectarat reſponſa. Rediit

Verſaliis nuntius. De reſtitutione Electorum Rex nihil remiſit. Remiſit reparationem damnorum; Fortalitium Ludovicianum atque Landaviam ſe non redditurum profeſſus. Sed & de limite Alſatiæ actum. Rhenus & Queicha Germaniam inter Galliamque termini petebantur. Regium axioma poſtulatum pro Bavaro. Sabaudus auguratus eſt, recurrendum ad arma. Hæc epiſtolæ ſumma, quam ad Marchionem perſcripſit. Conjectura tamen Sabaudum feſellit. Ad maturitatem pervenerunt Raſtadii Præliminaria pacis.

§. XII.

Marchio ad Imperatorem, ad Comitia Auguſtana, ad Eugenium Sabaudum, & ad Villarſium, Raſtadii hærentes, die 11. Maji 1714. literas perſcripſit, in quibus mala, quæ ſuperiore & noſtro hoc ſeculo Marchia Badenſis perpeſſa eſt, graviter depingit, petitque, gravaminum ſuorum ut habeatur ratio. Eugenius & Villarſius humaniſſimis formulis Marchioni reſponderunt uterque; in ipſo futuræ pacis negotio optima quæque polliciti. Marchionis petita.

Pax denique Badæ Helvetiæ quum eodem anno conſtitueretur, compoſitoribus pacis per legatum quatuor petita ſua obtulit Marchio. Pax Badenſis.

Petiit primo, ut jurium ſuorum in Geroldſeccianæ Dynaſtiæ allodia tandem ratio habeatur.

Secundo, ut Civitas Neoburgi ad Rhenum, bello everſa & Badenſibus circumdata terris, ab Auſtriaca domo tradatur Badenſi; ob damna bellorum ſine fine accepta.

Digitized by Google

Tertio, ut eadem Domus eandem ob cauſam ab oneribus Imperii & Circuli liberetur ad tempus.

Quarto ut ad ſimultaneam inveſtituram bonorum, de quibus ab aliquo tempore inveſtiti fuerunt Marchiones Bada-Badenſes, admittatur quoque Durlacenſis Domus. (i)

Reſtituta pace, redditæ quidem ſunt Marchioni a Gallis inſulæ Rheni; Huningæ munimentis vicinæ; (k) damnorum autem, quæ paſſus eſt immenſa, nulla habita ratio.

§. XIII.

Fœdus contra Nobilit.

Maulbronnenſe illud Principum contra Nobiles, Cæſari ſine medio ſubjectos, olim initum fœdus, A. 1713. die 11. Febr. inter Principes renovatum eſt. Firmarunt illud Johannes Wilhelmus, Palatinus Elector; Johannes Philippus, Herbipolitanus Epiſcopus; Georgius Wilhelmus, Baruthinus, Wilhelmus Fridericus, Onolzbacenſis, Marchiones, Eberhardus Ludovicus Wirtenbergæ Dux, & Erneſtus Ludovicus, Darmſtadienſis Landgravius. Carolus Wilhelmus noſter, a Landgravio invitatus, fœderi acceſſit. At Cæſar non probavit hoc fœdus.


Bellum Turcicum.

A. 1715. Turcicum in Hungariæ finibus bellum, felici cum ſucceſſu, a Cæſare geſtum eſt. Bis mille militum Legionem ei A. 1716. Marchio in auxilium miſit; uſum ejus ad decennium Cæſari relinquens; qui ſupremi caſtrorum Mareſchalli dignitate eum con-

(i) *Electa Juris publ.* Tom. VI. pag. 693. ſeq.
(k) Vid. *Inſtrum. Pacis Badenſis* Art. VIII.

Digitized by Google

2.3.30ud IX



1. Der Pallast. 2. Die ¦ Feuer=haus. 8. Die hoff=Küche. 9. Vier Orangen=häuser
10. Die Hoff=Wasch. 11. ¦ Die Menagerie. 16. Der hintere Lust=Garten. 17. Der
Fasanen=Garten. 18. De ¦ Obst=Garten. 22. Das Garten=Thor, an der Landstrase

21. Die Einfassung des G… | 28. Der grose Circul. 29. Der Kleinere Circul. 30. Die Lange
oder haupt strase. 31. Die … | …t Platz. 37. Die Catholische Kirch. 38. Die Waldhorn = Gas.
33. Die Cronen = Gass. 4… | = Gass. 46. Die Waldt = Gass.

G. N. Fischer delin. J. Striedbeck sculp. Argen…

condecoravit. Finito decennio, Legionem omnem Cæſari in perpetuum reliquit.

§. XIV.

Carlsruha condita.

Alta quies apud Germanos, poſt duodecim annorum bella, quum tandem regnaſſet, Carolus Wilhelmus de ſua quoque quiete & otio ſollicitus, Palatium CAROLSRUHAE exſtruxit. Quindecimus hujus ſeculi annus Palatio & oppido ſuas dedit origines.

Ad conſilium hoc ſuſcipiendum non una eum impulerat ratio. Vix quarta pars Caroloburgici apud Durlacenſes Palatii a patre fuerat magnis ſumptibus conſtituta. Filius immanes timens impenſas concinnius meditatus eſt opus, in quo agriculturæ & hortorum ſtudioſus, liberius, tranquillius, ſine curis, ruſticam veluti vitam tranſigeret.

Elegit ergo novæ ſedi ſilvam magnitudinis immenſæ, quæ bis mille paſſibus, verſus boream, diſtat Durlaco. In ſilva hac proſtravit arbores, robora, quercus annoſas, ut viridaria vaſta, xyſtos, ambulacra & hortos omnis generis, ſtagna, piſcinas, ex ingenio ipſo ſuo ordinaret, plantaret; Imperatoris Diocletiani imitatus exemplum. Ipſe totius operis architectus; quin & ſæpe hortulanus. Placuit ei circularis forma, quæ Palatium, oppidum, hortos & ſilvas ſuo ambitu complexa eſt.

Octangula turris eſt; a qua XXXII. viæ plurium horarum pulcherrimæ; radiorum inſtar, ad peripheriam procedunt.

Digitized by Google

Viæ latæ & amœnæ; per denſas ſilvas directæ. Primum ejus lapidem poſuit Princeps die XVII. Junii, ceremonia ſolenni; novum quæ peperit Ordinem Equeſtrem; ſecundum Ordinis Torquatorum in Badenſi Domo exemplum. (*kk*)

A nomine & ab otio ſuo locum CAROLSRUHAM vocavit. Nummus memorialis hac ſuper re cuſus eſt, quem ſuo loco exhibeo. (*l*)

§. XV.

Palatium Principis.

Ante turrim Palatium Principis figura curva extenditur; aſpiciens auſtrum. Palatio ſpatioſus prætenditur hortus; rarioribus vegetabilis regni plantis, & fruticibus conſitus; quem porticus circularis vel periſtylium cingit, ædibus altioribus conſtans, quæ aſpiciunt Palatium; retro quod ſpatioſa eſt ſilva phaſiana.

Civitas ipſa.

Reliqua pars Circuli, quæ totius eſt quarta; deſtinata fuit Civitati, novem perviæ viis; quæ totidem radii ſunt, ab octangula illa turri, ad extrema tendentes. Radios hos lata, elata

(*kk*) Erneſtus Fridericus *Faſciæ cæruleæ* inſtituit Ordinem, qui brevi duravit. Vide ſupra pag. 118.

(*l*) Epigraphe, Tabulæ inſculpta Palatio primo, ligneum quod erat, his conſtitit verbis: Sylva domicilium ferarum fuit anno MDCCXV. COSMOPOLITA pro requie invenienda ſtationem meam hic elegi, ut mundo faſtidiisque abſtraherer. O vanitas! nullam inveni. Ubi homo, ibi mundus. Contra voluntatem meam populus affluxit civitatemque erexit. VIDE VIATOR homo proponit, DEUS diſponit. Non voluntas, ſed gratia ter optimi requiem animi dat, quam ſperat CAROLUS. Anno MDCCXXVIII.

Digitized by Google

Carol. Wilhel.

& longiſſima via publica permeat, Civitatem in duas diſſecans partes; quarum exterior foſſa provinciali terminatur. Viam hanc duæ Eccleſiæ, Gymnaſium, & Curia Civitatis verſus boream aſpiciunt.

Aulam cum oppido a parte orientis equilia & hippodromium; a parte occidentis xyſti & phytothecæ plures, arborum fruticumque rariorum per hiemem cuſtodes, connectunt.

Templum Civitatis A. 1717. Concordiæ dedicatum eſt Calendis Novembris. Reformati ſuam quoque condiderunt Eccleſiam; ſuam Romano-Catholici. Nec recuſata Synagoga Judæis.

A. 1718. Conſilium Aulicum, Tribunal Juſtitiæ, Camera Redituum, Expenſarum, Computorum, Conſiſtorium, Fiſcus, Durlaco Carlsruham translati ſunt. Gymnaſium nonniſi A. 1724. translatum

Privilegia Civitati quæ conceſſit magnanimus Princeps, omnium Religionum Protector, facile effecerunt, numerus civium ut ſubito creſceret. Carlosruha, lignea tum licet ac ſimplex, ex improviſo e terra ſine faſtu exſurgens, concinnitate & novitate formæ, omnium exterorum allexit oculos. (*m*) Ligna ſucceſſor convertit in lapides.

§. XVI.

Equeſter *Fidelitatis* Ordo, cujus origines cum Carlosruha communes ſunt; duo Inſignia habet, quorum alterum pendet ab

Ordo Fidelit.

(*m*) Malschius in libro, cui Titulus: *Noctes vacivæ* ſeu Miſcella carioſa A. 1728. Carolsruhæ edita, 8vo has deſcripſit origines.

Digitized by Google

CAROL. WILHEL. Equitum collo; alterum ſiniſtro togæ lateri aſſutum. Crux aurea operis encauſti, in octangularem cuſpidata formam, prius Inſigne eſt; cui vox *Fidelitatis* ſuperſcripta. Litera C. duplex, altera alteri implicata, *Caroli* conditoris nomen Equitibus ſemper in memoriam revocat. Faſcia, cui appenſa crux aurantii coloris, cum argenteo limbo ad pectus usque deſcendit. Crux, togæ aſſuta, argentei coloris, grandior ſtella extans & undatim ſtriata. Inter quatuor ſtellæ radios repetita eſt quoque litera C. duplex, ut in cruce appenſa.

Mediocris primitus fuerat horum Equitum numerus, qui hodie ad LXV. excrevit. Ordinis Præſes eſt Marchio Durlacenſis Regens; a cujus arbitrio numerus Equitum pendet. Omnes Principes Domus Badenſis naſcuntur hujus Ordinis Equites. Amicitia, temperantia, fides, commendantur Equitibus. Hi autem, ante receptionem, quatuor nobilitatis majorum ſuorum gradus a parte patris & matris probare tenentur. Carolus Wilhelmus, novi Ordinis conditor, ipſe fuit Ordinis S. Huberti Eques, quem a Johanne Wilhelmo Electore acceperat.

Inſtituta hæc ſplendori Domus & Aulæ ſuæ Marchio noſter dicavit. Tranſimus ad aliud, moribus corruptorum civium corrigendis & miſeriæ humanæ ſublevandæ dicatum.

§. XVII.

Orphanotroph. Pforz. A. 1716. optimus Princeps orphanis, pauperibus & hominibus infirmis alendis; facinoroſis, prodigis, dementibus, coër-

cendis; pueris atque puellis erudiendis, ampliſſimas Pforzhemii ædes conſtruxit; intra biennium abſolutas. Inaugurationem Calendis Maji 1718. factam, Carolus Wilhelmus ſua præſentia illuſtravit.

Egregium hoc inſtitutum reditibus a Marchione inſtructum eſt. Inter alia Collegiatæ D. Georgii Pforzheimenſis, ut & omnium xenodochiorum, quæ in Marchia fuerant, eidem inſtituto attributi ſunt reditus.

Transactio cum Abb. S. Blaſii.

A. 1718. Carolus Wilhelmus cum Auguſtino, Abbate & Conventu S. Blaſii varias difficultates compoſuit. Jura in vico *Ried*, a Marchionibus hucuſque exercita, Abbatiæ reliquit; ita tamen, ut Proteſtantibus ibi ſacrorum libertas, ſibi jus circa ſacra ſervaret. (*n*) Decimæ in Sallneck, Tüllicke, Demberg, Oberhaüſſem; decimæ novales in Wittnau & Vogelbach; Curiæ dominicales in Hachbergæ, Rœtelæ, Badevillæ Dynaſtiis, antea abolitæ, ut & decimæ plures aliaque hinc inde jura, pactione hac San Blaſianis conceſſa.

Novæ dein lites ſub eodem Marchione quum fuiſſent exortæ, A. 1733. alia inita eſt Conventio, qua Carolus Wilhelmus nonnulla denuo jura reliquit Abbati, qui viciſſim juri collaturæ in Hügelsheim renunciavit.

Aaa 3

(*n*) Conventio hæc immutata eſt nova transactione A. 1751. de qua ſuo loco.

Digitized by Google

CAROL. WILHEL.

§. XVIII.

Lis ſuper Dynaſt. Lahr.

Diſputatio cum Naſſovio-Saræpontana Domo ſuper Lahrana Dynaſtia A. 1719. recruduit. Ad perficiendum negotium Miſſi ut conſtituerentur a Cæſare Naſſovii petierunt, per quos in poſſeſſionem Lahræ immitterentur; diuturna poſſeſſione & perceptione redituum, Badenſibus ſortem pecuniæ reſtitutam eſſe cauſati. Judicium Aulicum die 6. Julii rem ad Cameram Imperii, quæ ſeculo ſuperiore eam examinaverat, remiſit, atque Reſcripto d. 22. Maji 1720. Carolo Wilhelmo Marchioni injunxit, ne uſuras, ſententia declaratoria A. 1670. qua moratorium ad cauſam Lahrenſem extenſum eſt, abolitas, rationibus inferret, atque in ejus rei fidem rationes, a Miſſis Cæſareis adornatas, intra bimeſtre tempus Judicio Aulico exhiberet. Reſcripto huic non paruit Marchio. Judicium Aulicum A. 1721. d. 27. Jan. Electori Palatino & Haſſo-Caſſellano Landgravio rei executionem commiſit. Camera Imperii d. 11. Junii ejusdem anni mandatum inhibitorium Marchioni conceſſit, quo vetuit, ne rationum traditio & immiſſio Naſſoviorum in Lahræ poſſeſſionem in Judicio Aulico urgeretur ulterius.

At A. 1725. Cæſaris ſententia Naſſoviis Lahram addixit. (o) Ipſo autem executionis ſententiæ tempore, inter Durlacenſes &

(o) Edita a Durlacenſibus ſunt varia ſcripta.

1) Actenmæſſiger Bericht in Sachen Baden-Durlach contra Naſſau-Saarbrücken die Herrſchafft Lahr betreffend.

2) Hœchſtgemüſſigte Vorſtellung derer Hochfürſtl. Baaden-Durlachiſchen Gerechtſamen wider das Fürſtl. und Græfl. Hauſs Naſſau die Herrſchafft Lahr betreffend.

Digitized by Google

Naſſovios A. 1727. ita transactum eſt, ut hi Lahrenſi Dynaſtia, quam Durlacenſes per ſexaginta ſex annos poſſederant, recepta contenti, fructus, a Durlacenſibus perceptos, cum creditis & augmentis compenſarent.

§. XIX.

Senior Brunſvicenſium Linea in Nono Electoratu ſtabiliendo præterita, Carolo VI. Imp. per conjugem Eliſabetham affinitate juncta, A. 1719. magnopere laboravit, ut extincta Hanoverana Linea, in Nonum Electoratum ſuccedendi ſpes illi decerneretur. Extenſio IX. Elector. quæſita.

Speciatim Ludovicus Rudolphus, Blanckenburgicus, (p) Cæſaris ſocer, in ſenatum Principum ſe admitti poſtulavit. Cæſar per legatos rem in Comitiis & in ſingulorum Principum Aulis propoſuit. Suffrag. Blanckenb.

Carolus Wilhelmus, cui Brunſvicenſes fratres, Auguſtus Wilhelmus & Ludovicus Rudolphus, ut & Georgius Magnæ Britanniæ Rex, per literas, eodem anno ſcriptas, cauſam hanc eni-

3) Summariſche Vorſtellung, was in Sachen Baden-Durlach contra Naſſau-Saarbrucken puncto declarationis moratorii vor einem hochpreislichen Reichs-Hofrath vorgegangen.

4) Kurtze Gegenbeleuchtung, Einiger vor wenig Zeit erſchienenenen und ohngefehr zugeſchickt gekommenen Naſſauiſchen Impreſſorum den Streit ſuper moratorio zwiſchen Baaden-Durlach und Naſſau-Saarbrücken betreffend.

(p) Blanckenburgum A. 1708. ex Comitatu in Principatum fuerat converſum. Intuitu novi hujus Principatus locum & ſuffragium in Principum Collegio flagitavit Ludovicus Rudolphus.

xe commendaverant, deſiderio eorum & Cæſaris voluntati ſe non deſuturum oſtendit. In Comitiis tamen plures per annos res fuit protracta.

Landgravior. literæ.

Uterque Landgravius Haſſiæ literis A. 1727. ad Marchionem datis, rem periculi plenam eſſe judicarunt. Hac enim ſpe ad nonum Electoratum, novam Principum Ordini parari injuriam. Blanckenburgenſe ſuffragium reliquis Brunſvicenſium ſi innectatur ſuffragiis, Principum alternantium ordini atque dignitati id fore periculoſum.

Reſponſio March.

Reſpondit Badenſis, rem impediri non poſſe. Conſultum tamen judicavit, intuitu noni Electoratus, ad Guelpherbytanam quoque Lineam extendendi, ut Principes certis ſibi conditionibus proſpiciant. Dandum aliquid dignitati Cæſaris & affinitati, qua ille Ludovico Rudolpho conjunctus. In eandem ſententiam Carolus Wilhelmus ad Legatum ſuum in Comitiis fine hujus anni ſcripſit.

§. XX.

Turbæ Baſil. Epiſcop.

Circa id tempus Baſilienſis Epiſcopatus magnis motibus concuſſus eſt ſub Conrado Epiſcopo. Ordines provinciales ſubditique graves contra eum proferebant querelas, quae bellum inteſtinum minabantur. Cæſar ſubditos, ad officium ut redirent, frequentibus mandatis hortatus eſt. Miſſus ab eo Auſtriaci Regiminis Friburgenſis Cancellarius; in ſubditorum conatus ut præſens inqui-

Digitized by Google

Carol. Wilhel.

inquireret. Carolus Wilhelmus, ad Epiſcopi Spirenſis inſtantiam, ſuum quoque miſit Legatum, qui anno 1732. & ſequente componendis turbis operam navaret Brondruti. Sed irritus labor. Incolarum furor per octennium ſæviit; Gallicis copiis atque ſupplicio auctorum rebellionis denique repreſſus.

Solemnia nuptiarum Auguſtæ Mariæ, Ludovici Bada-Badenſis filiæ, cum Aurelianenſium Duce A. 1724. die 18. Junii celebrata ſunt Raſtadii. Carolus Wilhelmus feſtivitati interfuit; novum Domus Badenſis cum Borbonia vinculum agnato ſuo ſibique gratulatus.

A. 1726. Caſtrum & vicus Bauſchlott perpetuo vinculo conjuncti ſunt Marchiæ. Landenbergenſis Familia illud quondam poſſederat, ex qua Johannes Chriſtophorus Caſtrum & vicum cum juribus & bonis annexis A. 1604. Georgio Friderico Marchioni vendidit. Marchio in Erhardum Rammingium A. 1609. illud transtulit; a cujus ſucceſſoribus denique Carolus Wilhelmus illud redemit. Bauſchlott.

§. XXI.

A. 1729. menſe Dec. Judicium Rotvilenſe Aulicum ſubditos aliquot Marchionis e vico Schellbronn proſcribere auſum eſt; lite exemptionis fori coram Tribunali Aulico Imperii adhuc pendente. Rotvilenſes Vaſallo Marchionis, Baroni de Gemmingen, ut & incolis vici per literas minaces prohibuerunt, ne proſcriptis Judic. Rotvil.

CAROL. WILHEL.

victum receptumque præberent. Querela ad Marchionem delata. Hic adiit Cæſarem & ab eo mandatum contra Judicium Rotvilenſe petiit atque impetravit.

Comitat. Moerching.

A. 1730. familiæ erciſcundæ ultimi Moerchingæ in Lotharingia Comitis Johannis X. ſine maſcula prole A. 1688. defuncti, cauſa, diu agitata in tribunalibus Lotharingicis, Nanceiano & Conſilio Status tandem deciſa eſt. Magdalena Wilhelmina, conjux Marchionis, cum fratre, Wirtenbergico Duce, commune jus in partem Comitatus Moerchingæ ſibi competere rata, in coheredum numero comparuit; at cecidit cauſa.

Caſtrum Carlshauſen.

Caſtrum Carlshauſen cum parte vici Dürrn Carolus Magnus Leutrum ab Ertingen, Domus Badenſis Vaſallus, A. 1730. die 31. Maji quadraginta mille florenis vendidit Marchioni, qui Corpus Equeſtre in exercitio juris collectandi, prouti illud hucusque exercuit, ſe non turbaturum promiſit.

§. XXII.

Jus in ſucceſſ. Juliac.

Maſcula Bipontii Ducum ſtirpe A. 1731. cum Guſtavo Samuele extincta, jus aliquod in partem ſucceſſionis Juliacenſis Carolo Wilhelmo accreſcere viſum eſt. Chriſtina Magdalena, Friderici VI. Marchionis conjux, Caroli Wilhelmi avia, neptis fuerat Magdalenæ, tertio genitæ Guilielmi Juliacenſis Ducis filiæ, quæ Johanni Palatino Bipontino in matrimonium collocato, una cum tribus ſororibus in Juliacenſes ditiones, tanquam feuda ſucceſſio-

nis promiſcuæ, poſt Johannis Guilielmi fratris obitum A. 1609. jus ſibi vindicavit. (*q*) Chriſtina Magdalena, Friderico VI. nubens, in caſum deficientium ſtirpis Bipontinæ maſculorum, ſua in Juliacenſem ſucceſſionem jura ſibi diſerte ſervaverat. (*r*) Carolus Fridericus, Holſatiæ Dux, filius Hedwigis Sophiæ Suecicæ, ſororis Caroli XII. Regis, ex eadem Bipontina gente prognatæ, in quartam partem ſucceſſionis Juliacenſis, ad Lineam Bipontinam ſpectantem, poſt obitum Guſtavi Samuelis, Bipontinorum poſtremi, jus quoque ſuum allegavit, & ſcriptis defendit. Durlacenſes tum tempus eſſe rati ſunt, quo & ipſi in ſucceſſionem hanc ſua

(*q*) Prodiit A. 1654. Vera ac perſpicua demonſtratio cauſæ Juliacenſis ſucceſſionis, cujus inſtrumentum Pacis Art. IV. §. ult. dirimendi gtatia meminit, unicum ac ſolum decidendi principium eſſe privilegium Carolinum A. 1546. inque eo intentionem Domus Palatino-Ducalis optimo maximo jure fundatam. fol. Pufendorf. de *rebus Friderici Wilhelmi* Lib. IX. §. 76. tradit, Palatinum Neoburgicum cum Friderico Ludovico Palatino circa tertiam ejus partem actionis Bipontinæ tranſegiſſe, cum reliquarum duarum tertiarum una ad Fridericum Palatinum, altera Regem Sueciæ ejusque *patruum atque amitas ſpectaret.* Regem Sueciæ Carolum XI. hic intelligit Pufendorfius, cujus patruus erat Adolphus Johannes, pater Guſtavi Samuelis, Bipontini Ducis; amitæ erant Chriſtina Magdalena, Friderici VI. Marchionis conjux, Maria Euphroſyna, uxor Magni Gabrielis Comitis de la Gardie & Eleonora Catharina, uxor Friderici Landgravii Haſſo-Eſchwegenſis.

(*r*) Vid. §. 23. Vitæ Friderici VI. Marchionis.

Digitized by Google

CAROL. WILHEL.

producerent jura. Carolus Wilhelmus enim non Guſtavo Samueli tantum, Bipontinorum Ducum poſtremo, ſed & Magdalenæ Juliacenſi, Wilhelmi filiæ, Johanni Bipontino nuptæ, gradu propior erat, Carolo Friderico Holſatiæ Duce. Ulrica Eleonora, Sueciæ Regina, ex eadem Bipontina ſtirpe progrediens, eodem plane, quo Carolus Wilhelmus Marchio cognationis gradu Guſtavo Samueli & Magdalenæ Juliacenſi fuerat conjuncta. Unde illa ægre tulit, inter Candidatos Juliacenſis ſucceſſionis comparuiſſe quoque Holſatiæ Ducem. A parte Badenſium nihil memorabile hac in re geſtum.

§. XXIII.

Exules Proteſt.

Proteſtantes Helvetiæ Cantones A. 1731. literis a Marchione petierunt, ut Proteſtantibus e Pragelaſii aliisque Pedemontii vallibus, numero 800. a Rege Sardiniæ propter religionem expulſis, miſeramque in Helvetia vitam trahentibus, in Marchia permitteret ſedem. Carolus Wilhelmus, Gallicas exulum colonias, a patre in Marchiam ſuſceptas, cauſatus & vaſtatam bello provinciam, tot hominibus alendis non ſufficere providens, petitum denegavit.

Exercit. juris monet.

A. 1732. Ludovicus Georgius, Bada-Badenſis, exercitium juris monetandi in ſexennium Carolo Wilhelmo reliquit; qui eodem anno officinam ſuam Carolsruhæ & A. 1734. Durlaci exer-

Digitized by Google

Carol. Wilhel.

cuit. (s) Poſt hæc de communi utriusque Lineæ officina inſtituenda deliberatum, ſed res non perfecta. A. 1761. placuit, ut monetarii, a Durlacenſi Marchione conſtituti, in utriusque Marchionis fidem adigerentur. Probator monetæ (Müntzwaradein) Durlacenſis in Conventu probationis trium Circulorum, Franconici, Bavarici, Suevici, Auguſtæ Vindelicorum eodem anno habito, utriusque Marchionis nomine comparuit & præeunte examine artis ſuæ teſtimonium accepit.

Vicus Herting.

A. 1733. Rothbergenſes Nobiles, poſt longas cum Marchionibus lites, vicum Hertingen in Brisgovia, quem in feudum tenuerant, Carolo Wilhelmo, Marchioni pro 20000. florenis vendiderunt. Eadem pactione mutuis juribus actionibusque utrimque renunciatum eſt. Emtione hac dominium utile cum dominio directo Marchio conjunxit.

§. XXIV.

Bellum Polon.

A. 1733. exortum eſt ad Rhenum bellum, propter electionem Stanislai & Auguſti III. ad Regium Poloniæ ſolium. Mar-

(s) Principes vicini potentiores Palatinus & Wirtenbergicus, monetandi arbitrium ut ſibi ſolis vindicarent, Badenſem monetam deprimere ſtuduerunt. Res ipſa nunquam in dubium vocata, quippe Principum antiquo jure, Cæſarum privilegiis & Circuli conventionibus innixa. Interim Badenſis moneta, pro temporis ratione, nunc rarior, nunc frequentior cuſa apparuit.

Digitized by Google

CAROL. WILHEL.

chicæ terræ Gallicis inundatæ copiis. Carolus Wilhelmus evitandis furoribus belli, Baſileam ſe contulit, & ſoluta quotannis Galliæ, duraute bello, certa tributi ſumma, a terris ſuis multa mala avertit. In bello hoc Marchio noſter ſupremus copiarum Circuli Suevici Campi-Mareſchallus creatus eſt. Poſt biennium reduces vidit delicias pacis.

Directorium Circuli Suev.

Eberhardi Ludovici, Wirtenbergæ Ducis, morte A. 1733. Suevici Directorium Circuli, ob conſervandam religionis paritatem, ſibi deberi, Carolus Wilhelmus contendit. Ulrico Duce expulſo, ab A. 1532. usque 1537. idem jus exercuerat Domus Badenſis. Reſponſum eſt; Directorium non perſonæ, ſed Principatui inhærere. Agnatum ſucceſſorem, ob ſacra mutata, non arcendum eſſe a prærogativa & juribus, conſtanter poſſeſſis. Alexander, novus Wirtenbergæ Dux, Romano-Catholicæ religioni addictus, pollicitus eſt, Evangelico Corpori ſe adſtiturum conſtanter & nonniſi Evangelicos Legatos ad Circulum miſſurum; id quod, vivente adhuc Eberhardo, per Literas, die 28. Febr. A. 1733. datas, promiſerat.

Vicus Crenzach.

A. 1735. die 2. Maji Marchio noſter vicum Crenzach, prope Baſileam, a Friderico de Bærenfels, qui a Durlacenſi domo eum in feudum tenuerat, pro 32. mille & 500. florenis coëmit. (t)

(t) Supererat pars Auſtriacæ Domus in vico Crenzach admodum exigua, quam denique Carolus Fridericus A. 1741. ab Auſtriaca quoque Domo acquiſivit.

Digitized by Google

Dimacharum Circuli Suevici Legio A. 1737. Marchionis noſtri concredita eſt imperio.

Eodem anno debitorum Coronæ Suecicæ (u) res agitata. Junxerant ſe Badenſibus Iſenacenſes & præſertim Carola Chriſtina, Haſſiæ Landgravia, ex Iſenacenſi Domo prognata, quæ cum Regina Sueciæ, cui amicitiæ vinculo erat conjuncta, literis egit, & ut negotium ſub examen revocaretur, obtinuit, ſed nihil deciſum. Cauſa Suecica.

§. XXV.

Annus 1738. vitæ Caroli Wilhelmi fuit poſtremus. Menſe Junio ſuperioris anni apoplexia tactus, utcunque reſtitutus eſt; mente tamen ſemper & animo valens. Expedivit negotia; præfuit rebus; aëre libero ſemper gaviſus. Die 11. Maji cubitum iturus, Aulicis ſuis lætus valedixit; optime ſe valere profeſſus. At noctu apoplexia proſtratus, morti ſuccubuit; eam nondum expectans. Sepultus eſt ſub altari Carolsruhenſis Eccleſiæ, quam ipſe exſtruxit. Obitus Marchionis.

Teſtamentum jam A. 1736. die 6. Januarii conſcripſit, quo Carolum Fridericum, nepotem ſuum, juxta leges Domus, renunciavit heredem. Viduæ Marchioni, novi Principis Aviæ, ut & Carolo Auguſto, Chriſtophori, qui defuncti Marchionis frater fuerat, filiorum natu maximo, commendavit ſucceſſoris tutelam, Teſtament.

(u) Vide Vitam Frid. VI. §. 9. & 10.

Digitized by Google

CAROL. WILHEL. ita quidem, ut Sanctioris Senatus conſiliarios eis adjungeret. Bada-Badenſis Marchio & Haſſo-Darmſtadienſis Landgravius inſtituti ſunt executores teſtamenti.

§. XXVI.

Chara-cter. Princeps fuit indolis amœnæ, vividi ingenii, comis, blandus; nemini non primo ſtatim intuitu amabilis. Magnis rebus gerendis idoneus. Magnitudinis animi & fortitudinis bellicæ non rara proſtant exempla. Res omnes ſuas ipſe vidit, examinavit, tractavit, emendavit, correxit. Præfectis & ſubditis, infimis ut ſummis, liber ad eum aditus. Querimoniis ſingulorum cujuscunque ordinis audiendis certos dies impendit; non raro usque ad ſolis occaſum.

Juſtitiæ amans. Juſtitiæ tantus amor, ut ipſe tribunalia frequenter inviſeret, ſententiisque ferendis intereſſet. Quod ſi res dubia, ſuis ipſe ſumtibus Juris Conſultorum & Academiarum conſilia expetiit. Civibus, quos belli calamitas afflixerat, ex ærario ſuo ſubvenit, quod parſimonia Principis, magnas inter expenſas, non interrupto Aulæ nitore, nunquam fuit exhauſtum.

Majorum ſuorum debita maxima ex parte, imo fere omnia exſolvit; paratæ pecuniæ theſaurum relinquens. Res majoribus ejus incognita.

Amicitiam vicinorum Principum omnibus humanitatis officiis devinxit. Lites, cum eis exortas, amica compoſitione, etiam

Digitized by Google

etiam cum jurium ſuorum diſpendio, quandoque diremit. Stanislai, Poloniæ Regis, amore & amicitia præ aliis floruit.

§. XXVII.

Hortorum culturæ præ omnibus ſtudiis deditus fuit. Frutices, plantas & flores a remotiſſimis terris, abundantiæ amans, magnis impenſis comparavit; res has non tumultuarie aut obiter, ſed ſecundum rigidas Botanices regulas exacte pertractans, & magnæ molis voluminibus ordine claſſium deſcribens. Chemiæ ſtudium non pertinax, ſed tranſitorium fuit, quale Principem, naturæ indagatorem, decebat. Hortorum ſtudioſus.

Litteras, quas a teneris didicerat, per omne vitæ tempus dilexit; ſententiam ſuam latino idiomate identidem in ſubſcriptionibus declarans; optimis libris variarum artium & ſcientiarum legendis ut & colloquiis hominum, in ſua arte peritorum, quotidie delectatus. Literæ.

In omni ſuo vitæ commercio facilis. Spectaculorum, deliciarum, elegantiæ amans; nec ab Orientalium Gynæceis alienus, quæ ille Chriſtianos inter Principes in Palatium ſuum introduxerat primus; nec imitatorem invenit. Unus ergo in tam amabili Principe fere reprehenditur a venere nævus, quem Gallicæ Hiſtoriæ ſcriptor, Grammondus, in Henrico IV. excuſare vi-

Digitized by Google

ſus eſt; populos ea labe raro opprimi cenſens; quod, qui amat, vix poteſt ſævire. (x)

§. XXVIII.

Uxor & liberi.

Caroli Wilhelmi uxor fuit Magdalena Wilhelmina, Wilhelmi Ludovici, Wirtenbergæ Ducis, filia, Eberhardi ſoror. Nata A. 1677. die 7. Septemb. nupta die 27. Junii 1697. mortua die 30. Oct. 1742. Durlaci, ubi vidua vixit; Pforzhemii ſepulta; Princeps pia, in adverſitatibus conſtans; trium liberorum mater; mortuo marito tutrix nepotum, quos illa, duobus filiis ſuperſtes, educavit Durlaci.

Carolus Magnus.

Carolus Magnus, Caroli Wilhelmi filius ſenior, natus die 21. Jan. 1701. atque Lauſannæ, ubi ſtudiorum cauſſa cum fratre verſabatur, die 12. Jan. A. 1712. mortuus. Corpus, Baſileam translatum, in Summi Templi crypta ſub Choro quieſcit; amabilis ephebus; de quo optima quæque ſibi promiſerant Parentes & Marchia.

§. XXIX.

Frider. Princeps heredit.

FRIDERICUS, Caroli Wilhelmi filius junior, hanc lucem aſpexit A. 1703. die 7. Oct. Stutgardiæ; quo mater belli metu ad fratrem confugerat. Singularem curam habuit pater, doctrina

(x) GRAMMONDUS *Hiſtor. Gall.* Lib. I. pag. 9.

Carol. Wilhel.

& literis liberaliter a puero ut inſtitueretur Fridericus. Optimos ei Præceptores adjunxit, atque octavo ætatis anno cum fratre Carolo, & Friderico, Comite Leiningenſi, conſobrino, eum miſit Lauſannam; Friderico Emichone Joanne Barone Uxkullio comite, Ephoro prudente. (y)

Carolus poſt duos menſes quum deceſſiſſet Lauſannæ, ſucceſſionis jura in Fridericum transmiſit. Hic biennio poſt (1714. die 29. Sept.) relicta Lauſanna, Genevam petiit atque Lugdunum; ubi a Villaregio, Franciæ Mareſchallo, honorifice exceptus, reliqua Gallia peragrata, verſus finem anni 1715. Ludovicum XV. Regem puerum inviſit Lutetiæ. Inde per Nancejum, Metas, Argentoratum ad penates reverſus. Redux elegantioribus literis & artibus, præcipue mathematicis, ſe tradidit.

§. XXX.

A. 1718. patre auctore, novum in Galliam inſtituit iter; Iter Gall. Friderico Leiningenſi iterum comite aſſumpto. Lutetiam delatus, præſtantiſſimis artium Magiſtris erudiendum ſe tradidit; in Aula Regia ſæpe verſatus, cum Ludovico XV. familiaritate quadam conjunctus. Ducisſam quoque Aurelianenſem viduam, ex Pala-

(y) Hic adhuc in vivis eſt Præſes Regiminis, venerandus ſenex, octogenario major.

CAROL. WILHEL. tina domo ortam filiumque ejus, Francici Regni eo tempore Rectorem, Philippum, Aurelianenſium Ducem, crebro inviſit; ab omnibus amice exceptus; qui præſtantiam ingenii in eximio hoc Principe magis, quam ſanguinis vinculum, ſe diligere faſſi ſunt.

IterBelg. A. 1720. menſe Aprili, relicta Gallia, in Belgium abiit, præcipuisque Belgii Auſtriaci urbibus perluſtratis, die 16. Maji Hagam Comitum appulit. Vicinas ibi civitates, Lugdunum, Delphos, Amſtelodamum adiit; tempus ita diſtribuens, ut mane incumberet literis, ſcriptoque conſignaret ea, quæ in exterarum gentium moribus notatu digna ipſi videbantur.

Angl. Anno ſequenti die X. Maji, conſcenſa Sluſis nave, contendit in Angliam; ſæva in tranſitu tempeſtate jactatus. Londini Georgium I. Regem, omnemque regiam familiam ſalutavit. Præcipuos Angliæ Portus, Urbes, Academias, Arces ſpectator quum adiiſſet, die quinto Julii ejusdem anni regia navi, poſt octo dierum navigationem, Roterodamum reverſus; Ultrajectum inviſens, per Weſtphaliam contendit Caſſellas, ubi humaniſſimo Caroli Landgravii hoſpitio exceptus & ægre dimiſſus, Hanoviæ Comitem, Landgravium Darmſtadienſem, Electorem Palatinum, Carolum Philippum, inviſit; qui A. 1723. eum S. Huberti torque ornavit. Itinere triennali finito in Marchiam rediit.

Digitized by Google

§. XXXI.

Ab hoc tempore Carolus pater, publicis negotiis ut aſſueſaceret filium, omnia cum eo communicavit conſilia; at ſeparatam rem domeſticam eum voluit habere. Publicis vacat negotiis.

A. 1724. Fridericus a Circulo Suevico Legionem obtinuit. Quadriennio poſt ab eodem Circulo conſtitutus eſt Vigiliarum Præfectus.

Sed antequam novum erumperet bellum, in quo bellicas ſibi laudes pararet Fridericus, viginti novem annorum juvenis, lethali morbo correptus, ante patrem deceſſit die 26. Martii A. 1732. per aliquot annos minus proſpera valetudine uſus. Sedati & tranquilli animi Princeps; expers vitiorum, qui comitate & lenitate ſua omnium ſibi conciliaverat amorem. Obitus ejus.

Vigeſimum quartum ætatis annum ingreſſus, A. 1727. 3tio Julii duxerat Annam Carolam Amaliam, Johannis Wilhelmi Friſonis, Principis Naſſovio-Arauſionenſis filiam, quæ marito ſuperſtes, in Caroloburgenſi palatio vivit Durlaci; corpore ſana; animo ægra. Ex hac duos filios procreavit Fridericus. Uxor & liberi.

I. CAROLUM FRIDERICUM, natum A. 1728. die 22. Novemb. qui Carolo Wilhelmo, avo ſuo, in Marchia ſucceſſit & in ea nunc regnat.

CAROL. WILHEL.

II. WILHELMUM LUDOVICUM, natum die 14. Jan. A. 1732. qui A. 1747. Cohortem Batavicam Chiliarcha obtinuit. A. 1753. Arnhemii urbis Gubernator; anno ſequente vigiliarum Præfectus omnium pedeſtrium Reipublicæ copiarum creatus eſt. (z) Princeps, qui Arauſiorum & Badenſium heroum ſanguinem jungens, Fœderati totius Belgii oculos in ſe convertit.

Unica Caroli Wilhelmi filia fuit Auguſta Magdalena, nata die 13. Nov. A. 1706. mortua Baſileæ die 25. Aug. A. 1709. in Summo Templo ibidem ſepulta, multis lacrymis Parentum compoſitâ.

(z) *General-Major.*

Digitized by Google

CAPUT XIII.

CHRISTOPHORUS.

Caroli Wilhelmi Frater.

§. I.

Natus A. 1684. die 9. Octobris, vigeſimo ſecundo ætatis anno Lauſannam, & anno poſt Genevam a patre miſſus eſt, literis ut ingenium excoleret. Helvetia inde & utroque Belgio peragratis, Lutetiam ſe contulit. Biennio ibi transacto, A. 1702. reverſus eſt domum. Natales & geſta.

Eodem anno ad exercitum Batavorum in Brabantiam profectus, Centurionum ordini adſcriptus eſt atque Leodii obſidioni interfuit; ſequenti hieme nunc Ultrajecti, nunc Hagæ Comitum verſatus.

A. 1704. præcipuas Germaniæ Principum Aulas obivit. Batavicum ad exercitum reverſus, ſub finem anni domum rediit, exercitui Cæſareo actor ut intereſſet. In exercitu hoc, A. 1705. ad Treviros collecto, ſupremi Militiæ Adjutoris (*a*) munere functus eſt; ipſe ab agnato ſuo, Ludovico Badenſi, ſublimia artis

(*a*) *General-Adjutant.*

Digitized by Google

CHRI-
STOPH.
militaris addiſcens. A. 1708. Chiliarchæ honos a Joſepho Impetore delatus eſt Chriſtophoro. Suevicam cohortem fratris, Sueviæ Ordinum conſenſu, A. 1712. obtinuit.

A. 1719. ſupremus vigiliarum Præfectus Circuli Suevici creatus eſt; paulo ante ab Electore Palatino Ordini S. Huberti adſcriptus.

§. II.

Obitus. Uxor & liberi.

A. 1723. die 2. Maji ætatis anno XXXIX. deceſſit; Princeps vita dignus longiore. Matrimonium A. 1711. die 5. Dec. iniverat cum Maria Chriſtina Felicitate, Johannis Caroli Auguſti, Leiningenſis Comitis, filia, A. 1692. d. 29. Dec. nata, quæ quadriennio poſt obitum mariti, Johanni Wilhelmo, Iſenacenſium Duci, nupſit, A. 1734. d. 3. Junii defuncta.

Ex ea Chriſtophorus tres filios, hodieque ſuperſtites, ſuſcepit, quos ordine nativitatis expono.

§. III.

CAROLUS AUGUSTUS.

I. CAROLUS AUGUSTUS JOHANNES REINHARDUS.

Hic die 14. Nov. A. 1712. lucem adſpexit. In Aula Caroli Wilhelmi, patrui, ab ineunte ætate optimis moribus ac inſtitutis formatus, Johanne Reinhardo Gemmingio, duce & ephoro, una cum fratribus A. 1727. Lauſannam miſſus eſt; ubi per quadrien-

nium

Chriſtoph.

nium literis operam navavit. In Marchiam redux A. 1731. Palatinam aliasque Aulas inviſit. Matrem, Ducis Iſenacenſis viduam, inviſurus, eodem anno Altſtadium iter ſuſcepit, a Rege Sueciæ Caſſellis honorifice exceptus. Altſtadio ad Batavos profectus eſt, ubi in Ultrajectina Academia literis ſtrenue incubuit. Hagam Comitum delatus, totius Europæ Procerum ibi legatos invenit; quorum plures ſibi devincire ſtuduit.

Chiliarchæ (*b*) dignitatem A. 1733. ei detulerunt Sueviæ Ordines. Palatinus Elector inter Ordinis S. Huberti Equites eum quoque illo tempóre recepit. Exorto inter Galliam & Imperium bello, Carolus Auguſtus A. 1733. a patruo Circuli Suevici cohortem accepit. Ordines Sueviæ eodem anno ſummum vigiliarum Præfectum eum renunciarunt. Dignitate hac ornatus, ſub Eugenio, Principe Sabaudo, & Carolo Alexandro, Wirtenbergæ Duce tribus expeditionibus annorum 1733. 1734. & 1735. interfuit. Poſtremo hoc Carolus VI. Cæſar ad ſupremi vigiliarum Præfecti gradum eum quoque extulit. (*c*)

§. IV.

Tutor Caroli Frid.

Finito inter hæc bello, in Aula patrui aliquamdiu verſatus, ad expeditionem Turcicam profecturus, A. 1738. mortuo patruo, Caroli Friderici, ætate minoris, adiit tutelam, eamque

(*b*) Oberſter.

(*c*) General-Feldwachtmeiſter.

CHRISTOPH.

per octennium inter perpetuas fere belli turbas magna cum laude, conjunctim cum Marchione vidua, geſſit.

Dignitates militares.

A. 1742. ſummi quoque vigiliarum Præfecti dignitas a Carolo VII. Imp. Principi noſtro collata.

A. 1743. Sueviæ Ordines eum Campi Mareſchallum Generalem Locumtenentem crearunt; quam dignitatem poſt aliquot annos ab Imperatore quoque Franciſco & ab Imperatrice, Regina Hungariæ, obtinuit.

A. 1750. decreto Comitiorum Imperii, quod Cæſar. d. 25. Apr. confirmavit, Campi Mareſchallus Generalis Locumtenens Imperii, una cum Auguſto Georgio Bada-Badenſi, agnato, deſignatus eſt.

A. 1753. poſt Maximiliani, Principis Haſſo-Caſſellani obitum Campi-Mareſchalli Generalis Imperii dignitas in Ludovicum Brunſvicenſem, qui Præfecturam tormentorum hucusque geſſerat, fuit collata. Tum vero Carolus Auguſtus noſter ſupremi tormentorum Præfecti munus ambivit, illudque decreto Comitiorum Imperii, a Cæſare d. 11. Mart. 1754. confirmato, una cum Georgio Wilhelmo Darmſtadienſi Principe, obtinuit.

A. 1757. in exercitu Imperii, quem Princeps Saxoniæ Hildburguſanus & Fridericus Palatino-Bipontinus contra Boruſſiæ Regem ducebant, tormentorum Præfecti munere functus eſt Carolus Auguſtus.

A. 1759. die 14. Dec. ab Ordinibus Sueviæ ſummus quoque tormentorum conſtitutus eſt Præfectus. Christoph.

A. 1760. die 17. Martii, trium Collegiorum decreto, a Cæſare firmato, Campi Mareſchalli Generalis Imperii gradus ei fuit delatus; gloriam ſuam aucturo, ſi quando redeundum ad arma.

§. V.

II. Carolus Wilhelmus Eugenius, natus die 13. Nov. 1713. in addiſcendis litteris & conficiendis itineribus Fratri natu majori adhæſit comes. Ad bellica ſtudia converſus, a Ludovico Georgio Bada-Badenſi A. 1734. in cohorte Cæſarea Badenſi manipulum obtinuit, eodemque anno Philippiburgi obſidioni & Italicæ Cæſareanorum expeditioni interfuit. Carol. Wilhel. Eugen.

A. 1735. in Italia militaris, Pyrobolariorum Centurio *(d)* in eadem Badenſi cohorte creatus eſt.

A. 1737. In Hungario adverſus Turcas bello usque ad ejus finem militavit.

A. 1741. Cæſareæ valedicens militiæ, Germanicorum militum conſcripſit cohortem, quam anno ſequente Sardiniæ Regi, Mariæ Thereſiæ Reginæ partes ſuſcipienti, in Italiam ea lege adduxit, ut perpetuis temporibus Princeps Badenſis ejus cohortis Præfecturam haberet. In prœlio ad Cuneum (*Coni*) Pedemontii Sardin. Regi militat.

(d) Grenadier-Hauptmann.

CHRI-STOPH. A. 1744. Hiſpanos inter atque Sabaudos commiſſo, ſtrenue rem geſſit. Sardiniæ Rex, virtutem ejus remuneraturus, ad altiores militiæ gradus eum pedetentim promovit. A. 1745. creatus eſt Cohortium Ductor. (e)

A. 1746. ſummi vigilum Præfecti; A. 1749. ſupremi exercitus pedeſtris Legati (f) dignitate condecoratus, qua ad hunc usque diem fruitur; Aulæ Sabaudicæ gratia florens.

§. VI.

CHRI-STOPH. III. CHRISTOPHORVS, in lucem editus A. 1717. die 5. Jun. itinerum, quæ fratres inſtituerunt, ſocius A. 1733. Altſtadium ad Duciſſam Iſenacenſem matrem cum veniſſet, Dux Iſenacenſis copiarum ſuarum Centuriam ei dedit, in cohorte, quam pro Imperatore conſcripſerat. Iſenacenſes hæ copiæ præſidium tenuerant Briſaci, quum Cæſar eas eodem anno Mantuam tranſtulit in hiberna. Eædem copiæ A. 1735. ex Italia in Hungariam cum mitterentur, viſum eſt patruo Marchioni, melius eſſe, ut ad Rhenum militaret Chriſtophorus. Commendavit eum Wirtenbergæ Duci, qui Adjutoris Generalis gradum ei eodem contulit anno.

A. 1736. die 9. Junii Wirtenbergicæ cohortis Cæſareæ SubChiliarcha creatus eſt.

(e) Brigadier.

(f) Lieutenant-Général d'Infanterie.

Chriſtoph.

A. 1738. in Hungariam profectus, bello contra Turcas voluntarius interfuit miles; in prœlio ad Corniam in brachio vulneratus. Sub-Chiliarcha dein cohortis Cæſareæ pedeſtris Moltkianæ conſtitutus, A. 1739. in prœlio ad Krozkam, in Serviæ regno, fortiter rem geſſit; vulnere in imo ventre accepto. Poſt prœlium Alba Græca a Turcis obſeſſa & inſecuta mox pace iisdem relicta eſt.

§. VII.

Bellum Auſtriac.

A. 1741. Chriſtophorus Moltkianæ cohortis factus eſt Chiliarcha, & anno ſequente in prœlio ad Czaslaviam, in quo Auſtriaci a Boruſſis proſtrati, fortiter pugnavit. In obſidione Pragæ, a Gallis defenſæ, ab Auſtriacis oppugnatæ, Chriſtophori quoque Principis eminuit virtus.

A. 1744. ſupremus vigiliarum Præfectus a Regina Hungariæ nominatus, ad exercitum, quem Carolus Lotharingus ad Rhenum ducebat, ſe contulit. Rheno trajecto, peculiare agmen in Alſatia duxit; pugnæ ad Pfaffenhovium interfuit. Paulo poſt in Sileſiam, ubi bellum cum Boruſſiæ Rege recruduit, translatus, in pugna ad Strigaviam A. 1745. ducis & militis executus eſt munia. Paulo poſt Belgicæ Auſtriacorum contra Gallos expeditioni ſe junxit atque A. 1746. in gravi ad Raucouſium prœlio & anno ſequente in prœlio ad Laffeldam, prope Tungros, fortitudinis ſuæ ſpecimina edidit.

Digitized by Google

Christoph.

A. 1753. cohortem Cæſaream, cui Maximilianus, Haſſo-Caſſellanus, eo anno defunctus, præerat, Imperatrix Maria Thereſia Principi noſtro tradidit; qui anno ſequente Campi Mareſchallus Generalis Locumtenens ab eadem creatus eſt.

Bellum Boruſſ.

In nupero bello inter Auſtriacam Domum & Boruſſiæ Regem A. 1756. prœlio ad Loboſitium Bohemiæ, & anno ſequente prœlio ad Pragam & obſidioni ejusdem urbis ſtrenuus interfuit actor.

A. 1758. ad Hochkircham Luſatiæ particeps fuit victoriæ, quam reportaverat Auſtria.

Eodem anno ſupremi tormentorum Præfecti munus ab Imperatrice illi delatum.

A. 1759. Auſtriacorum agmini, quod exercitui Imperii conjunctum eſt, ſummo cum imperio præfuit.

A. 1761. d. 13. Maji decreto Comitiorum Germaniæ ſupremi quoque tormentorum Præfecti dignitate ornatus; Aulæ Cæſareæ carus. In Coronatione Joſephi II. ad Cæſaris menſam functus eſt Diribitoris officio.

Triga hæc Fratrum mira inter ſe vivit concordia. Rerum geſtarum memoriam recolunt pace; ad Martis theatrum olim alacriores ut redeant; nunquam non memores, ex alto Badenſium ſe ſanguine prognatos.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

CAROLUS FRIDERICUS

Ab Anno 1738.

§. I.

Principis vivi vitam perſcribere, arduum & difficile opus eſt. Nihil amori, nihil obſequio dare, humanæ mentis fere indolem excedit. In ambiguitate hac tutior via, res geſtas ſimplici delineare ſtilo; judicium de rebus geſtis relinquere Lectori, aſſentationis ſuſpicionem ut ſcriptor evitet, qui inter adulationem & ſcribendi licentiam media via incedere ſtudet. CAROLI FRIDERICI Regimen, in quo ratio, non affectus, dominatur, expoſiturus, hanc viam ingrediar; veritatis & brevitatis ubique ſtudioſus. Introitus.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.

Carolo Wilhelmo CAROLUS FRIDERICUS, A. 1728. die 22. Nov. Carolsruhæ natus, nepos avo, decennis ſucceſſit. Tutela ejus & cura regiminis, ob invaletudinem matris, teſtamento deceſſoris, paternæ commendata eſt aviæ, Magdalenæ Guilielminæ, quæ vidua in Caroloburgi apud Durlacenſes palatio Marchionem una cum fratre educavit ſollicite; ephoro & præceptoribus idoneis, cum quibus curas educationis divideret, inſtructa.

Carolus Auguſtus, Caroli Wilhelmi Marchionis ex fratre Chriſtophoro nepos, cum avia partitus eſt onus tutelæ. (a) Avia A. 1742. extincta, Carolum Wilhelmum Eugenium, fratrem, tutelæ ſocium accepit. Prima Tutorum cura fuit, ut antiquum illud vinculum, quo variæ Badenſium ditiones Domui Palatinæ adſtringebantur, abolerent. Res, A. 1740. cœpta tractari, a Marchione noſtro regimen adeunte, perfecta; ut ſuo loco docemus.

Majoris

(a) Magdalenæ Guilielminæ & Carolo Auguſto adjunctum Conſilii intimioris Collegium, cujus præcipua membra Fridericus Emico Joannes Baro de Uxküll, & Reinhardus Baro de Gemmingen; ille Regiminis, hic Cameræ Præſides, hodieque viventes. Chriſtianus Dietericus Stadelmann, Joannes Chriſtophorus Cellarius, Joannes Henricus Wielandt, Joannes Burcardus Boch, Joannes Juſtus Ludecken & Fridericus Theobaldus Sahler mortui.

Digitized by Google

Carol. Frider.

Majoris momenti fuerunt tractatus, quos iidem Tutores cum Maria Thereſia, Caroli VI. Imp. filia, Auſtriacarum ditionum herede, inſtituerunt. A longo jam tempore Auſtriacos inter atque Badenſes de Sauſenbergæ, Rœtelæ & Badevillæ Dynaſtiis, duraverant lites; quod ſuprematum in eas ſibi vindicabant Auſtriaci. Controverſia A. 1741. finita die 29. Junii pactione, quæ menſe ſequenti ſubſcriptione firmata. Summa ducentorum triginta millium florenorum perſoluta Mariæ Thereſiæ, quæ omnibus juribus ſuis renuncians, Dynaſtias illas una cum Schopfhemio oppido pro liberis Imperii allodiis agnovit. Eadem transactione, Auſtriaca pars vici Crenzach, prope Baſileam; cum omni ſupremo dominio ad Marchionem tranſivit; ſervato Auſtriacis innoxio tranſitu & jure recipiendi hanc partem, Badenſis Domus maſculi & feminæ ſi quando defecerint.

§. II.

Marchio per quinquennium educatus Durlaci, A. 1743. ampliandis bonarum literarum ſtudiis, exemplo patris & avi tranſivit Lauſannam; ubi celebrium illius Academiæ Virorum, Crouſazii præſertim atque Bochati, ſocietate & doctrina excitatus; in ſcientiis, artibus ac uſitatioribus Europæ linguis addiſcendis, peregit biennium; majore cum emolumento præcipuas Europæ partes ut peregrinator inviſeret. Studium litterar.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.

Peregrinationis initium A. 1745. ab Aula Francica fecit. Ibi primarium Regii ſanguinis Principem, Aureliani Ducem, Domui Badenſi affinitate conjunctum, ut & alios Aulæ Proceres invenit amicos. Poſt plurium menſium moram, a Rege & Regia Aula omnibus amicitiæ teſtimoniis cumulatus, A. 1746. diſceſſit Lutetia. Apud Batavos aviam maternam, Mariam Ludovicam, ejusque filium, Wilhelmum Carolum Henricum Friſonem, avunculum ſuum, inviſit; novum Fœderati Belgii illo tempore ſidus; quem omnium ſeptem Provinciarum Gubernatorem nuper elegerant populi; quod ante eum Arauſionis Principum obtigerat nulli. Batavicum iter Marchio anno ſequenti (1747.) repetiit, atque ex Batavia transnavigavit in Angliam.

Itinera hæc, magno cum fructu peracta, erectum Principis noſtri genium ita perfecerunt, ut ante juſtam ætatem par videretur, qui Marchiæ ſuæ gubernacula tractaret.

§. III.

Regimen adit.

Tempus, quod legitimæ ætati deerat, publico Diplomate A. 1746. Cæſar ſupplevit. Vigeſimo ſecundo Novembris Marchiæ ſuæ ſceptra CAROLUS FRIDERICUS magnis & felicibus capeſſivit auſpiciis. Imperialium feudorum inveſtitura tamen non niſi poſt quatuor inſecuta eſt annos. Franciſcus Cæſar A. 1750. die 14. Auguſti contulit eam Marchionis legato.

In literis feudalibus Badæ & Hachbergæ Marchionatus ambo, Comitatus Eberſteinenſis dimidia pars, ut & Dynaſtiæ Malberg & Uſenberg diſtinctim memorantur. A. 1756. die 3. Auguſti acceſſit quoque inveſtitura alterius dimidiæ partis Eberſteinii Comitatus, quam Cronsfeldii & Wolckenſteinii olim poſſederant.

§. IV.

Marchiæ ſtatus.

Interregna Principum, ætate minorum, non raro ſolent eſſe incommodis & variis caſibus obnoxia. Contrarium expertus eſt Marchio adoleſcens. Feliciorem tutelam nunquam Marchia vidit. Incolæ obliviſci tum cœperunt malorum, ſuperioribus quæ perpeſſi ſunt bellis. Tutores œconomicarum rerum non modo periti, ſed & parſimoniæ ſtudioſi, cumularunt theſauros; debita pauca, quæ extinguenda fuerant, ſolverunt; Eccleſias & alia ædificia publica vel repararunt, vel a fundamentis exſtruxerunt; pontes & vias publicas, exemplo antea inaudito, & Romano quidem more, ſtraverunt; muniverunt; variis inſtitutis ornarunt Marchiam; feliciſſimi regiminis inſequentis præludia.

Poſt tot gravia bella, poſt tot diſſidia & lites, quas cum potentibus vicinis majores perpeſſi ſunt, CAROLUS FRIDERICUS Marchiam a debitis; a præcipuis litibus; ab Auſtriacæ Domus ligio liberam accepit, ejusque regimen adiit expeditus, tranquillus & fere omnino pacatus; quod nulli ante eum

contigerat Marchioni. Nihil ergo ſupererat, quam ut ipſe felix ſuæ quoque Marchiæ Ordines inſtitutis & legibus novis redderet feliciores.

Legislatoris eſt, exterorum populorum noſſe mores, illosque inſpicere propius, ut ex omnibus ſeligat, quæ patriis inſtitutis ſuperaddat, vel tollat abuſus. Finem hunc ut aſſequeretur Marchio noſter, nonnulla itinera, quæ fecerat ephebus, repetiit juvenis; terras jam viſas doctioribus ut reviſeret oculis; nondum viſas ſollicitus & curioſus ut examinaret ſcrutator.

§. V.

Nova Marchionis itinera.

Ab Italia iuitium faciendum eſſe ratus eſt; qua rerum mirabilium feracior nulla in orbe tellus, ſeu vetera ſeu recentia ſpectes. Iter hoc anno 1750. ſuo ipſe conſilio ſuſcepit; atque in eo, quidquid ſuperior, media atque infima Italia monſtrant, vidit, examinavit, perluſtravit, peregrinator attentus; non ea modo, quæ Politicus ſagax, ſed & quæ Phyſicus, quæ Mathematicus, quæ Hiſtoricus obſervare ſolet, oculo indagatore contemplatus.

Ab Italis redux haud difficulter perſpexit, ex Italico itinere majorem ſe percepiſſe utilitatem, quam ex Britannico, quod ante quadriennium ſuſceperat. Britanniæ itaque dotes & indolem cogniturus intimius; quæ neglexerat, ſuppleturus, ad transmarinas illas partes alterum iter inſtituit. In divitem illam Inſulam appulſus Marchio, inter Sodales Societatis Scientiarum Londi-

Carol. Frider.

nenſis receptus eſt. Placuit ei indoles nationis ſimplex & libera; veritates reconditas indagandi mens conſtans & firma. Placuit ei lingua, quam non minus ac Gallicam deamat; non ignarus Italicæ, quam Italiam peragrans didicerat.

Ab exteris redux & multifaria rerum cognitione refertus, theſauros per itinera collectos, in Marchiæ ſuæ ſinum effundere cœpit.

§. VI.

Lites cum vicinis componit.

Sed ante omnia difficultates, quæ ſupererant, cum vicinis componendæ. Germanicæ Reipublicæ Ordinum ab antiquis temporibus ea conditio fuit, ut ob diverſos potentiæ gradus, ob diverſas regiminis formas, multiplices leges, & juniore ævo ob religionis diſſidia, perpetuis inter ſe litibus colliderentur, non modo vicini, ſed & remoti; quarum litium materiæ indies novæ oriuntur, multiplicantur; ita ut ſumma Imperii tribunalia illis decidendis haudquaquam ſufficiant. Intellexit hos morbos CAROLUS FRIDERICUS, qui rebus cum Auſtriaca Domo pacatis, cum aliis quoque Statibus, Marchiæ contiguis, veteres & novas lites ita componere decrevit æquiſſimus Princeps, conditio ut ſi pateretur humana, omnes evulſiſſet radicitus, atque adeo terras ſuas ſine labe & maculis, ſine ambagibus litium, ſine tribunalium ſtrepitu transmiſiſſet ad poſteros. Præ omnibus emendanda fuerant peccata majorum & perficiendæ Conventiones, ſub tutela jam cœptæ.

CAROL. FRIDER.

§. VII.

Cum Domo Palatina.

Carolus I. Marchio, in bello Palatino captus, ut libertatem redimeret, plura Marchionatus ſui loca Friderico I. Electori A. 1462. vinculo feudali adſtrinxit, uti ſupra oſtendi. (*b*) Trecentos per annos non inventus eſt Marchio, qui grave hoc, reluibile quod fuerat, relueret onus. CAROLUS FRIDERICUS quarto regiminis ſuſcepti anno (1750.) opus, a tutoribus cœptum, cum Carolo Theodoro Electore perfecit. (*c*) Pforzhemium, cum reliquis terris, (*d*) ab hoc onere liberatum, priſtino reſtitutum eſt ſtatui. Sexagies mille floreni Palatino perſoluti ſunt; nexus omnis feudalis dimiſſus. Transactionem agnati utriusque Domus firmarunt.

Sed & aliæ inter Electores Palatinos & Marchiones Bada-Durlacenſes de finibus regundis, de dominio Rheni ejusque limitibus coërcendis; de auro Rhenenſi, de jure piſcandi controverſiæ, (*e*) A. 1750. die 14. Maji transactione ſolenni compoſitæ fuerunt. Conventiones, A. 1720. & A. 1740. his ſuper rebus initæ, renovatæ. Imo & lites, de Conventionum interpretatione identidem natæ, a Marchione ſublatæ ſunt.

(*b*) Tom. II. pag. 177. ſeq.

(*c*) Die 14. Maji.

(*d*) Caſtrum nempe & vicus Graben, Caſtrum & vicus Stein.

(*e*) Ueber die Wœrther, Gold-Salmen und Vogel-Grund.

Digitized by Google

§. VIII.

Cum Wirtenbergica.

Terminavit & litem, quæ ſuper Beſighemii, Mundelshemii, Altenſteigæ & Liebenzellæ Præfecturas, ab Erneſto Friderico Wirtenbergicis venditas, (*f*) quatuor ſub Marchionibus in Camera Imperiali non potuit terminari. Carolus Eugenius, Wirtenbergæ Dux, omnia quæ ſibi vindicabat jura in dimidiam partem Comitatus Eberſteinenſis, (*g*) Wirtenbergæ Ducibus quondam oblatam, ſed a Spirenſibus vel Bada-Badenſibus poſſeſſam, ut & jura in vicum Neuenburg, a Spirenſi Eccleſia poſt mortem Caſimiri, ultimi Eberſteinenſis Comitis, occupatum, una cum Quæſtura Caſtrenſi (*h*) Gernſpaci, CAROLO FRIDERICO reliquit. Addita paratæ pecuniæ centies trigeſies mille florenorum ſumma. His conditionibus memoratæ quatuor Præfecturæ in Ducis Wirtenbergæ poteſtate manſerunt. Compoſitio die 29. Nov. A. 1753. facta.

(*f*) Vide Erneſtum Fridericum pag. 213.

(*g*) Caſimiri, ultimi Eberſteinenſium Comitis, vidua, filiæ poſthumæ Albertinæ Sophiæ Eſther nomine, omnia filiæ hujus jura in allodia Eberſteinenſia & feuda, a Comitibus Eberſteinenſibus pendentia, Wirtenbergicæ Domui in feudum obtulerat. Wirtenbergæ Dux A. 1667. primam inveſtituram contulit Albertinæ Sophiæ, quæ ſæpius dein repetita, donec Alb. Sophia ſine maſcula prole defuncta, feuda hæc Wirtenbergico Ducatui aperta fuerunt.

(*h*) Burgvogtey.

Digitized by Google

§. IX.

Cum Abbatia S. Blaſii. San Blaſiana Benedictinæ Familiæ Abbatia, in ſilva Martiana, axiomate Principis & cultu literarum florens, multas quæ decimas in Marchia poſſidet, cum Carolo Wilhelmo A. 1718. iniverat pactum, quod ſtatutis Domus Badenſis contrarium eſſe, CAROLUS FRIDERICUS exiſtimavit. Itaque cum Meinardo Abbate A. 1751. die 2. Januarii nova inita eſt pactio, qua vicus *Ried* Nigræ ſilvæ cum omnibus ejus juribus Marchioni ejusque heredibus in perpetuum relictus eſt. Pacta annorum 1718. & 1733. in plerisque firmata. Novæ huic pactioni ſtabiliendæ placuit, ut ejus confirmatio peteretur a Cæſare, qui literis die 3. Maji A. 1752. datis, conventionem ratam eſſe juſſit. Marchiones agnati jam anno præcedente eam quoque firmaverant; quorum literas Confirmationi ſuæ inſeruit Cæſar. Difficultates, ob executionem præcedentis pacti exortæ, A. 1754. die 15. Aug. penitus ſublatæ ſunt. Reſtituta Marchionem inter & Blaſianam Abbatiam firma concordia.

Cum Abbatia Schutter. Anno ſequente cum Schutterano quoque Offonis in Ortenavia Monaſterio, & quadriennio poſt cum Ciſtercienſi Tennebacenſium Cœnobio, varias ſuper difficultates, veteres & novas, tam amice tranſactum, ut omnes hi Cœnobitæ in tranſigendo Marchionem non adverſarium, ſed amicum experti ſint.

Idem

Idem de Baſilienſis Eccleſiæ Cathedralis dicendum eſt Capitulo, quod inita cum Marchione noſtro A. 1756. Conventione Baſileæ, rem ſibi cum æquiſſimo Principe eſſe grata mente intellexit.

§. X.

Cum Civitate Baſilienſi.

Saufenbergici ſanguinis Marchiones Badenſes, Rœtelæ & Badevillæ Dynaſtiis, Saufenbergæ adjectis, cum libera olim Imperii, dein Helvetici fœderis, Rauracorum Civitate Baſilea firmo amicitiæ vinculo conjuncti fuerunt. Saufenbergicis extinctis, Durlacenſis Lineæ conditor Erneſtus, amicitiæ fœdus continuavit, quod filius ejus, Carolus II. ad Proteſtantium ſacra publice transgreſſus, adauxit. Marchiones, incolatu illius urbis fruentes, in ea domum poſſederant, quæ A. 1698. cum fuiſſet exuſta, Fridericus Magnus conſtruxit Palatium, a ſucceſſoribus ejus continuatum; in quo pretioſa Gentis tempore belli; Tabularia & veteres Chartæ pacis quoque tempore, ſervantur, poſtquam Caroloburgenſe apud Durlacenſes Palatium Gallico ſeculi ſuperioris bello combuſtum. Urbs aſyla Marchionum, in qua ſævis belli tempeſtatibus illi ſemper vixerunt ſecuri, ſacris ſuis in ſuo Palatio uſi. Hæc ex vicinis Marchionatus locis & vicis multa ad victum neceſſaria accipit, unde reciproca ementium & vendentium utilitas; quæ neceſſario in Principis quoque utilitatem redundat.

Digitized by Google

Vicinitas longo temporis tractu gravamina peperit; de viis, de limitibus, fluminibus, pontibus, de vectigalibus, de decimis & menſura decimarum, de jure patronatus varioque ejus exercitio; ut & de oneribus ejus, & quæ alia hujus, generis ſunt. Gravamina hæc in amico congreſſu, examini placido ut ſubjicerentur, Baſileæ inter partes conventum. Res omnis A. 1756. Julio menſe tractata, breviſſimo tempore compoſita; quod nunquam non evenire ſolet, ubi utrimque bona fide proceditur.

§. XI.

Cum Comit. Neuperg.

Nec minus æquum ac generoſum litium terminatorem Suevica Equeſtris Neupergiorum, nunc Comitum, familia CAROLUM FRIDERICUM experta eſt. Pecuniarium hæc inter alia feudum, a Badenſibus pendens, ab antiquo poſſedit, ſed, ob neglectam aliquandiu inveſtituram, feloniæ accuſata, poſt diſceptationes diuturnas ad Aulicum Cæſaris Judicium A. 1752. detulit litem. Res ad Curiæ Pares remiſſa; ſed anno ſequenti ita compoſita, ut extingueretur pecuniarium feudum. Vicorum autem feudalium, Adelshoven prope Eppingam, & Klingenberg prope Heilbronnam, ſuſpenderetur nexus, quamdiu Neupergii ſubſiſterent maſculi; his vero extinctis, tamquam feuda aperta reverterentur ad Marchionatum. Bœnigheimenſis Curia ex feudo in Neupergenſe allodium converſa.

Digitized by Google

Eodem anno Stolbergæ & Iſenburgo - Budingæ Comites ab Imperatore Carolo VII. in Principum Imperii ordinem cooptati fuerunt. Domus antiquæ de tuenda dignitate ſua ſollicitæ; timentes, ne novæ confunderentur cum ſuis, frequentia inter ſe communicarunt conſilia. Res in Comitiis tractata. Conventum eſt denique A. 1745. ut Principibus novis axioma concederetur *Sereni*; (*i*) ſi ipſi in literis ad Principes antiquos *Sereniſſimi* (*k*) formula uterentur. Decretum hoc conſenſu Marchionis firmatum. (*l*)

§. XII.

Conventio cum Wirtenb. de prærog.

Wirtenbergæ Duces ab illis temporibus, quibus ad Ducalem dignitatem evecti ſunt, præ Badenſibus Marchionibus ſibi prærogativam tribuerunt. In Conventionibus, inter utramque Domum initis, ad medium usque ſeculi ſuperioris, Badenſium Marchionum nomen, nomini Ducum non ſemel poſtpoſitum occurrit. (*m*) Eberhardi Barbati, qui ex Comite Wirtenbergæ Dux creatus eſt primus, in Imperio auctoritas & Chriſtophori Marchionis in eum propenſio originem dederunt prærogativæ, quæ

(*i*) *Durchlauchtig* vel *Durchlauchtig Hochgebohren.*

(*k*) *Durchlauchtigſt.*

(*l*) A. 1747. die 16. Januarii.

(*m*) Maximilianus I. Imperator in diplomate, quo Conventionem inter utramque domum de Advocatia in Herrenalb A. 1497. confirmat, Wirtenbergico Badenſem præponit.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.

ob Principatus ſeptem ſeculorum antiquitatem debebatur Badenſibus. Hi de juribus ſuis tandem magis edocti, cum Wirtenbergæ Ducibus de ordinis prærogativa diſputare cœperunt. Conventus hac ſuper re non ſemel inſtituti, non ſemel abrupti. Propoſita alternatio, qualis inter quinque Principes, in Comitiis Imperii alternantes, obſervatur. A. 1747. decretum eſt denique, ut in Inſtrumentis pactionum, quæ Wirtenbergici Durlacenſibus tradent, Marchio; in illis, quæ Durlacenſes Wirtenbergicis tradituri ſunt, Wirtenbergæ Dux præponeretur. Alternandi hæc ratio primum adhibita fuit in Conventione, quam de libertate ratium in Wirma, Nagolda, Enzia, Neccaro, ambo inter ſe Principes eodem anno die 11. Aprilis in Wildbadenſibus Thermis iniverunt.

§. XIII.

Senioratus.

Duas inter Lineas Badenſes in Comitiis Imperii & Conventibus Circuli Suevici Senioratus Lineæ non proëdriam conſtituit, ſed Senioratus Regiminis; ita decernente Weſtphalicæ Pacis ſtatuto. (*n*) Friderico Magno Durlacenſi A. 1709. e vivis ſublato, Senioratus Regiminis & proëdria a Durlacenſibus ad Bada-Badenſes pervenit, atque ultra ſemiſeculum apud eos permanſit. Ludovicus Georgius, linea & regimine ſenior, quum A. 1761. deceſſiſſet, ſedendi in Comitiis & ſuffragandi prioritas ad CARO-

(*n*) Art. IV. §. 26.

LUM FRIDERICUM, ut Badenſium in regimine ſeniorem, pervenit.

Nominatio Aſſeſſoris Cameræ.

Aſſeſſoris Cameræ Imperialis, a Circulo Suevico præſentati, locus quum vacat, Directorium Circuli Directori Principum Scamni rem denuntiat, qui cum Ordinibus ejusdem Religionis rem communicat, ſive Catholicus, ſive Evangelicus conſtituendus Aſſeſſor. Convenitur de uno pluribusve nominandis. Nominatos Director Scamni Principum Directori Circuli denuntiat, ut eos nomine Circuli Cameræ Imperiali præſentet. Juris publici Germaniæ ſtylo loquor. Durlacenſis hodie ſolus eſt in Principum Proteſtantium Scamno Director. Unde ei ſoli quoque Aſſeſſorem proprio & reliquorum Statuum nomine nominandi jus competere contendit. Ab hoc ordine procedendi in Comitiis Circularibus A. 1740. Wirtenbergicus quum receſſiſſet, reclamavit Badenſis, ſui juris aſſertor. (o) A. 1746. majorum ſuorum jure gaviſus Marchio, Candidatum, in Aſſeſſorem Cameræ promovendum, nominavit Ioh. Wilh. L. B. de Riedeſel, qui hodie Aſſeſſoris munere fungitur, nomine tamen & loco Electoris Palatini, cujus Præſentationem, more præſentatis Circulorum ſolenni, cum Badenſi commutavit.

(o) Vide Lunig *Bibliotheca Deductionum* Tom. I. voce *Cammergericht* ubi ſcripta, huc pertinentia, recenſentur.

Digitized by Google

§. XIV.

Nova acquiſita.

Tranquillitate, quantum potis erat, cum vicinis reſtituta, de Marchia ſua, terris augenda, ſollicitus quoque fuit providus Princeps.

Infra Landaviam, Vogeſum inter & Rhenum, vicus inſignis eſt *Rhod*, oppido ſimilis, qui poſt Comites Bitenſes (Bitſch) extinctos, ad Wirtenbergicam Domum, & ab hac A. 1603. ad Badenſem transivit. (*p*) Vicum hunc Fridericus V. Jo. Dieterico a Zyllenhard, Equiti, A. 1635. in feudum maſculinum conceſſit; reſervato ſibi cum Suprematu, collectandi jure & provocatione ad ſuum tribunal. Liberalitatem majorum Marchio noſter correxit, atque a Zyllenhardiis, pro ſeptuagies ſepties mille florenis, redimens feudum, A. 1752. dominium utile cum directo conjunxit.

Munzesheim.

Eadem expertus eſt fata Munzeshemii vicus; Eberſteinenſis Comitatus allodium. Albertus Hofwarth, ex Kirchemia valle Eques, A. 1326. a Friderico Marchione eum, ut feudum maſculinum, accepit. Joannes Philippus Hofwarthus a Kircheim A. 1675. extinctus eſt, ſuæ Gentis poſtremus. Vicum Fridericus VI. Marchio, Friderico & Bernhardo, filiis naturalibus, & Friderico extincto, Bernhardo ſoli ejusque poſteris A. 1678. in feudum maſculinum tradidit. Unde Munzeshemiorum Familia. (*q*) At filius Bernhardi, Fridericus Auguſtus A. 1761. accepta pecuniæ

(*p*) Adi ſupra pag. 113. in Erneſto Friderico.

(*q*) Vide ſupra Cap. VII. §. 26.

Digitized by Google

ſumma, conſenſu filiorum, CAROLO FRIDERICO noſtro reſtituit feudum. Carol. Frider.

Sed & Gondelshemii vicus eſt, Menzingiorum Nobilium allodium vetus. Et hunc vicum, una cum villis Bonartshauſen & Erdbeerhof Marchio noſter A. 1761. pro inſigni pecuniæ ſumma, pignoris titulo, comparavit. Gondelsheim.

§. XV.

Lœrracum, vicus major, (*r*) cum Caſtro olim, unde familia nobilis nomen ducebat, (*s*) in Viſanæ vallis aditu ſitus, ubi Rœtelæ & Sauſenbergæ Dynaſtiarum Præfecti atque Cancellariæ, ut & Capituli Rœtelani (*t*) ſedes eſt ab eo tempore, quo Rœtelanum Caſtrum bellico igne deletum. Rupertus Cæſar jam A. 1403. jus Nundinarum huic loco conceſſit, quod Fridericus IV. Imp. A. 1452. Romæ firmavit. CAROLUS FRIDERICUS A. 1756. ex vico Civitatem conſtituit. Immutata brevi eſt tota indoles loci, curante Guſtavo Magno, Barone Walbronnio, Dynaſtiæ Præfecto. Inſtituta varia & fabricæ faciunt, ut vicini & incolæ, Lœrracum in Lœrraco jam quærant. (*u*) Lœrracum oppidum.

(*r*) Lœrracho cum Eccleſia in Literis inſtitutionis Sant Albanenſis Cœnobii Baſileæ A. 1083. memoratur. Urstisii *Epitome Hiſt. Baſil.* pag. 123.

(*s*) Hugo de Lœrrach A. 1350. Ottonis Marchionis iram in ſe provocavit. A. 1357. idem Marchio Caſtrum in Lœrrach emit ab Urſula de Baden. Aliud Caſtrum vetus *Lœrrach* erat in Buchsgovia Helvetiæ. Urstisii *Chron. Baſil.* Lib. I. Cap. XVI. pag. 52.

(*t*) Rœtelanum Capitulum Rudolphus Marchio A. 1428. inſtituit.

(*u*) Nummi occaſione hac a Lœrracenſibus cuſi ſunt.

Carol. Frider.

Emmedingam Marchionatus Hachbergici caput, cui Jura Civitatis Jacobus A. 1590. conceſſerat, Marchio noſter A. 1757. adauxit ſuburbio, ab illa parte, ubi vicus eſt Emmedinga inferior. Privilegiis invitati ſunt, qui ſuburbium augerent, ornarent.

§. XVI.

Palatium novum Carlsruh.

Sed jam ordo rerum requirit, ut a Marchicis Præfecturis ad ipſum Principis accedamus Palatium. Quanta ibi omnibus in partibus occurrit commutatio rerum. CAROLUS FRIDERICUS, Marchiæ regimen adiens, novi Palatii, quod inhabitaret, exſtruendi impoſitam ſibi eſſe neceſſitatem intellexit. Diſtulit opus; aliquandiu incertus; Caroloburgenſe, a Proavo inchoatum Durlaci Palatium, num ipſe perficeret, an temporarium, ab Avo Carolsruhæ conſtructum, reconſtrueret funditus. Utramque in partem deliberatum eſt diu. Carolsruha denique vicit. Silvæ, tot itineribus perviæ, viridariorum amœnitas, opportunitas novos hortos plantandi, tota indoles tractus, collibus nec nimis vicini, nec ab illis nimis remoti; aliæque rationes induxerunt Marchionem, ut Carolsruham præferret; perituram, ſi Marchio illam deſeruiſſet. Sed novum erat exſtruendum Palatium. Deſtructo itaque ædificio priore, fundamentis ejus ſuperſtruxit novum, quod hodie contuemur.

Palatium non magnæ molis, non amplum, ſed concinnum, nitidum & elegans; in quo ſplendor cum parſimonia, decor cum

Digitized by Google

dignitate conjunctus; qualem decebat eſſe Principis Aulam, quæ virtuti, honori, Palladi, Muſisque dicata. Hanc aulæa & periſtromata, marmora omnis generis, ex ipſius Marchiæ ſinu & viſceribus effoſſa, exornant; quæ ille primus omnium aperuit atque effodi juſſit; orientalium æmula.

§. XVII.

Carolsruhæ oppidum.

Carolsruham Carolus Wilhelmus ſibi exſtruxit, CAROLUS FRIDERICUS eam reddit æternam. Immunitatem triginta annorum, quam oppidanis conceſſerat avus, ad decem novos continuavit nepos; ſingularia beneficia ex ærario ſuo indulſit iis, qui lapidea ligneis ſubſtituunt, ſecundum præſcriptam a Principe formam. (x)

Godesavia exſtructa.

Vicina Carolsruhæ eſt Godeſavia; Benedictinæ olim Regulæ Cœnobium; quod ex Bernhardi Marchionis voto Gregorius XII. in Carthuſiam A. 1406. converſurus erat, ſi annuos quadringentorum florenorum reditus novos prioribus additurus fuiſſet Marchio, (y) qui non implevit conditionem. Abbatia hæc A. 1525. bello ruſticano direpta, incenſa. Carolus II. ædificium novum

(x) Baugnade auf Modelmæſige Hæuſer.

(y) Gregorii XII. Literæ ad Moguntinum Archiepiſcopum, hac ſuper re datæ, in Bada-Durlacenſi Tabulario ſuperſunt.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.

ibi in ſuos uſus A. 1553. conſtruxit; quod filius ejus Erneſtus Fridericus ampliavit. Palatiolum A. 1689. bellicis flammis conſumtum, reſtauravit Carolus Wilhelmus. A. 1735. iterum incendio non bellico, ſed fortuito, everſum, CAROLUS FRIDERICUS noviter exſtructum, variis œconomicis rebus, ibidem inſtitutis, amplificat.

§. XVIII.

Agricultura.

Agriculturæ, omnibusque partibus ejus ita proſpicit optimus Princeps, ut loca paluſtria ſiccare, ſicca humectare, arida ad fertilitatem adaptare, fertilia fertiliora reddere quovis modo laboret. (z)

Magnæ ei curæ eſt plantatio arborum, ad elegantiam & utilitatem hortorum, viarum, imo & ad incrementa ſilvarum. Quantum fuerat in ſaltibus vacuum, quod jam frondibus viret.

Fabricæ.

Nutriendis bombycibus moros magno numero plantavit; unde ſeta frequens jam prodit. Inſtitutæ hinc Durlaci fabricæ ſetarum, uti Pforzhemii ſunt fabricæ pannorum. Induſtria Principis excitat induſtriam civium, quin & allicit exteros. Vigent in Marchia fabricæ ferri, bractearum, filorum ferreorum, cultrorum, acuum, coriorum, candelarum cerearum, vaſorum, quæ porcellanæ ſunt æmula, papyri, xylinarum omnis generis telarum, earum præſertim, quæ Perſicæ appellantur.

(z) Variæ hac ſuper re diverſis temporibus editæ conſtitutiones.

Digitized by Google

Pforzhemii & Schopſhemii linteæ & goſſypinæ telæ apricatione dealbantur. Plures fabricæ, licet in infantia ſint, benefica tamen Principis cura, indies augentur & creſcunt; qui non ſuæ tantum Marchiæ, ſed & exterorum velificaturus commercio, vectigalia terræ & fluminum ad dimidium reduxit.

§. XIX.

Ex rupibus & viſceribus Marchiæ, ab aliquo tempore, marmora omnis generis effodiuntur; quin & Achates & Jaſpis. Ad indagationem eorum præmiis allecti ſunt cives. (*a*) Marmora in Marchia reperta.

Rœtelanæ Dynaſtiæ vicus Velmlinga oſtentat marmor, quo via publica ſternitur. Candidum eſt, in ſubflavum vergens; arbuſculas, frutices, muſcos, ad vivum effingens. Color figurarum inter cæſium & nigrum, venis flaveſcentibus interſectus, vias & flumina refert. Marmor hoc Florentino, quod rudera urbium, ſaxa & cautes repræſentat, præferendum.

Sauſenbergicus Tannenkirchæ vicus aptiſſimum conficiendis columnis marmor producit; cujus color flavus, gilvus, albicans; roſeis hinc inde maculis interſperſus. (*b*)

(*a*) Literis die 3. Aprilis A. 1754. publice datis.

(*b*) Marmora hæc deſcripſit Perill. Jo. Jac. Reinhardus, Conſilii Sanctioris Bada-Durl. membrum; Vir aliis pluribus ſcriptis editis clarus, in libro, cui Tit. *Vermiſchte Schrifften* Part. IV. pag. 441.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.

§. XX.

Lapides generoſi.

Reperiuntur & rupes lapidum generoſiorum feraces. Prope Wœſſingam in Præfectura Steinenſi ſaxum entrochis, conchis & cornubus Ammonis refertum ſe obtulit. Prope Eichſtettam Hachbergicæ Marchiæ inventæ ſunt Jaſpides, quæ lemniſcos ſericumque repræſentant. Præcipuus in Denzlingæ finibus eſt ſyenites, candidi, atri & rubri coloris, maculis marcaſitarum decorus. Occurrunt & lapides, carchedoniis, amethyſtis & ſyenitibus mixti; imo & præſtans apud Effringam Rœtelanam Dendritis.

Teniæ, carbones bituminoſi, quin & gagates, hinc inde effodiuntur, rubro, violaceo, albo, coloribus præditi. Sunt, qui, onychum inſtar, circulis ſignati, ſardios inter numerandi ſunt lapides, quibus ad ignem eliciendum uti ſolent agreſtes.

Mitto aurum, ex Rheno quod prodit, argentum & varia æris genera, ex metallifodinis Sulzbergicis quæ quotidie prodeunt.

Societas Oeconom.

Promovendis harum rerum progreſſibus, ſollicitus Princeps *Oeconomicam Societatem* inſtituit, quæ ipſo præſente & præſide, deliberat, quid fontibus, aquis, fluminibus, agris, frugibus, pratis, paſcuis, nemoribus, ſilvis, hortis, viis, fabricis, metallifodinis, domibus, vicis, oppidis, civibusque expediat. Societatis hujus leges die 8. Febr. A. 1765. in lucem emiſſæ.

Digitized by Google

Carol. Frider.

§. XXI.

Oeconomicis his rationibus CAROLUS FRIDERICUS junxit Politiam, quæ populis normam vivendi, ut bonum civem, in ſuo quemque ſtatu, decet, præſcribit. In hac parte plus præſtitit ſolus, quam omnes ejus præſtitere majores; ſive eccleſias & ſcholas, ſive tribunalia, ſive ſingulas civitates, oppida, ſocietates, tribus, vicos, foreſtalium rerum, viarum publicarum, viduarum, pupillorum, pauperum & indigentium, fortuito caſu infelicium, curam intuearis. Nulla Marchiæ pars eſt, quam ille non legibus novis & inſtitutis animavit. Leges has in unum ſi redigas corpus, concinnus inde oritur Politiæ Codex, aliis Principatibus qui inſerviat normæ. Politia.

Principium ab ipſa Aulæ ſuæ emendatione ducendum eſſe ratus eſt. Adminiſtris, Conſiliariis, officialibus, ſatellitibus regula bene vivendi præſcribitur brevis. Publicata eſt hæc Ordinatio A. 1750. & probata ab exteris. (c)

§. XXII.

Eccleſiis & ſcholis non una lege proſpexit Marchio, ita quidem, ut A. 1749. & A. 1754. ſalaria parochorum & ludimoderatorum ex ærario ſuo non parum adauxerit. Agenda Eccleſiaſtica nova A. 1750. correcta & auctiora imprimi curavit. Ec- Eccleſiis & ſcholis proſpicit.

(c) Recudi eam fecit Moserus in Libro, cujus Rubrum eſt *Hofrecht*.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.

cleſiarum viſitationibus, ſingulis annis inſtituendis, eodem fere tempore legem & modum præſcripſit. Quinquennio poſt Parochorum etiam Synodos annuas ordinavit; in quibus de rebus, ad ecclefiarum curam & diſciplinam ſpectantibus, tractandum; de theologicis diſputandum ſit rebus. Prima Synodo in Dioeceſibus peracta; generalem, quæ vocatur, Synodalem Conſtitutionem, promulgavit, qua Superattendentibus, parochis, ſcholarum magiſtris, officii, diſciplinæ & vitæ, quæ ipſos deceat, norma præſcripta eſt. (*d*) Quæ ſingulis annis monenda, ſupplenda, corrigenda ſunt, ſingularibus Principis reſcriptis expediuntur.

Gymnaſium Carolsruh.

Carolsruhenſe Gymnaſium novis reditibus dotavit, novis legibus & doctoribus auxit. In omnibus Marchiæ ſuæ oppidis & vicis juventus ut ſtudioſe inſtituatur & erudiatur A. 1755. proſpexit.

Vitæ ſubditorum conſulens, obſtetriciæ artis magiſtros, qui obſtetrices doceant, dirigant, imo ipſis parturientibus ſuccurrant, conſtituit. Juvenes, addiſcendæ huic arti intentos, ſtipendiis & beneficiis ſublevat. Chirurgiæ cultores in patria diſcendi ne carerent occaſione, corporis humani ſtructuram publice Carolsruhæ juſſit doceri. Prodiit hunc in finem Ordinatio die 6. Aug. anno 1763.

(*d*) *General-Synodalverordnung* d. d. 25. Maji 1756.

Orphanotrophium atque ergaſtulum, a Carolo Wilhelmo inſtitutum Pforzhemii, CAROLUS FRIDERICUS A. 1752. emendavit, ſtatutis novis, ædificiis & reditibus auxit. Ergaſtulum loco, a reliquis ædibus ſeparato, conſtruxit. (*e*) Alendis pauperibus Carolsruhæ & Durlaci oppidorum annuos ex ærario ſuo reditus A. 1748. aſſignavit. Eleemoſynas totius Marchiæ peculiari Conſtitutione A. 1761. ordinavit. Viduabus Officialium defunctorum proſpecturus A. 1758. fiſcum conſtituit, unde certi reditus annui iisdem penderentur. Similem fiſcum pro viduabus ludimagiſtrorum A. 1760. erexit. Utrumque reditibus ex ærario ſuo inſtruxit. Servos, glebæ addictos, libertatis participes reddidit, cum primum officio, ſive eccleſiaſtico, ſive civili fuerint admoti. (*f*) Officiales omnes eorumque viduas atque heredes, ex provincia migrantes, a jure detractus liberavit. (*g*)

A. 1756. ſuperflua abrogavit feſta; opificum & agricolarum ut conſuleret quæſtui. Baptismalibus, nuptialibus, funebribus (*h*) ceremoniis, aliisque feſtivitatibus præſcriptus eſt modus; ita quidem ut cum parſimonia celebrentur. Sepultura in Eccle-

(*e*) Scriptus hac de re liber, cui Tit. *Umſtændliche Nachricht von dem Wayſenhauſe, wie auch Toll- und Kranckenhauſe zu Pforzheim, ingleichem von dem Zucht- und Arbeitshauſe daſelbſt.* Carlsruhe 1759.

(*f*) A. 1762.

(*g*) A. 1751.

(*h*) Duæ hac ſuper re editæ Conſtitutiones A. 1754. & 1755.

CAROL. FRIDER.

ſiis edicto anni 1753. prohibita. Omnis per Marchiam abolitus eſt luxus & ſublata luxuria.

§. XXIII.

Proceſſus tribunalium.

Longus & tortuoſus Tribunalium proceſſus in ſubhaſtationibus, (*i*) in cauſis civilibus (*k*) atque criminalibus, (*l*) in compendium redactus eſt; temerariis & malitioſis litigatoribus erepta refugia. Sublatus juramentorum abuſus; impediendis perjuriis atque mendaciis certæ leges conſtitutæ. (*m*) Perhorreſcentiæ, quod vocant, juramentum abolitum eſt peculiari Edicto. (*n*) Uſurariis ac fœneratoribus, Judæis præſertim, qui variis artibus ad paupertatem ruſticos redigunt, injecta ſunt frena. (*o*) Furta, ſtupra & adulteria ſeverioribus pœnis coërcita. (*p*)

Sed & præ aliis commendabilis eſt incendiorum Ordinatio A. 1758. d. 25. Sept. promulgata. (*q*) Incolarum Marchiæ Domus igne

(*i*) Prodiit hac ſuper re Conſtitutio A. 1752. die 26. Febr.

(*k*) Proceſſus civilis ordinatus Conſtitutione A. 1752. die 20. Sept.

(*l*) Proceſſum Criminalem correxit Conſtitutio A. 1753. die 10. Febr.

(*m*) A. 1762. die 9. Octobris.

(*n*) A. 1757. die 10 Sept.

(*o*) Conſtitutio A. 1747. die 23. Jan.

(*p*) Plurimas Ordinationes collectas vide *in denen Carlsruher Wochenblættern* ab A. 1757 - 1766.

(*q*) *Brandaſſecurationsordnung.*

Digitized by Google

Carol. Frider.

igne aliove modo ſi perit, omnes incolæ ad reædificationem ejus concurrunt. (*qq*) Imo & de præcavendis extinguendisque incendiis A. 1763. Conſtitutio prodiit.

Viæ publicæ.

Publicas vias, non ære ſubditorum, ſed ſuis ſumptibus ſternere, munire, Marchio noſter omnium Germaniæ Procerum viſus eſt primus. Opus, durante tutela cœptum, continuavit, ampliavit, regimen cum vix adiiſſet, atque A. 1747. & ſequenti novis Ordinationibus editis firmavit. Inutiles autem cum ſint viæ publicæ, niſi ſecuritate muniantur, conſtituit cuſtodes, qui vitæ vagæ aſſuetos errones prehendunt; quos ergaſtulis includit; ſumptibus ex ipſo quoque ærario ſuo ſuppeditatis. (*r*)

§. XXIV.

Pactum familiæ.

Præcipua enarro. Sunt enim & alia, quæ quotidie ordinat, & in poſterum ordinaturus eſt Badenſium

Tom. IV. Hhh

(*qq*) Damnorum, quæ ſingulis annis incendio facta ſunt, Decembri menſe initur ratio. Summa pro ratione pretii ædificiorum, quod quisque cenſu, in hunc finem inſtituto, profeſſus eſt, inter cives totius provinciæ diſtribuitur. Civibus, quid reſarciendum, quid conferendum, publice ſignificatur. Reſarciuntur damna, ea tamen lege, vt ſtatim reædificentur domus, incendio quæ perierunt.

(*r*) Conſtitutio hac ſuper re facta die 25. Sept. A. 1756.

Digitized by Google

noſtri ſeculi Solon; præſentibus & futuris indeſinenter proſpiciens.

Legislationi, quam expoſuimus, coronidem imponit mutuæ Linearum Badenſium in Marchionatibus ſucceſſionis Pragmatica Sanctio; CAROLO FRIDERICO Auctore, GEORGIO AUGUSTO Promotore, nuper conſtituta; (s) dignum ſuis conditoribus opus; perpetuæ magnitudinis & gloriæ Domus firmamen; politicos majorum errores emendans; qui, uti terras acquirere & comparare noverant, ita comparata conſervare & in unum corpus indiviſum conſtringere ſi voluiſſent, quantis opibus auctior ante plura jam ſecula floruiſſet Sereniſſima Domus; non impari cum potentioribus gradu æſtimanda. Complementum hoc politicæ prudentiæ CAROLO FRIDERICO fata ſervarunt; qui ea, quæ Rudolphi, Bernhardi, Chriſtophori, Marchiæ totius poſſeſſores, præſtare debuerant, tandem præſtitit primus.

Primus ille quoque a Gallia obtinuit, ut cives Marchici per univerſum hoc regnum non haberentur Albini, ſed ſuc-

(s) Vide Tom. III. pag. 303. Legati munus in graviſſimo hoc negotio obiit Auguſtus Joannes de Hahn, Vicepræſidis in conſilio regiminis & eccleſiaſtico munere conſpicuus.

Digitized by Google

Carol. Frider.

ceſſionis eſſent capaces; quod & Gallis in terris ſuis conceſſit Marchio. (*t*)

§. XXV.

Elogium Principis.

Geſta hæc ſecundum ordinem temporum dum ſimpliciter expono, legislatorem depingo, qui omnia rimatur, nihil inobſervatum relinquit. Sed ita leges fert, ut & ipſe leges, quas a natura & a majoribus accepit, religioſe obſervet.

Virtutibus his parſimonia & moderatio præſident; tot aliarum matres virtutum. Animus hinc Principis a vexationibus ſubditorum; a novorum tributorum exactionibus, & ab ære alieno contrahendo, alienus; raro inter Magnates exemplo. Parſimonia, nihil detrahens Aulæ ſplendori. Splendor luxuria deſtitutus & luxu. Sine avaritia parcus, ſine profuſione liberalis. Liberalis in pauperes, populares & exteros. Exteras religiones non perſequitur, non odit, ſed protegit, ut ſuam; ſuæ ſine hypocryſi cultor.

(*t*) Pactio inter Ludovicum XV. & CAROLUM FRIDERICUM inita die 20. Novembris A. 1765. Argentorati. Inſtrumentum Regis, datum 8. menſis Decembris die, elegantiſſima Bulla firmatum.

§. XXVI.

Splendor literarum & artium.

Litteris & artibus novus in dies ſplendor, ad poſteros duraturus, ſub Marchione noſtro accedit. Non cives modo, ſed & exteri omnes, qui Aulam ejus inviſunt, aperte hoc prædicant. Literati cujuscunque nationis & ordinis in ea excipiuntur benigne, læti in ea morantur, & ab ea inviti diſcedunt; diſcedentes omni humanitatis genere cumulantur; redeundi ſibi veniam expetunt & obtinent.

Expertus hoc eſt Illuſtris CASSINIUS A. 1763. ex Gallia in Germaniam miſſus, Lineam Argentorato ut duceret Vindobonam, Marchicas quæ permeat terras. Geographiæ Germanici Imperii perficiendæ inſtitutum hoc inſerviturum intellexit Marchio, ſuisque ſumtibus opus in terris generoſe promovit, atque continuando Geographiæ ſolidioris ſtudio inſtrumenta ex Gallia juſſit afferri. Linea meridionali in ſuo Palatio ducta, progreſſibus futuris ipſe præludit. Singularem Principis noſtri in ſe humanitatem ore & ſcripto per Literatum orbem gratus prædicat CASSINIUS, doctrinæ & virtutum ejus præco ſincerus. (u)

(u) CASSINI in Relatione Itineris ſui Germanici A. 1763. Gallice ſcripta Part. I. pag. 23. & Part. II. pag. 51. Titulus Libri eſt: *Relation de deux*

CAROL. FRIDER.

§. XXVII.

Publica Graphices & Diagraphices Schola A. 1764. juventuti aperta; qui primus eſt omnium artium gradus. Hæc eſt illa linea, ſingulis diebus quam magnus ille duxit Apelles. Alia.

Bibliothecam Aulicam, quam a majoribus mediocrem acceperat, CAROLUS FRIDERICUS quotidie amplificat, ornat, libris omnium ſcientiarum & artium adauget, diverſas ejus partes in unum corpus juncturus. Aditus ad Bibliothecam hanc omnibus diebus nemini non patet.

Nummophylacium, quod Fridericus VI. dives reliquit, ſupplere atque præſtantius reddere, quin & medii ac junioris ævi nummis augere ſatagit.

Publicæ hæ ſunt Principis, quem deſcribimus, virtutes. Domeſticas & privatas ſi ſpectes, quas ille, maritus & pater, quo- Virtutes domeſticæ.

Voyages faits en Allemagne par ordre du Roy par Mr. de Caſſini de Thury. Paris 1763.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.

tidie exercet, quam felix ejus cum Conjuge animorum conjunctio; quam amabilis in Principum filiorum educatione concordia; quos præcepto non magis, quam exemplo ipſe ſuo, quin & ipſa quandoque inſtitutione ſua, regit & dirigit; ſollicitus & benignus pater; ſi neceſſe eſt, gravis; ipſe pietatis in Præceptorem quondam ſuum vix viſum exemplar.

§. XXVIII.

Conjux.

In blando Marchionis noſtri conſortio vivit CAROLINA LUDOVICA, Haſſiaca, Ludovici VIII. Darmſtadienſis Landgravii filia, nata A. 1723. die 11. Julii, nupta die 28. Jan. A. 1751. Heroica Conjux; Mariti comes virtutum; comes itinerum, in qua, ut in Eliſabetha illa Britannica, (x) Scriptores, quæ mirentur, inveniunt; quæ vituperent, quærunt. Marchica Rhea, partu ſuo centum jam complexa nepotes; ſimilem ſibi & marito ſobolem gignit & educat. Marchica Pallas, quæ, vegetabilis regni admiranda dum ſcrutatur Maritus, ex minerali & animali regnis cumulat theſauros; pictura (y) & ſcalpro Apellis & Pyrgotelis æmula; omnium artium & ſcientiarum cultrix, amica, patrona. (z)

(x) ORLEANS *hiſt. des revolutions d'Angleterre* Lib. VIII. pag. 176.

(y) Hafnienſis pictorum Academia A. 1763. eam ſociam recepit.

(z) Inſigne Aſtronomicum duorum voluminum opus, Lutetiæ A. 1764. in

Digitized by Google

Carol. Frider.

Prodierunt ex thoro hoc

1. Carolus Ludovicus, natus die 14. Februarii A. 1755. Liberi.

2. Fridericus, die 29. Auguſti, A. 1756. editus in lucem.

3. Ludovicus Wilhelmus Augustus, qui die 9. Febr. A. 1763. orbem aſpexit.

Quartus filius A. 1764. die 29. Julii periit in partu, Pforzhemii ſepultus.

Auguſta hæc ſoboles, ſpes & expectatio Marchiæ, Bernhardos, Carolos, Erneſtos, Fridericos, Ludovicos Badenſibus populis ſiſtet redivivos, atque felicitatem patriæ, patre regnante ſtabilitam, ad ſeros propagabit nepotes. Soboles, cara cœlo & duratura in ævum.

quarta forma impreſſum, Lalandius auctor Sereniſſimæ Marchioni adſcripſit; doctrinam ejus in artibus & ſcientiis celebrans; quod & ante eum fecerat Cassinius in *Relatione Itineris* A. 1763. quam ſupra allegavimus.

Digitized by Google

CAROL. FRIDER.


Annus MDCCLXVI. Badenſem hanc Hiſtoriam terminat. Præterita futurorum ſpeculum quum eſſe ſoleant, gratulandum eſt Badenſibus populis, tali quod ſub Principe vivant, novum Marchiæ qui conditurus eſt ſeculum; quod a memori & grata poſteritate appellabitur Aurea Badenſium Aetas.

NUMIS-

Digitized by Google

2.3 30 vol IV

Digitized by Google



Weis Argent. sculp.


Digitized by Google

2 3 30 1 d IV

TAB. I.

ERNESTVS.

I



II




MARGARETHA
ERNESTI FILIA.

I



II



Digitized by Google


432 c

2.3.30 Vol IV

Digitized by Google

TAB. II.


CAROLVS II




Digitized by Google

TAB. III.


ANNA
CAROLI II. VXOR.



ERNESTVS FRIDERICVS.



I



II

Digitized by Google

Digitized by Google


2.3.30 vd IV

432 e

Digitized by Google

TAB. IV.


ERNESTVS FRIDERICVS.



Digitized by Google

TAB. V.

GEORGIVS FRIDERICVS.



Digitized by Google


Digitized by Google

432g

2.3.30 Vd IV

Digitized by Google


GEORGIVS FRIDERICVS.



Digitized by Google

TAB VII.

GEORGIVS FRIDERICVS.



Digitized by Google


Digitized by Google

2 3 30 Vol IX
432 i

Digitized by Google

TAB.VIII.

FRIDERICVS V.



432 K

TAB IX

FRIDERICVS V



Digitized by Google

Digitized by Google

2.3.30 Vol IV

432 l

Digitized by Google

FRIDERICVS V.


VIII

IX

X

XI

XII




Digitized by Google

432 m

TAB XI

FRIDERICVS VI




Digitized by Google

432 m


2.3 30 vol IX

Digitized by Google

BERNHARDVS GVSTAVVS
CARDINALIS ABBAS FVLDENSIS.



I




II

4310

TAB. XIII.

CHRISTINA
FRIDERICI VI. FILIA.



Digitized by Google

Digitized by Google


2.3 30 vol IV

432 p

Digitized by Google

FRIDERICVS MAGNVS.





Digitized by Google

2. 3.30 Vol IV

4329

FRIDERICVS MAGNVS



Digitized by Google


2.3.30 vd IV

432 z

Digitized by Google

TAB XVI


FRIDERICVS MAGNVS



Digitized by Google

2.3.30 vol IV 4324

CAROLVS GVSTAVVS
FRIDERICI MAGNI FRATER



IOHANNA ELISABETHA
FRIDERICI MAGNI FILIA



Digitized by Google


Digitized by Google

2.3 30 Vol IV

432 t

Digitized by Google

CHRISTINA IVLIANA
CAROLI GVSTAVI FILIA.






Digitized by Google

2.3.30 Vd IV

432 v

TAB. XIX.

CAROLVS WILHELMVS.



I



II

Digitized by Google

Digitized by Google

2.330 vol IX


432 x

Digitized by Google


TAB.XX.

CAROLVS WILHELMVS

III




IV



Digitized by Google

2.3.30 vol IV
432y

CAROLVS WILHELMVS.




Digitized by Google

8 3 30 vol IV 432z

Digitized by Google

CAROLVS FRIDERICVS




Digitized by Google

2.3 3o Vol IV 432aa

TAB XXIII.

CAROLVS FRIDERICVS.



Digitized by Google

Digitized by Google


2.3 30 vol IV

432 bb

Digitized by Google

CAROLVS FRIDERICVS

VII



VIII




Digitized by Google

2.3 32 vol IV

432 cc

TAB XXV

CAROLVS FRIDERICVS.



Digitized by Google


Digitized by Google

2.3.30 vol IV
432 dd


Digitized by Google

CHRISTOPHORVS I.

I




II



Digitized by Google

2.3:30 vol IV


BERNHARDVS.



PHILIBERTVS.



CAECILIA.



Digitized by Google

Digitized by Google

2.3 30 vol IV

432 ff

Digitized by Google

PHILIPPVS II.



WILHELMVS.

I



II



FERDINANDVS MAXIMILIANVS.



Digitized by Google

2.3 30 Vol IV
432.98 (2)

LVDOVICVS WILHELMVS



Digitized by Google

Digitized by Google

2.2.30

NUMISMATUM
BADA - DURLACENSIUM
EXPOSITIO.

Metallicam Erneſtiadum Badæ Marchionum ſeriem Cæſareo, (*a*) Suecico, Gothano, (*b*) Durlacenſi & Palmiano Carolsruhæ, Nummophylaciis debemus.

Heræana Marchionum Badenſium Tabula, æri inciſa, quæ nunquam in publicum prodiit, ſed cum aliis ejusdem Heræi fragmentis in Cæſarea gaza ſervatur, (*c*) nonnullos primi ordinis nummos nobis ſuggeſſit.

Durlacenſes a ſeculi fere XVI. temporibus officina monetaria uſi ſunt, unde frequentiores eorum, quam Bada-Badenſium nummi.

(*a*) Perilluſtris L. B. de SENCKENBERG, Conſiliarius Imp. Aulicus, Jurisprudentiæ publicæ decus, ex Cæſarea gaza ea, quæ damus, ſuppeditatavit.

(*b*) Perilluſtris SCHLAEGERUS, Gothani theſauri Cuſtos, ſcriptis eruditis de re numiſmatica celebris, nobis transmiſit Gothana.

(*c*) HERRGOTTUS in *Nummotheca Principum Auſtriæ* Parte I. Tomi II. *Monumentorum* in Præfat. §. 19. Heræi Tabularum fragmenta deſcribit.

Digitized by Google

FRONTISPICIUM TABULARUM.

In ſuperiore Frontiſpicii Nummorum Durlacenſium parte Zaringicum comparet ſigillum, equitem exprimens galeatum cum vexillo. Sigillum eſt Bertoldi IV. ab illo diverſum, quod in Numiſmatum Bada-Badenſium Frontiſpicio exhibui. Adhæret Chartæ A. 1181. quæ in Capituli Sancti Urſi ſcriniis Solodori ſervatur; ab Illuſtri Zurlaubio Franciæ Campi-Mareſchallo, cujus ſtudium inſeruiendi Badenſium rebus heic publice laudandum, nuper ad me miſſum. Inſcriptio: BERHTOLDVS. DEI. GRA. DVX. ET RECTOR. BVRGVNDIE.

In inferiore Frontiſpicii parte ſigillum Bada-Durlacenſe majus poſuimus.

TABULA I.
ERNESTUS.
I.

Numiſma argenteum, elegans, formæ majoris, Erneſti, Bada-Durlacenſium ſatoris, pallio principis induti, repræſentans imaginem. Caput reticulo cinctum, quod crines involvit. Chriſtophorus, Erneſti pater & ejus frater Bernhardus in Chriſtophorianæ familiæ Tabula eadem forma comparent. (*d*) Aurea torques ex collo propendet ad pectus. Epigraphe:

(*d*) Tom. II. pag. 288.

Digitized by Google

V. G. G. ERNST. MARGRAVE. ZU. BADEN. UND HOCHBERG.

Dei Gratia Erneſtus Marchio Badenſis & Hochbergenſis.

In averſa parte:

NIT SCHIMPF MIT ERNST.

Erneſto illudere noli.

Subjungitur Aera MDXXXIII. Occaſionem nummi cudendi dediſſe videtur diſcordia, in dividenda Philippi hereditate inter fratres exorta. Erneſtus, de Conſiliariis fratris non ſemel conqueſtus, conſtantem in omni hoc negotio animum oſtendit. At eodem anno reſtituta inter fratres concordia, quam nummus Tabulæ IV. Bada-Badenſium ſiſtit.

II.

Nummus unilateralis, in quo Badenſis baltheus & Spanheimenſes teſſellæ. Manus junctæ cor tenent, ex quo prodeunt roſæ. In infima nummi parte lithoſpermum conſpicitur. In circulo, qui nummum ambit, Aera MDXXXIIII. comparet. Monumentum conjugalis inter Erneſtum & Urſulam Roſenfeldiam concordiæ.

MARGARETHA

ERNESTI FILIA.

I.

Unilateralis argenteus, moduli majoris, nummus Margarethæ, Erneſti filiæ, quæ Wolfgango Oetingenſi Comiti nupſit.

Digitized by Google

MARGARETH. MARGGRAVIN. ZV. BADEN. IRS. ALTERS XX.

Id eſt: *Margaretha Marchio Badenſis ætatis ſuæ XX.*

II.

Eadem Margaretha. In poſtica parmula Badenſis cum Spanheimenſibus teſſellis. DROLLINGERUS Margarethæ, Caroli I. Marchionis filiæ, Abbatiſſæ Lucidæ Vallis, A. 1496. defunctæ, attribuit nummum, (*e*) quod Durlacenſes ante Georgii Friderici ætatem, Spanheimenſibus teſſellis non fuerint uſi. Spanheimenſia, ante Georgium Fridericum, Inſignia non adhibuiſſe Marchiones, non equidem negaverim; at Principes feminas illis uſas eſſe, ejusdem Margarethæ apocha, Carolo fratri A. 1558. data, oſtendit; quæ Margarethæ refert ſigillum, in quo Oetingenſia cum Spanheimenſibus comparent. Eliſabetha, Margarethæ ſoror, Conrado Comiti Caſtellæ nupta, A. 1544. uſa eſt ſigillo, quod Spanheimenſia Caſtellenſibus jungit. Denique Margaretha ſæculari, non eccleſiaſtico, habitu decoratur. Literæ & ſcalprum artificis a ſeculi XV. ruditate abhorrent, & cum nummis Erneſti ac Caroli II. conveniunt.

(*e*) In Schedis.

TABULA II.
CAROLUS II.
I.

Aureus formæ oblongæ, nummus Caroli II. CAROLVS. D. G. MARCHIO. BADENSIS. ÆTAT.*tis* XXX. AN.*no*

In averſa ſcutum quadripartitum, in cujus prima parte in area argentea Leo ruber, aurea corona ornatus; Zaringica teſſera. In ſecunda eſt ala argentea, ſemicirculo aureo inſignita, in area cærulea; Uſenbergæ Dynaſtiam deſignans. Tertia ſiſtit in area coccinea trabem auream, cantheriis tribus nigris exaratam; Badevillanum deigma. In quarta eminet leo dimidius ruber, ex variis pellibus emergens; Rœtelanum Inſigne. Quatuor areis inſidet clypeus Badenſis. Quinque galeæ ſcutum cingunt. Tres ſuperiores coronatæ ſunt. Prima leonem exorientem rubeum, auro coronatum exhibet; Briſgoici Landgraviatus teſſera. Media, quæ proprie Badenſis eſt, arietina duo cornua, introrſus denticulata, ſuſtinet. Tertia hermam virilem oſtentat, cæruleo amictu ornatum, qui thorace alam argenteam Uſenbergicam gerit. Reliquarum galearum altera Badevillana, herma juvenili ornata, cujus veſti rubeæ in pectore palus aureus, cantheriis diſtinctus, inhæret. Poſtremæ denique galeæ tiara epiſcopalis inſidet; advocatiæ jura in monaſteria quædam deſignans. In ima nummi parte Aera MDLIX.

I I.

Nummus argenteus formæ oblongæ, præcedenti ſimilis, ſed formæ paulo minoris; anno Caroli XXX. Aeræ Chriſtianæ 1559. cuſus.

I I I.

Uncialis Caroli II. thorace & manicis ferreis inſtructi, dextra haſtam geſtantis, ſiniſtram capulo gladii admoventis. Annus 1572. Inſcriptio: CAROLUS. D. G. MARCHIO. IN. BADEN. ET HACH.*berg.* In averſa ſcutum quadripartitum Bada-Durlacenſe, eo ordine, quem modo expoſuimus. Literæ G. W. G. ſcuto circumſcriptæ, indicant artificis nomen. Inſcriptio continuat titulum:

LAND. IN. SUS: DNS: IN. ROT: ET. BADENWIL. (*f*)

Landgravius in Sauſenberg, Dominus in Rœteln & Badenweiler.

I V.

Nummus argenteus, forma ſemiſſis, in quo aquila Imperii duplex cum corona & epigraphe:

MAX. II. IMP. AUG. P. F. DECR.

Maximiliani II. Imperatoris Auguſti, Pii, Felicis, Decreto. Averſa pars Durlacenſia deigmata, eodem modo, quo in præce-

(*f*) Uncialis hic æri inciſus eſt in libro, cui Tit. *Sammlung rarer und merkwürdiger Gold- und Silbermünzen* Leipzig 1751. pag. 55.

Digitized by Google

dentibus Caroli II. nummis, collocata, exhibet. CAROLUS. D. G. MARCH. BADE.

TABULA III.

ANNA

CAROLI II. UXOR.

Aureum numiſma, Annæ Palatinæ, Caroli II. conjugis viduæ, imaginem ſiſtens, capite vittato.

ANNA *von* G*ottes* G*naden* MAR*ggræfin* Z*u* BAD*en* GEBOR*ne* PFALZ*grævin* B*ey* RHEIN. Æ*tatis* 44.

Anna Dei Gratia Marchio Badenſis, nata Comes Palatina Rheni Aetatis anno 44.

In poſtica parte Durlacenſia Inſignia, Palatinis juncta, cum lemmate:

ICH ACHT ALLES FOR KOT DAS ICH CHRI-STUM GEW*inne* V*nd* IN I*hm* ERFV*nden* WERD*e*.

Omnia vilipendo, ut lucrifaciam Chriſtum & in eo juſtificer.

Aera: 1584.

Digitized by Google

ERNESTUS FRIDERICUS.

I.

Nummus, formæ oblongæ. Erneſti Friderici caput. ERNEST. FRID. D. G. MARCH. BAD. ET HACHBERG. A°. *Ætatis* 24. 1584. In averſa parte Durlacenſia Inſignia eodem ordine, qui in prioribus Caroli II. nummis comparet. Erneſtus Fridericus eo anno regimen adiit.

II.

Nummus concordiæ, inter Erneſtum Fridericum & Georgium Fridericum; A. 1596. firmatæ. Marchia Hachbergæ, Jacobi morte vacans, Georgio Friderico ſoli certis tum conditionibus relicta eſt. Antica pars ſpicula repræſentat, quæ duæ manus, e nubibus prodeuntes, amplectuntur. Inſcriptio: VIRIBUS UT JUNCTA HÆC RUMPUNTUR SPICULA NULLIS SIC OMNE IMPERIUM FIRMAT CONCORDIA FRATRUM. Poſtica habet Durlacenſia Inſignia, uti præcedens. Additus A. 1596. Inſcriptio: ERN. FRID. ET GEORG. FRID. MARCH. BAD. ET HACHB. LAND. SVS. DNI. ROT. ET BADENW. FRATRES.

TABU-

TABULA IV.
ERNESTUS FRIDERICUS.
III.

Erneſti Friderici effigies. ERN. FRID. D. G. MARCH. BAD. In averſa comparet figura monſtroſa. Duæ manus, in clypeo junctæ duorum fratrum, Erneſti Friderici & Georgii Friderici forte innuunt concordiam. Lemma: NEC NVLLI NEC OMNIBVS.

IV. V.

Nummi memoriales, formæ oblongæ, Erneſti Friderici A. 43. cuſi. In utroque protome ejus: ERN. FRID. D. G. MARCH. BAD. In poſteriore additur: ET HOCHB. ÆTA. 43. Durlacenſia Inſignia in averſa utriusque nummi parte comparent, cum Aera 1603.

TABULA V.
GEORGIUS FRIDERICUS.
I.

Imago Marchionis: GEORG. FRID. D. G. MAR. BAD. ET HACHB. LANDG. In poſtica oſſium caput, duobus oſſibus impoſitum: PVLVIS ET VMBRA SVMVS.

II.

Nummus argenteus, cum ejusdem Marchionis togati effigie: GEORG. FRID. D. G. MARCHIO BAD. ET HACH.

In altera parte crux, quatuor circumdata parmulis, quarum prima Zaringicum leonem, ſecunda alam Uſenbergicam, tertia Badevillanam trabem, quarta leonem, e pellibus emergentem, Rœtelanum inſigne, prodit. In medio crucis parmula præcipua cum Badenſi baltheo. Inſcriptio:

LAND. Z. SVSENB. DO. IN. ROT. ET BADENWI.
Landgravius in Suſenberg, Dominus in Rœteln & Badenweiler.

III.

Nummus quadratus argenteus, in quo parmula cum teſſera Badenſi:

Georg Friderich Marggrav zu Baden.
Georgius Fridericus Marchio Badenſis.

In poſtica globus Imperii, cruce diſtinctus, in quo numerus 84. Addita Aera: 1609.

IV.

Nummus argenteus, ſecundo hujus Tabulæ nummo ſimilis, niſi quod A. 1610. cuſus.

TABULA VI.
GEORGIUS FRIDERICUS.

V.

Nummus quadratus argenteus, formæ majoris, cum Georgii Friderici effigie:

Digitized by Google

GEORG. FRI. D. G. M. BA. ET HACH. LA. SV. C. A. SPO.

Georgius Fridericus Dei gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis Landgravius Sauſenbergæ Comes a Sponheim.

In poſtica ſcutum, in tres regiones diſtinctum. Regionis ſuperioris parmula prima leonem Briſgoicum, ſecunda alam Uſenbergicam, tertia Spanheimenſes teſſellas exhibet. In medio ſcuti baltheus Badenſis, quem ab uno latere aper, ab altero roſa, Eberſteinii ſymbola, ſtipant. Infima ſcuti regio quatuor laterculos continet, in quorum primo palus Badevillanus, cantheriis diſtinctus; ſecundo Rœtelanæ faſciæ, ex quibus eminet leo; tertio baltheus Lahrenſis; denique leo Malbergenſis. Supra ſcutum Aera: 1622. In ambitu tituli reliqui:

ET. EBERS. D. A. ROT. BADENW. LOR. ET MALB.

Et Eberſtein, Dominus a Rœteln, Badenweiler, Lor & Malberg.

Georgius Fridericus primus fuit in ordine Erneſtiadum, qui titulos & inſignia Bada-Badenſia in nummis ſigilliſque adhibuit; ſuperioris Marchiæ poſſeſſor quod eſſet. Reſtituta Eduardinis hac Marchia, pactione Vindobonenſi (*g*) A. 1627. conventum eſt, ut

(*g*) Tom. III. pag. 89.

utraque linea iisdem gentilitiis uteretur inſignibus; quod ab hoc tempore conſtanter obtinuit.

V I.

Nummus uncialis argenteus, A. 1622. cuſus, Georgii Friderici effigiem, titulos & inſignia eadem, ut in præcedente nummo, formula exhibens.

TABULA VII.

GEORGIUS FRIDERICUS.

I.

Nummus argenteus, cum Georgii Friderici, loricati & baculum tenentis, effigie. Ad caput Marchionis annus 1627. In ambitu:

GEORG. FRID. D. G. M. BAD. ET. HAC. LA. SV. C. A. SP.

Georgius Fridericus Dei gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis Landgravius Suſenbergæ Comes a Sponheim.

Pars averſa ſcutum Marchionis ſiſtit, in tres regiones diviſum, quas Tabula præcedente num. V. deſcripſimus. Inſcriptio:

ET EBERS. D. A. ROT. BADENW. LAR ET MAL.

Et Eberſtein, Dominus a Rœteln, Badenweiler, Lar & Malberg.

Digitized by Google

VIII.

Nummus argenteus, in quo Georgii Friderici loricati effigies cum inſcriptione, quam modo memoravimus. Averſa habet ſcutum quadripartitum, in quo duplex Badenſis baltheus & ala Uſenbergica duplex. Supra ſcutum numerus 24. totidem crucigeros indicat. Epigraphe: MONETA. NOVA. HACHBERGENSIS. 1622.

IX.

Nummus itidem argenteus, illi, quem num. VII. hujus Tabulæ deſcripſimus, ſimilis, niſi quod Aera in eo nulla comparet.

X.

Nummus bracteatus, minimi moduli, baltheum Badenſem in parmula ſiſtens. Literæ G. F. M. Z. B. *Georgium Fridericum Marchionem Badenſem* indicant.

TABULA VIII.

FRIDERICUS V.

I.

Numiſma argenteum, formæ oblongæ, cum Friderici V togati effigie & literis:

F. D. G. M. Z. B. V. H.

Fridericus Dei Gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis.

Digitized by Google

In averſa parte roſaria cum emblemate: ROSA NON SINE SPINIS: variam ejus fortunam denotant.

II.

Nummus elegans, in quo Fridericus quoque togatus: FRIDERICUS. MAR. BADEN. ET. HOCHBERG.

In averſa extat figura feminæ, inter gladios & ſpicula tranquillæ. E longinquo amphitheatrum & templum. In ambitu:

CONSCIENTIA VIRTUTI SATIS AMPLUM THEATRUM.

Solatia hæc Principis in adverſa fortuna.

III.

Nummus quadratus argenteus, in quo Fridericus armatus cum baculo:

FRIDERICH V. G. G. M. Z. BA. V. HA. L. Z. SV. G. Z. S.
Fridericus Dei gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis, Landgravius Suſenbergæ, Comes Spanheimenſis.

In averſa ſcutum tripartitum, ſimile illi, quod Tabula VI. num. V. deſcripſimus. Ab utroque latere ſcuti Aera 1626. In ambitu tituli complementum:

V. EBERS. H. Z. ROT. BADENW. LOR. V. MALBE.
Et Eberſteinenſis, Dominus in Rœteln, Badenweiler, Lor & Malberg.

Digitized by Google

TABULA IX.

FRIDERICUS V.

IV. V. VI.

Tres nummi, ſola fere magnitudine inter ſe diverſi. Antica Friderici armati imaginem; poſtica Badenſia omnia deigmata in ſcuto tripartito refert atque titulos Marchionis.

VII.

Nummus argenteus, formæ minoris, A. 1626. cuſus, in quo Fridericus armatus cum inſignibus.

TABULA X.

FRIDERICUS V.

VIII.

Nummulus, ab una parte Badenſem baltheum; ab altera Alam Uſenbergicam in parmulis exhibens: MONETA NOVA HACHBERGENSIS 1622.

IX.

Nummus, ejusdem cum præcedente valoris, Badenſem ſiſtens baltheum, cum galea coronata, ex qua cornua prodeunt.

FRID. V. G. G. M. Z. BA. V. HA.

Fridericus Dei gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis.

Digitized by Google

In averſa numerus VIII. totidem obolos; verba:

LANDMVNZ. *Monetam provincialem* indicant. Addita Aera 1622.

X.

Nummus ab una parte Friderici imaginem; ab altera Badenſem baltheum in parmula referens. Inſcriptio titulos & Aeram 1623.

X I.

Nummus, Fridericum ſiſtens togatum, cum Aera 1624. Scutum averſæ in tres regiones diſtinctum, quas expoſuimus Tab. VI. num. V.

X I I.

Nummus minimi moduli. Parmula Badenſis cum litteris:

F. M. Z. B.

Fridericus Marchio Badenſis. Aera 1625.

TABULA XI.

FRIDERICUS VI.

I.

Friderici VI. effigies: FRID. D. G. MARCHIO. BAD. ET HOCHB. Poſtica ſymbolum ejus, tres coronas, inter ſe junctas; lauream vel triumphalem, querceam vel civicam, gramineam vel obſidionalem ſiſtit. Epigraphe: HIS ORNARI AVT MORI.

II. Num-

Digitized by Google

I I.

Numiſma argenteum, formæ oblongæ, in quo protome Friderici. Averſa caduceum habet cum petaſo alato. Cornua copiæ duo, decuſſatim poſita. Lemma: VIRTVTI FORTVNA COMES.

I I I.

Nummus argenteus cum Friderici imagine. In poſtica ſurculus, quem irrigat plantator. Lemma: TANDEM FIT SVRCVLVS ARBOR. In imo

LIBERAL. IN JVVENT. GYMN. DVRLAC.

Liberalitas in Juventutem Gymnaſii Durlacenſis.

Additur Aera 1669. Fridericus nummum hunc adoleſcentibus Gymnaſii, præmium diligentiæ diſtribuit.

TABULA XII.
BERNHARDUS GUSTAVUS
Cardinalis Abbas Fuldensis.

I.

Nummus Guſtavi Adolphi, qui frater fuerat Friderici VI. & mutata religione Bernhardi Guſtavi nomen aſſumſerat. Antica pars ſine effigie eſt, inſcriptionem ſequentem ſiglis exhibens: *Bernhardus Guſtavus Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Sacræ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Princeps Abbas Fuldenſis Marchio*

Badenſis Coadjutor confirmatus Campidonenſis & Sigburgenſis XXII. *Februarii* MDCLXXII. In parte averſa comparet palma; cujus ſuperiori parti impoſitum eſt pondus. Ad arboris pedes ſunt Bernardi Guſtavi Inſignia, quibus ſupereminet Cardinalitius Galerus. Clypeus quadripartitus. In prima & quarta area argentea crux nigra, Fuldenſis Abbatiæ deigma. In ſecunda & tertia, quæ aurea eſt, baltheus ruber dexter; Badenſe inſigne. Inſcriptio: SVB PONDERE. Traditio eſt, palmas ſub oneribus magis vireſcere. Nummum habet SCHANNATUS. (*h*)

II.

Nummus priori ſimilis. Inſcriptio: *Bernhardus Guſtavus Abbas Fuldenſis, Marchio Badenſis & Hochbergenſis, Confirmatus Coadjutor Campidonenſis & Siegburgenſis Canonicus Colonienſis & Argentinenſis* MDCLXXII. Eodem, quo præcedens, anno cuſus. Cardinalitiæ dignitatis nulla heic mentio. In poſtica, quæ palmam & ſcutum, ut nummus præcedens, exhibet, Abbatialis inſula & pileus Principum ſcuto impoſitus. Retro ſcutum ſunt pedum abbatiale & gladius, eccleſiaſticæ ac ſecularis jurisdictionis indices. (*i*) Unde nummus hic præcedenti eſt prior.

(*h*) *Hiſt. Fuldenſis* Tab. II. numiſm. n. XVII.

(*i*) Nummum hunc dedit quoque KOELERUS *Munzbeluſtigungen* Tom. I. pag. 225.

TABULA XIII.

CHRISTINA

FRIDERICI VI. FILIA.

I.

Caput Chriſtinæ, Friderico Duci Saxoniæ Gothano ſecundis nuptiis junctæ.

CHRISTINA. D. S. I. C. M. A. & W. N. M. B. & H.
Chriſtina Duciſſa Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Angariæ & Weſtphaliæ nata Marchioniſſa Badenſis & Hachbergenſis.

In averſa parte anchora: SPES CONFISA DEO NUNQUAM CONFUSA RECEDIT. In imo Aera: 1703. Literæ C. W. indicant nomen artificis.

II.

Eadem Chriſtina. Pars antica refert ſcutum bipartitum, cui pileus Principum impoſitus. Prima area ſcuti trabes aureas & nigras transverſas cum ſerto viridi rutaceo exhibet; Saxonicum inſigne. Altera area, auro fulgens, coccineum baltheum Badenſem complectitur. Epigraphe; CHRISTINA. DUX. SAX. IVL. CLIV. MONT. ANG. ET. WESTPH.

Poſtica ſequentem inſcriptionem continet: *Nata in arce Wolgaſt MDCXLV. Aprilis XXII. Patre Friderico Marchione Bada-Durlacenſi Matre Chriſtina Magdalena, Palatina Rheni Nupta MDCLXV. Julii XXVII. Alberto Marchioni Brandeburgico Onoldino & poſt hujus fata XIV. Viduitatis anno facta Friderici Ducis Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Angariæ & Weſtphaliæ Uxor* MDCLXXXI. *Aug.* XIV. *Vidua* MDCXCI. *Aug.* II. *defuncta Altenburgi* MDCCV. *Decembris* XX. *ſepulta ibidem ejuſdem anni menſisque* XXIV.

TABULA XIV.

FRIDERICUS · MAGNUS.

I.

Nummus maximi moduli, A. 1682. cuſus. Friderici Magni effigies. FRIDER. MAGN. M. Z. BAD. V. HACH. 1682. *Fridericus Magnus Marchio Badenſis & Hachbergenſis* 1682.

In poſtica eſt Auguſta Maria, Friderici Magni Conjux.

AVG. MARIE. MARG. BAD. HACHB. NAT. D. D. SC. E. HOLST.

Auguſta Maria Marchioniſſa Badenſis & Hachbergenſis, nata Duciſſa de Schleſvich & Holſtein.

II.

Friderici Magni effigies. In averſa equus concitatus, ephippio, phaleris criſtisque ornatus: QUO FAS ET GLORIA DUCUNT. Additur A. 1689.

TABULA XV.

FRIDERICUS MAGNUS.

III.

Ejusdem Marchionis imago. In poſtica equus phaleratus: ET PACE ET BELLO. Aera 1677.

IV.

Fridericus Magnus. In averſa: XVI. BZ. HACHBERGER. LANDSWEHRUNG. *XVI. Bajoci, Hachbergenſis valoris.*

Inſcriptio utriusque lateris FRIDERIC. MAGNVS. V. G. G. MARG. Z. BAD. V. HACHBERG. LAND. Z. SAUS. G. Z. SPON. V. EBER. H. Z. R. B. L. V. M.

Fridericus Magnus Dei Gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis, Landgravius Sauſenbergæ, Comes Sponheimenſis & Eberſteinenſis, Dominus Rœtelæ, Badevillæ, Lahræ & Malbergæ.

Digitized by Google

V.

Ejusdem Friderici imago & ſcutum, Badenſia deigmata tribus regionibus complectens, cum pileo. Inſcriptio utriusque lateris titulos Marchionis exprimit. Duodecim crucigerorum nummus.

V I.

Nummus ſuperioris dimidius.

TABULA XVI.

FRIDERICUS MAGNUS.

V I I.

Nummulus; tertia pars præcedentis. In antica velamentum, ubi galea Badenſis coronata, cornibus diſtincta. In poſtica tres parmulæ, ſe invicem tangentes. Prima Badenſem baltheum & Spanheimenſes teſſellas, decuſſatim poſitas; ſecunda alam Uſenbergicam; tertia leonem Brisgoicum ſiſtit.

V I I I.

Nummus duodecim crucigerorum, cujus antica & poſtica ſimilis eſt præcedenti.

I X.

Nummus novem crucigerorum. In antica eſt parmula, cum baltheo Badenſi. Inſcriptio:

Digitized by Google

FRID. MAG. V. G. G. MARG. Z. B. V. HACHB.

Fridericus Magnus Dei Gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis.

In poſtica eſt ala Uſenbergica. Inſcriptio hujus literis:

F. M. HACHB. LANDSWEHRVNG.

Fürſtlich Marggræflich Hachbergiſche Landswehrung.

i. e. *Moneta Marchica valoris Hachbergici.*

X.

Nummus, ab una parte Friderici effigiem, ab altera parmulam Badenſem exhibens.

X I.

Nummulus, in quo clypeus Badenſis & inſcriptio: II. PFENNING *Oboli duo.* In altera parte Uſenbergica ala & verba:

H. LANDSWEHRVNG.

Moneta valoris Hachbergici.

TABULA XVII.

CAROLUS GUSTAVUS

FRIDERICI MAGNI FRATER.

Nummus argenteus elegans, in quo Caroli Guſtavi imago.

CAROL. GUST. D. G. MAR. BAD. HACH.

Carolus Guſtavus Dei Gratia Marchio Badenſis & Hachbergenſis.

Digitized by Google

In imo additur nomen artificis: ANTON MEIBVSCH. Poſtica focum habet & ignem, ſuper quem pendet e nube manus, gladium tenens, cui ſupereminet laurea. Baltheus Badenſis pileo Principis tectus. Aera 1683. In ambitu: AVIDA PERICVLI VIRTVS.

JOHANNA ELISABETHA

FRIDERICI MAGNI FILIA.

Nummus celebrandæ memoriæ nuptiarum Johannæ Eliſabethæ cum Eberhardo Ludovico Duce Wirtenbergæ A. 1705. cuſus. Capita conjugum Principum jugata in Antica comparent; cum inſcriptione:

EBERH. LUD. ET IOH. ELISAB. D. G. DV'CES WURTEMB. E. T.

Eberhardus Ludovicus & Johanna Eliſabetha Dei Gratia Duces Wirtembergæ & Teccæ.

Mulleri artificis nomen ad latus conſpicitur.

In poſtica Cupido, qui ſepoſito arcu & pharetra lauream pileo innectit. E longinquo palatium & hortus. Epigraphe: COGIT IN UNVM.

TABULA XVIII.
CHRISTINA JULIANA
Caroli Guſtavi Filia.

I.

Nummus, ab una parte Johannis Wilhelmi, Ducis Saxoniæ Iſenacenſis; ab altera Chriſtinæ Julianæ, conjugis ejus, Caroli Guſtavi Marchionis Filiæ, imagines exhibens.

D. G. JOHAN. WILH. DUX. SAX. I. C. M. A. ET W.

Dei Gratia Johannes Wilhelmus, Dux Saxoniæ, Juliaci, Cliviæ, Montium, Angariæ & Weſtphaliæ.

CHRISTINA JVLIANA D. G. DUC. SAX. NAT. M. BAD. D.

Chriſtina Juliana Dei Gratia Ducifſa Saxoniæ nata Marchioniſſa Bada - Durlacenſis.

Cuſus eſt nummus A. 1704. ætatis Johannis Wilhelmi 38.

II.

Nummus ejusdem Chriſtinæ Julianæ. Antica effigiem ejus cum titulis, quos indicavimus, exhibet. Cuſus eſt eodem, quo præcedens, A. 1704. ætatis Chriſtinæ 26.

Poſtica feminam refert ad Deum preces fundentem:

TIMOR DOMINI EST INITIVM SAPIENTIAE. SIR. I. 16.

TABULA XIX.
CAROLUS WILHELMUS.

I.

Imago Caroli Wilhelmi : *Carolus Guilielmus Dei Gratia Marchio Badena - Durlacenſis & Hochbergenſis* Literæ P. H. M. Mulleri artificis indicant nomen. Averſa leonem coronatum & ſigna militaria refert: AVDACEM FORTVNA CORONAT. In imo æra: MDCCVIIII.

II.

Nummus Carolsruhæ conditæ memor. Ab una parte delineatio urbis & arcis; ab altera: *Carolus Wilhelmus Marchio Bada - Durlacenſis primum lapidem fundamentalem arcis Carolsruhæ ponebat* A. MDCCXV. *die XVII. Junii.* Inferius duo gryphi aris inſiſtunt, torquem tenentes, ex qua crux, Ordinis *Fidelitatis* inſigne propendet.

TABULA XX.
CAROLUS WILHELMUS.

III.

Caroli Wilhelmi effigies & tituli. In averſa leo dormiens: QVIESCO. In imo MDCCXXXVI & nomen Genevenſis artificis *I. Daſſier.*

IV. Idem

IV.

Idem. In poſtica argentifodina Sulzbergenſis cum epigraphe: VTILITATI DVRLACI FELICITER PATET. In imo: ARGENTIF. SULZBURG. 1720.

TABULA XXI.

CAROLUS WILHELMUS.

V.

Caroli Wilhelmi protome. In poſtica baltheus Badenſis in ſcuto, pileo Principis tecto, quod duo ſuſtinent gryphi. Scutum torques ambit, ex qua crux Ordinis Fidelitatis pendet. Annus nummi 1721.

VI.

Idem averſa ſcutum habet tripartitum, in quo Badenſis baltheus, ala Uſenbergica & leo Briſgoicus. Peripheria inſignibus Ordinis Fidelitatis condecorata. Subjungitur:

30. KREUTZER LANDMVNTZ.

XXX. Crucigeri Provincialis monetæ.

Annus nummi cuſi: 1736.

VII.

Idem. In averſa:

20. KR. FVRST. BAD. DVRL. LAND-MVNTZ. 1732.

Digitized by Google

Viginti Crucigeri Provincialis Monetæ Bada - Durlacenſis 1732.

VIII.

Idem cum verbis: PRO BONO PVBLICO. In averſa:

X. KREUTZER. 1732.

Decem Crucigeri 1732.

In ambitu:

FVRST. BADEN DVRLACH. LANDMVNTZ.

Moneta provincialis Bada - Durlacenſis.

TABULA XXII.

CAROLUS FRIDERICUS.

I.

Parmula columnæ affixa, Badevillanum referens palum. Figura manum levans ad cœlum. OBSEQVIVM JVRARE PARATA. Aera: 1738. In poſtica ſcutum, a duobus gryphis ſuſtentatum; a quo crux Ordinis Fidelitatis propendet. In ambitu: *Magdalena Wilhelmina, Marchio Badenſis, nata Duciſſa Wirtenbergiæ, Adminiſtratrix. Carolus Auguſtus Marchio Badenſis & Hachbergenſis Adminiſtrator.*

II.

Ara, parmulis Badenſibus ornata, cum igne & epipraphe:

Digitized by Google

VOBIS. PIA. CORDA. SACRAMVS. In imo annus 1738. Poſtica præcedenti ſimilis.

III.

Ara cum thuribulo & parmulæ duæ; altera Badenſem baltheum, altera alam Uſenbergicam referens. Epigraphe: PRO. VESTRA. VOTA. SALVTE. Aera 1738. Poſtica uti præcedens.

IV.

Florenus. Crux Ordinis *Fidelitatis* inſigne. Epigraphe: AD LEGEM IMPERII CVSA. 1740. Infra crucem:

60. KR.

Sexaginta Crucigeri.

Poſtica habet parmulam, cum baltheo Badenſi. Inſcriptio nomina tutorum ad inſtar præcedentium exhibet.

TABULA XXIII.
CAROLUS FRIDERICUS.

V.

Ara cum igne & parmula Badenſi: MONETA DVRLACENSIS LÆTA SACRIFICIA FERENS. In averſa duo cornua copiæ & ſol: REDVCI SERENISSIMO PRINCIPI QVÆQVE FELICIA OPTANS. Nummus A. 1746. in memoriam Marchionis, a Gallico & Batavico itinere redeuntis, cuſus.

Digitized by Google

VI.

CAROLI FRIDERICI effigies. In averſa ſcutum, baſi inſiſtens, pileo & torque Ordinis Fidelitatis ornatum, Badenſia deigmata. Duæ feminæ ad latus utrumque baſis. Altera globum terreſtrem & annulum ſive corollam; altera cornu copiæ tenet & libram: MODERATE ET PRVDENTER. In imo æra MDCCLI.

TABULA XXIV.

CAROLUS FRIDERICUS.

VII.

Nummus CAROLI FRIDERICI & CAROLINAE LUDOVICAE conjugio dicatus. Femina ſtans dextra palmitem, ſiniſtra cornu copiæ tenet. Ad pedes feminæ: MINERVA CATTORVM. In ambitu: HAEC TANTVM DIGNA CONNUBIALI FOEDERE IUNGI.

In averſa duplex ſcutum, in quorum uno baltheus Badenſis; in altero Haſſiacus leo coronatus, tæniis transverſis argenteis & rubris diſtinctus. In ambitu: FIRMAT AVGVSTAE GLORIAM GENTIS POPVLIQVE SALVTEM TALIS CONIVNCTIO. Inferius æra: MDCCLI.

VIII.

Nummus in memoriam nativitatis duorum filiorum CAROLI FRIDERICI cuſus. Capita jugata Parentum:

Digitized by Google

D. G. CAR. FRID. MARG. BAD. & CAR. LOVISA
M. N. L. H.

*Dei Gratia Carolus Fridericus Marggravius Badenſis &
Carola Louiſa, Marchioniſſa, nata Landgravia
Haſſiæ.*

In poſtica eſt femina ſedens, duos tenens infantes, cum epigraphe:

DAS GESCHL. DER FROM. WIRD GESEGN.
SEYN. PS. 112.

Proſapia piorum erit beata, Pſalm. 112.

Inferius:

DIE GEBVRTH DER PRINZ. CAR. LVD.
D. 14. FEB. 1755. V. FRID. D. 29. AVG. 1756.

Nativitas Principum Caroli Friderici die 14. Febr. 1755.
& *Friderici die* 29. Aug. 1756.

TABULA XXV.

CAROLUS FRIDERICUS.

IX.

Marchionis effigies. In poſtica ſcutum, velamento pileoque conſpicuum, quod Badenſes teſſeras tribus regionibus complectitur.

X.

Caput Marchionis. Averſa Badenſem baltheum offert. Epigraphe: AD NORMAM CONVENTIONIS. Infra ſcutum Aera: 1763.

X. EINE FEINE MARCK.

Decem hujus generis nummi Marcam puram conficiunt.

X I.

Nummus ejusdem cum præcedente valoris; Marchionis effigiem referens. In poſtica Badenſis clypeus, ſingularum ditionum teſſeras continens; quem duo ſuſtinent gryphi. Inſcriptio uti præcedens.

SUPPLEMENTUM I.

CHRISTOPHORUS I.

I.

Effigies S. Petri, clavem tenentis. Ante eum parmula, baltheum Badenſem & Spanheimenſes teſſellas decuſſatim exhibens. CHRISTOF. D. G. MARCHIO BADE*nſis.* In averſa crux, cui intermixtæ quatuor parmulæ, quarum una duplicem baltheum Badenſem; altera Spanheimenſes teſſellas; tertia alam Uſenbergicam; quarta, in duas areas diviſa, Lahrenſem baltheum & Malbergenſem leonem repræſentat. Inſcriptio: MONETA NOVA BADENSIS.

II. S.

I I.

S. Bernhardi Martyris loricati & lanceam cum vexillo tenentis effigies. Ad latus Bernhardi annus nummi cuſi 1512. Epigraphe BEAT. SANCT. BERNARD. MARTIR. In poſtica ſcutum majus, in quo Badenſe & Spanheimenſe inſignia. Scutum quatuor ambiunt parmulæ. Prima baltheum Badenſem, ſecunda leonem, e pellibus emergentem, Rœtelanum inſigne; tertia, quæ e regione eſt, faſciam Lahrenſem & leonem Malbergenſem; quarta tres faſcias transverſas, Dynaſtiæ Rodemacheranæ, a Chriſtophoro acquiſitæ, deigma oſtentat. Epigraphe: MONEta NOVA BADENSIS.

SUPPLEMENTUM II.

B E R N H A R D U S.

Imago Bernhardi, cujus caput reticulo, crines involvente pileoque conteſtum: BERNHARDUS DEI GRATIA MARCHIO BADENSIS. In poſtica Badenſe & Spanheimenſe inſignia. ANNO SALUTIS MDXXXIII.

P H I L I B E R T U S.

Unilateralis nummus Philiberti, filii Bernhardi:

Digitized by Google

PHILIPERT. MARGRAF ZV BADEN VND G. Z. SPONHEIM.

Philibertus Marchio Badenſis & Comes Sponheimenſis.

CAECILIA.

Nummus memorialis Cæciliæ, Sueciæ Principis; cuſus antequam Chriſtophoro, Bernhardi filio, nuberet. CECILIA PRINCEPS SUECIE. Latus hoc cönvenit nummo, qui inter Numismata Bernhardinæ Lineæ Tab. V. comparet. Averſa feminam repræſentat ſedentem, tranquillam, manum amphoræ applicantem. Nummus hic in theſauro regio Holmienſi inter rariores ſervatur.

SUPPLEMENTUM III.

PHILIPPUS.

Nummulus ſub Philippo, Philiberti filio, cuſus. Badenſem & Spanheimenſem teſſeras, decuſſatim poſitas, exhibet:

PHILIP. D. G. MARCH. BAD. C. SP.

Philippus Dei Gratia Marchio Badenſis Comes Sponheimenſis.

Numerus 87. annum nummi cuſi 1587. deſignat. Poſtica dupli-

Digitized by Google

cem Imperii aquilam, & Imperii globum, ſuperaddita corona, repræſentat cum verbis: RUD. II. D. G. ROM. IMP. S. AUG. Numerus 2. globo impreſſus, duorum crucigerorum indicat valorem.

WILHELMUS.

I.

Unilateralis nummus formæ oblongæ, A. 1627. cuſus, Wilhelmi togati effigiem omnesque titulos continens.

II.

Wilhelmi togati effigies & tituli. Scutum averſæ, pileo conſpicuum aureique Velleris circumdatum torque, Badenſia omnia deigmata, in tres regiones diſtributa, comprehendit. Annus nummi cuſi 1674.

FERDINANDUS MAXIMILIANUS.

Unilateralis quoque nummus, Ferdinandi Maximiliani, filii Wilhelmi, ante patrem defuncti, cum epigraphe:

FERDIN. MAXIMIL. D. G. MARCH. BAD. ET HACH.

Digitized by Google

SUPPLEMENTUM IV.

LUDOVICUS WILHELMUS.

I.

Victoriæ ad Niſſam & ad Widdinum, quas Ludovicus Wilhelmus reportavit, cudendo huic nummo occaſionem dederunt. Leopoldus Imperator laureatus comparet in curru triumphali, manu tenens Victoriam alatam, quæ coronam lauream geſtat.

LEOPOLDVS M. P. F. A. P. P.

Leopoldus Magnus Pius Felix Auguſtus Pater Patriæ

Inferius: TRIVMPHATOR GENT. BARB.

Poſtica Ludovici Wilhelmi effigiem offert in tabula. Additur delineatio prœlii inter Turcas & Chriſtianos. Niſſa & Widdinum urbes e longinquo comparent. In imo: TVRCAE ANNO VNO TER DEVICTI. 1689.

II.

Victoria ad Salankemen. Fortuna gubernaculum tenens, ad aram conſiſtit, capiti militis, Romano more veſtiti, palmamque tenentis, lauream imponit. Aquila in globo. Epigraphe:

Digitized by Google

QUOD INSTAT EXPEDIET VICTOR. Inferius: VICTORIA LEOPOLDO ET IOSEPHO TRIVMPH. F. F. P. P. AA. VIRTVTE LVD. WILH. M. BADENS. DE TVRCIS PARTA. In margine: AVSTRIAE EXCELLENS IN ORIENTE VICTORIA. Altera nummi pars tabulam oſtentat, Turcicis ſpoliis inſignem. Victoria globo inſiſtens palmamque geſtans, tabulæ ſequentia verba inſcribit: SPES ET VIRES HOSTIVM FRACTAE 1691. Turca vinctus catenis cum camelo tauroque. Epigraphe: CAESIS TVRCAR. XXV. MILLIB. CASTRIS CVM TORMENT. BELL. CLVIII. DIREPTIS. Inferius: AD SALENKAMEN D. XIX. AVGVSTI AVGVSTIS NOSTRIS VERE AVGVSTI.

III.

Nummus ejusdem victoriæ ad Salankemen teſtis. Ludovici effigies cum epigraphe:

LVDOVICVS PRINCEPS BADENSIS C. M. G. L.

Ludovicus Princeps Badenſis, Cæſareæ Majeſtatis Generalis Locumtenens.

In poſtica miles armatus, hoſtium ſpoliis ad Danubii ripam inſiſtens; dextra caput Turcæ; ſiniſtra vexillum clypeumque ge-

Digitized by Google

ſtans. In vexillo litera L. cui impoſita corona, Ludovici nomen indicat. Clypeus cum labaro. E longinquo agmina militum; Salankemen atque Waradinum. In ambitu: TVRCARVM AD ZEMLIN STRAGES ANNO SALVTIS MDCLXXXXI.

FINIS TOMI QUARTI ET HISTORIÆ BADENSIS.

SEQUUNTUR

DOCUMENTA.

Z
2,3,30

Digitized by Google

421

2.330

Digitized by Google

Digitized by Google

005645672 Digitized by Google


Restaura
"San Giorgi
VIA ROMA

Digitized by Google